ANNALES
MINORUM

ANNALES
M I N O R U M
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM
AB ANNO MDLXXXV. USQUE AD ANNUM MDXC.

CONTINUATI

A

P. F. STANISLAO MELCHIORRI DE CERRETO

PICENAE PROVINCIAE FILIO
MINORUM OBSERVANTIUM S. THEOLOGIAE LECTORE JUBILATO
DEFINITORE GENERALI
ET VELITRIS VOLSCORUM ACADEMIAE SOCIO

TOMUS XXII.



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA CAJETANI RUSCONI

MDCCCXLVII.

Praesidum venia.



Sub tanti cura Patroni plaudite Cives
Pro vobis votis impetrat ille suis.
An. 1847

DIVO JACOBO

PICENO

AMPLISSIMO PATRONO SUO

FR. STANISLAUS MELCHIORRI

A*USPICATISSIMA mihi dies tandem illuxit, qua in obsequii et grati animi mei sodaliumque meorum Picentis provinciae erga Te significationem, volumen XXII. de Franciscalium commentariis typis Parthenopaeis vulgaturus, Sanctissimo Nomini Tuo nuncuparem. Et jure meritoque; Montisprandoni namque in agro Piceno ortus et seraphico instituto veteris observantiae initiatus, eidem provinciae strenuis facinoribus tuis gloriam ac decorem praecipuum intulisti sigulareque ornamentum.*

Electus a Deo calente adhuc aetate ad excolendam vineam suam, tribulis licet ubique et sentibus oppletam, dirisque simultatibus et bellorum turbine concussam, divini eloquii tui praestantia, morum innocentia, animi comitate, ingenii acumine, corporis maceratione, coelestibusque charismatibus quibus cumulatissime exornabaris, mox omnium erga Te observantiam benevolentiamque concitasti. Tot eximiis decorus donis, ac velut lucerna rutilans super candelabrum posita, ac tuba exaltata in Sion, mortalium oculis quadraginta septem annorum curriculo Te praebuisti, excitans aeque ac illuminans in tenebris et in umbra mortis misere sedentes.

Ac te in primis habuit eximium verbi Dei praeconem Picena provincia, ubi animarum salvandarum aestu succensus, regionem illam hac illac discurrens, ingentem deviorum messem capiebas, erectis, Te auspice, ubique ferme locorum Montis Pietatis domibus ad coercendam foeneratorum licentiam, Xenodochiis ad consulendam egenorum inopiam, domiciliis laicorumque sodalitatibus ad fovendam utriusque sexus pietatem, honestatem tutandam, ingenuosque omnium mores restituendos.

Potiora tamen illustrioraque de Te facta narrantur. Novimus quanta ea in regione moliti fuerint in eorum latibulis Fraticelli, *qui copia et affraeni audentia cuncta et divina et humana subvertentes, contra catholicam Christi Ecclesiam, Romanos Pontifices, antistites ac reges caput impune extulerant. Interim furentium belluarum more viventes, lethiferum virus quo erant imbuti, in simplicium animas evomebant. Haec non sine animi Tui vehementi moerore conspiciens, ad faedam illam et iterum recrudescentem teterrimam hydram exterminandam vires tuas solicite admovisti. Fausta omnia votis tuis accessere; scriptis namque praestanti doctrina refertis, magnaque eloquentiae tuae vi nebulones illos, licet ad necem non semel conquisitus, in oppidis Fabriani, Podii, Meliorati, ac Massacii persequutus, victas Tibi manus extemplo dederunt.*

Tot igitur praeclare gestis, Te commendatissimum, laude dignissimum, novissimum Ecclesiae catholicae apostolum, ac velut angelum e coelo delapsum pleno ore plaudebant omnium ordinum optimates, certabantque amplissimi Praesules, ac Imperatores Te praestantissimum verbi Dei concionatorem apud se habere, ut gentes sibi subditas, facinoribus, odiis, corruptis moribus, ac heterodoxorum erroribus pene confectas, tranquillas redderes atque pacatas. Ut caetera praetereamus, magni Te habuit pientissima Austriaca domus, perspectum Tui habens omni-

genae sanctitatis ac doctrinae tuae splendorem, miraculorumque ornamentum. Federicus Imperator hujus nominis III. is ille fuit, qui missis ad Romanos Pontifices supplicibus litteris Te expostulavit, ut pro consulenda catholica fide haereticorum colluvie maculata, in Hungariam Te conferres. Hinc nudis pedibus, sine pera et sacculo Apostolorum more arduum iter solicite aggressus, nec inedia, nec solis aestu, nec imbrium vi interim deterritus, virtutis Tuae radiis, crebris prodigiis, ac vivido Dei sermone truculentos haereticos iterum ad sanctae matris Ecclesiae sinum adduxisti. Sigismundum item et Albertum Imperatores bellorum fluctibus in eodem Hungariae regno exagitatos, munere quo post felicem obitum S. Joannis a Capistrano Tibi conjunctissimi fungebaris, adjuvisti, fugatis interim et deterritis fidei hostibus, cunctisque ad optatam tranquillitatem adductis.

Quid plura? Romanorum Pontificum Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Callixti III. Pii et Pauli II. ac Sixti IV. mandato, tertio in Illyricum, Pannoniam, Sarmatiam, Poloniam, Bohemiam, finitimasque provincias perlustrans, de Manichaeorum, Patarenorum, Hussitarum, ac Thaboritharum monstris consumatum retulisti triumphum. Ex indubiis enim monumentis novimus, Te sacro baptismatis lavacro bis centena infidelium millia tinxisse, brevique temporis cursu in laudatis Hungariae dictionibus quingenta haereticorum millia, divinae gratiae praesidio, ad apostolicae matris Ecclesiae gremium adduxisse, praetermissis utriusque sexus christifidelibus prope innumeris, qui et sanctitatis Tuae exemplis, et sedulis concionibus tuis in fide nutantes confirmati, vel a peccatorum laqueo soluti, ad sectandam pietatem sunt incensi.

Quae cum tanta Nominis Tui fama perageres, divino prorsus accidit consilio, ut votis omnium sodalium tuorum, et amplissimorum praesulum Picenae provinciae, ac finitimarum regionum satisfacturus in Italiam redires; Te enim in tam dissitis a nostris plagis versari cuncti patiebantur inviti. Hinc fulguris instar, licet aetate grandaevus, laboribus attritus, variisque infirmitatibus fractus, civitates et oppida perlustrans, ac monita coelestis adipiscendae gloriae tradens, ad Picenum agrum nostrum, plaudentibus undique prae nimio gaudio populis, remeasti, haereticorum, schismaticorum, infideliumque spoliis dives.

At disponente Deo, frequentissimam inde Neapolitanam urbem, Ferdinandi I. Aragonensis utriusque Siciliae Regis hortatu, petens, qua divini verbi praedicatione, qua mirandis

prodigiis, qua morum suavitate in Tui obsequium ac benevolentium rapuisti gentem fidei et pietati studiosam. Hinc omnibus omnia factus, singulorumque Tibi voluntates devinceus, ingenua pietas, morum honestas, flagrans charitas ubique refloruit et fides, mutata sic totius civitatis facie.

Dum autem quatuor annorum intervallo cunctis beneficiorum tuorum gratia solatio eras et praesidium, cunctique omnium ordinum cives de Tua praesentia gaudio afficiebantur praecipuo, non sine ingenti omnium moerore Te in osculo Domini obitum, Teque ad supernam beatitatem evolatum agnoverunt. In spem tamen illico erecti, Te apud Deum sponsorem potentissimum, sepulchrumque tuum gloriosum, signis ac prodigiis futurum undique conclamarunt; quod praesentissima ope Tua evenisse luculentiora monumenta testantur.

Ante sacram igitur hanc aram Tuam, cui mihi datum fuit quotidie non sine dulci animi mei sensu immaculatum Deo sacrificium litare, genibus provolutus, ac piis osculis donans pretiosas exuvias Tuas, volumen hoc, licet perexiguum, humillimus ego et depono venerabundus, ut illud nomini Tuo insignitum benevole excipias, ac patrocinii Tui munificientia perpetuo tuearis.

IN ANNALIUM MINORUM

CONTINUATIONEM

PRAEFATIO

IN tibi benevole lector Annalium totius Seraphici ordinis Fratrum Minorum volumen XXII. quod praelo commisimus, et ut multorum praestanti eruditione hominum illud expetentium votis prompto animo obsecundaremus, et ut erga te gratum, ob humanitatem summam qua alterum, licet exiguum nuper a nobis editum excipere dignatus es, exhiberemus. Habet hoc praesens Sixti V. Picentium ac Franciscalium gloria, commendatissimi Pontificis acta; jucunda tamen nimisque praeclara, ac magna.

Verum cum innumera propemodum vel partium studio, vel haeterodoxorum calumnia, vel fanaticorum delirio de tanto Pontifice conficta prae omnium manibus scripta terantur, ideo non semel nobis animus et vires, ut germanas a falsis et supposititiis secerneremus, conciderunt. Absolvimus tamen non absque assiduis vigiliis; an vero felici, vel infelici exitu, aequo doctorum virorum judicio subjicimus.

Antistitis Summi bon. mem. Gregorii XVI. munificentia, qui etiam amplissimis suis litteris sub die XXVIII. Maii MDCCCXLV. ad alacriter prosequenda haec Minorum commentaria vires nostras erexerat, tabularium Brevium Romanorum Pontificum et pro hoc edendo volumine perlustravimus; in quo tamen non absque animi nostri molestia, quamplurima laudati Sixti V. mandata, constitutiones, brevia, ac indulta desideravimus. Desunt enim in eo altarium privilegiatorum, indulgentiarumque regestûm annorum MDLXXXV. — MDLXXXVI. — MDLXXXVII. — MDLXXXVIII.; item brevium ac constitutionum mensis Augusti anni MDLXXXVII. mensisque Novembris anni MDLXXXIX. ea aetate, qua singula divina et humana omnia malignantium consilio subversa erant, jactura passum.

Ceterum quae sive de Martyribus, sive de Confessoribus, ac Virginibus, vel de prodigiis aliisque sacris et profanis in commentariis nostris scripsimus ac vulgamus, *absque praejudicio*, verbis utimur melliflui doctoris S. Bernardi, *sane dicta sint sanius sapientis; Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et caetera quae ejusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

Volum. 1. Epistolarum epist. 175. num. 9. Venetiis 1791.

APPROBATIONES

I.

De mandato Reverendissimi Patris Aloysii a Laureto Ministri Generalis legi et examinavi Annalium volumen XXII. gesta continens Franciscalium sub Sixto V. Pont. Max. ab anno 1585. ad 1590. auctore ad. R. P. Stanislao Melchiorri. Definitor Gen. et Ordinis Annalista. Illudque non solum catholicae religioni, ac bonis moribus consentaneum, sed et Nostratibus decorum, ac veritatis historicae amatoribus utilissimum existimo. Dignum propterea ut publicam lucem aspiciat.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex aedibus Aracoelitanis die 20 Decembris 1845.

FR. MAURITIUS A BRIXIA

Lector Jubilatus et Ordinis Chronologus Generalis.

II.

Cum ex mandato Reverendissimi in Christo Patris Aloysii a Laureto Generalis Ministri attente perlegerim volumen XXII. quod Annalium continuationem totius ordinis Fratrum Minorum continet ab admodum Reverendo Patre Stanislao Melchiorri provinciae Picenae filio compositum, tantum abest me quidpiam in eo offendisse vel a recta fide, vel a morum norma alienum, ut potius demiratus sim Auctoris ingenium, eruditionem, atque doctrinam. In eo siquidem, quemadmodum et in altero suo volumine jam edito, concinne habentur exposita facta, quae pro temporum aetate mendis commixta disseminabantur: in eo interim accurata conspicitur dicendi ratio, quin partes alicujus (quod in multis desideratur historicis) foveat: in eo tandem, veritatis amore ductus, summa cum temperantia critices artis regulas adhibet, sacris non minus, quam profanis monumentis iunixus. Quae omnia, cum non sine gravi labore ac studio fuerint exarata, auctoris solertiam in primis, mentemque commendant. Ea propter, servatis prius de jure servandis, illud typis dignissimum censeo.

Datum Velitris ex Coenobio S. Laurentii die 10 Martii 1846.

F. ANTONIUS M. DE S. ROMULO

Lect. Jubil. in Ven. Semin. Dogm. ac Moral. Theol. Prof. Examin. pro-Synod. Accademiae Relig. Cathol. Socius, necnon illius Volscorum Censor.

FACULTAS ORDINIS

FR. ALOYSIUS A LAURETO

SACRAE THEOLOGIAE LECTOR JUBILATUS,
TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. P. N. FRANCISCI MINISTER GENERALIS,
COMMISSARIUS, VISITATOR, ET REFORMATOR APOSTOLICUS,
HUMILISQUE IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

Cum duo Ordinis Nostri Patres Theologi a Nobis ad hoc specialiter deputati, Opus (Auctore Admodum Reverendo Patre Stanislao Melchiorri a Cerreto Lectore Jubilato, Definitore Generali, ac Ordinis Annalista) cui titulus: *Annales Minorum etc.* Tomus XXII. annos a MDLXXXV. usque ad MDXC. Ordinis Annalium complectens, reviserint atque approbaverint, Nos vigore praesentium facultatem eidem facimus, quatenus, servatis servandis, illud typis mandari possit.

Datum Romae ex Aracoeli die 23 Maji 1846.

FR. ALOYSIUS A LAURETO
MINISTER GENERALIS

L. ✠ S.

De mandato P. S. Reverendiss.
FR. FULGENTIUS TAURINAS LECT. JUB.
SECRET. GEN. ORDINIS.

ANNALIUM
ORDINIS MINORUM
CONTINUATIO

Anno Christi	Sixti V.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1585.	anno 1.	anno 9.	anno 378.

ARGUMENTUM

Vita Sixti V. Summi Pontificis describitur. Martyres, Confessores, ac Virgines sancte occumbunt. Conventus fratrum, et monasteria monialium excitantur. Decedunt et florent viri docti. Quorumdam SS. acta prosequuntur. Narrantur prodigia. Altare Basilicae S. Bartholomaei Apostoli de Urbe consecratur. Aula Summorum Antistitum Aracoelitana conceditur fratribus minoribus de observantia. Pontificis mandata et indulta recensentur.

DEFUNCTO VI. idus Aprilis Gregorio XIII. Pontifice, absolutisque de more novendialibus, Purpurati Patres conclave ingressi, tertio postquam convenerant die, nimirum XXIV., non vero ut minus recte scribit Ciaconius die XII. ejusdem mensis, totius ecclesiae regimen Felici Cardinali Peretti inter minores S. Francisci conventuales adlecto demandarunt, qui Sixti V. nomen assumpsit. Suprema haec dignitas praesignata ei fuerat a B. Petro Nicolao Factore ex franciscana observantium familia, a S. Felice capucino in Urbe degenti, ac a spectatissima virgine de tertio ordine franciscalium de poenitentia Francisca de Triglis nata in oppido del Serrone dioecesis Septempedanae, sive Sancti-Severini in Piceno, ut aperte novimus ex eorumdem commentariis.

Ciaconius tom. 4, colum. 111.

Ex processu Valentino pag. 220. Bocerius tom. 2. pag. 292. Mazzara tom. 4. pag. 122.

II. Quamplurima de praestantissimo hoc Pontifice, cujus memoria perpetuo apud homines duratura erit, scripta circumferuntur. Verum nos cujus munus est, ea in annalibus nostris, quae indubiis monumentis fulciuntur exponere; ideo quae vulgata fuerunt ab aliquibus circa agnato-

rum patriam, sanguinis nobilitatem aut obscuritatem, variamque ejus fortunam aliorum judicio expendenda ac definienda relinquimus. Certum autem est Sixtum editum in lucem fuisse die xiii. Decembris anno mdxxi. conjugibus non Francisco, sed Petro Gentili Peretti de Monte Alto, nec Gabana illius loci incola vili femella, ut falso scribit Claudius Fleury, sed Maria Anna de Camerino, in oppido Cryptarum dioecesis Firmanae, quod distat a Monte Alto x. m. p. Aetatis suae anno xi. inter minores conventuales adscriptus, et ad regularem deinde admissus professionem, mirum dictu est, quam brevi tempore praeceptis institutisque grammaticae, rethoricae, dialecticae, ingenuarumque artium abundaverit. Cum autem litterarum mirifico teneretur desiderio ac tenaci esset ingenio, omnia ab eo vel lecta vel audita adeo alte in ejus mente insedebant, ut prompte enunciaret innumeras praestantissimorum scriptorum sententias, gravissimasque quaestiones dilucide ac solerter explanaret. Hinc aetatis anno xxvii. in coenobio Firmano a majoribus suis magisterii insignibus decorari meruit.

Fleury tom. 27. pag. 120. num. 24 Venetiis 1777.
Tempesti lib. 1. num. 21. et seq.
Idem ibid. lib. 2. num. 2.

III. Missus anno mdxlix. non vero ut scribit Cardella an. mdlix. ad comitia generalia sui ordinis Assisii habita, praeside Rodulpho Pio Cardinale ordinis patrono, difficiliora sacrae theologiae themata non minus docte, quam pie tractanda, et enucleanda sumpsit; quae res magnam illi apud laudatum Rodulphum gratiam et benevolentiam peperit. Senis, Neapoli, Venetiis sacram facultatem docuit, mireque sui instituti gymnasia extulit. Interim Camerini, Perusiae, Neapolis, ac Romae praecipue ubi unius anni tempore, tribus in qualibet hebdomada diebus super Pauli epistolam ad Romanos conciones habuit, doctrina, eloquentia, vitaeque exemplo populos ad rite vivendum hortabatur.

Cardella memorie storiche de Cardinali t. 3. pag. 237.
Tempesti lib. 2. num. 3. et seq.

IV. Venetiis dum suorum *regentis* munus anno mdlvii. obiret, a Paulo IV. Pontifice designatus fuit inquisitor generalis contra haereticam pravitatem tum ea in Urbe, tum in Marchia Tarvisina. Verum inde quibusdam contra ipsum, aemulorum suorum consodalium causa, subortis motibus, Romam anno mdlx. accersitus, et lectoris archigymnasii romani, et concilii Tridentini theologi, ac postremo a consiliis supremae inquisitionis, quod officium minores conventuales tunc primum adepti sunt, munia peregit. Interim textus juris canonici Gratiani, et aliquorum SS. Patrum operum emendatio fuit illi commissa. Scribit Joseph Maria ab Ancona hoc eodem anno cum missum fuisse Toletum a Pio IV. Pontifice cum Hugone Boncompagni Cardinali, cui a theologicis rebus erat, ad cognoscendam causam Bartholomaei Mirandae, et Corranzae illius civitatis archiepiscopi. At corrigendus; nam, testibus Ciaconio et Raynaldo, nonnisi anno mdlxv. laudatus Boncompagni cooptatus fuit inter S. R. E. cardinales, ac duobus a sui electione transactis mensibus in Hispaniam legatus se contulit. Felix igitur expleto jam procuratoris generalis, ad quod assumptus fuerat anno mdlxi officio, in Hispaniam cum eodem cardinali commigravit.

Idem ibid. lib. 3. num. 1.
Annales Minorum ad an. 1560 n. 34.
Ciaconius tom. 3. col. 959. Raynaldus ad hunc an. p. 162.
Benoffi pag. 28.

V. Pio IV. anno mdlxvi. e vivis erepto, laudatus cardinalis cito in Italiam festinavit, ut novi Pontificis electioni interesset, qui tamen Genuam appulsus, Pium V. Pontificem mox inauguratum audivit. Eo tempore cum Mediolani dies suos explesset Antonius de Sapientibus magister generalis fratrum minorum conventualium, Felix vicarius generalis ejusdem ordinis delectus fuit ab eodem Pontifice, litteris sub die xxiv. Ja-

Ciaconius ibid. col. 959.
Tempesti ibid. n. 6. et 7.

uuarii Toletum missis; quas tamen ob sui itineris in Italiam aggressionem non accepit. A veritate igitur plurimum abest Laurentius Cardella, forte deceptus textu Rodulphi a Tossiuiano, dum scribit eum renunciatum vicarium generalem a Pio V. anno MDLXIII. Iuita Astae Pompejae ad Tanarum amnem dignitate, inde Assisium se contulit, ubi mandata aliquot a Pontifice accepit, suae religionis sigilla, duas mulas, equumque unum. Interamnae die VIII. Martii instituit commissarium visitatorem monasteriorum monialium magistrum ejusdem provinciae S. Francisci. Alias interim litteras accepit a Pontifice, quibus in officio vicarii generalis confirmabatur. *Cardella ibid p. 158. Rodulphus l. 2. pag. 197.*

VI. Varia hoc anno suo instituto perutilia statuit. Facultates commissariorum generalium, qui provincialium jura pene deleverant, *bonorum*, ut ipse ajebat, *et personarum fratrum tyranni*, revocavit, vulgatoque decreto die XX. Augusti in sacrario conventus SS. XII. Apostolorum de Urbe provincialibus legitimum jus restituit. Eodem mense die XXVI. voluit, ut guardiani ad triennium eligerentur, ne fierent *audaciores et insolentiores.* Declaravit visitatoris officium non adversari juri provincialium. Delegavit visitatores in provincias Austriae, Gallo-provinciae, Argentinae, Aragoniae, aliasque. Juxta privilegia tunc temporis collata magistro generali conventualium, destinavit inquisitores generales haereticae pravitatis in civitatibus Anconae, Veronae, in provinciis Aemiliae, Etruriae, et Bohemiae. Jussu Pontificis: *Etsi Romani* nonnulla provinciae S. Francisci coenobia instravit. Leges quasdam item tulit pro monialibus clarissis S. Silvestri in Capite de Urbe cum hoc titulo: *Haec est visitatio secreta facta ex officio et ordinata per me fratrem Felicem de Montealto theologum indignum, et vicarium generalem apostolicum minorem conventualem.* Alia etiam mandavit pro bono regimine monialium in civitate Neapolis. *Tempesti ib. n. 8.*

VII. Quae cum id pro muneris sui ratione perageret Felix, defuncto Joanne Beroaldi S. Agathae Gothorum episcopo, ad hanc regendam ecclesiam assumptus fuit, edito diplomate: *Apostolatus officium* XVII. calendas Decembris, retenta tamen sui ordinis vicarii generalis auctoritate: *Quoniam hodie.* Anno insequenti MDLXII. die XII. Januarii in ecclesia conventus S. Laurentii Neapolis, quamplurimis adstantibus episcopis, consecrationis gratiam accepit. Ecclesiae suae jura jam adeptus circa ejusdem mensis finem, Romam inde perrexit et in coenobio SS. XII. Apostolorum de Urbe invenit *lectum et pubblicatum Breve SS. Domini pro addoctrinandis* XX. *baccalaureis religiosis.* *Idem ibidem n. 10.*

VIII. Ad suam postea ecclesiam se conferens, optimi pastoris erga concreditas sibi oves solicite partes complevit verbo, exemplo, editisque constitutionibus ad pietatem fovendam, et ad collapsam ecclesiasticorum disciplinam instaurandam. Interim nullo parcens labori, iterum manus admovit quatuor annorum curriculo, quibus illam ecclesiam administravit, in expurgando Gratiani decreto, cui a Pio IV. una cum Marco-Antonio Colonna et Hugone Boncompagni illa provincia commissa jam fuerat; quam tamen aliis distentus curis absolvere nequivit. Dum huic labori operam dabat, anno MDLXX. a Pio V. inter S. R. E. cardinales adscriptus fuit, litteris ad eum datis: *Romana ecclesia* XVI. calendas Junii, titulum S. Hieronymi Illyricorum, vel ut aliis placet S. Simeonis sortitus. *Ciaconius tom. 4. colum. 111.*

IX. Anno MDLXXII. e vivis erepto Pio V. Pontifice sanctissimo, Felix noster una cum caeteris S. R. E. cardinalibus conclave eodem anno *Idem ibid. col. 3.*

ingressus, suffragium tulit in electione Gregorii XIII. laudati Pii in S. Petri cathedra successoris. Primo Gregorii XIII. Summi Pontificis anno in Liberiana Urbis basilica fundamenta jecit sacelli, quod Praesepe Domini appellatur, ut ibidem, si forte reperiretur S. Hieronymi ecclesiae doctoris corpus, fidelium venerationi exponeret. Interim veniam ab eo obtinuit, ad decentiorem locum transferendi exuvias Nicolai IV. Pontificis ex minorum familia, quas de facto ad dexteram tribunae transtulit; subinde vero a Benedicto XIV. ad laevam majoris januae ejusdem ecclesiae locatae fuere una simul cum nobili sepulchro et elogio, anno MDLXXIV. confecto et apposito ab eodem cardinali Peretti, quod ponimus.

Idem ibid. col. 115.

NICOLAO IV. ASCVLANO PICENO
PONT. MAX.
CVM IN NEGLECTO DIV SEPVLCHRO
FERE LATVISSET
FELIX PERETTVS CARDINALIS
DE MONTE ALTO
IN ORDINEM ET PATRIAM
PIETATE POSVIT AN.
M. D. LXXIV.

Basis incisas has litteras magnarum virtutum Nicolai testes amplissimas exhibet.

NICOLAVS IV. PONT. MAX.
ORDINEM MINORVM PROFESSVS
PHILOSOPHVS AC THEOLOGVS EGREGIVS
CONSTANTINOPOLIM A GREGORIO X. MISSVS
GRAECOS AD ROMANAE ECCL. COMMVNIONEM
TARTAROS AD FIDEM REDVXIT
POST SANCTVM BONAVENTVRAM GENERALIS
SANCTITATE ET DOCTRINA
ORDINEM PROPAGAVIT
NICOLAI TERTII NVNCIVS
INTER FRANCORVM ET CASTELLAE REGES
PACEM CONCILIAVIT
SANCTAE PUDENTIANAE CARDINALIS
LEGATVS HONORII QUARTI IN GALLIAM
SENATORIAM P. R. DIGNITATEM
SEDI APOSTOLICAE RESTITVIT
FACTVS PONTIFEX
REMPVBLICAM SVBLATIS DISCORDIIS COMPOSVIT
CHRISTIANOS PRINCIPES
SACRO FOEDERE JVNXIT
PTOLEMAIDEM COPIIS ADJVVIT
FLAMINIAM IN PONTIFICIS ITERVM
DITIONEM REDEGIT
PVBLICVM IN MONTE PESSVLANO
GYMNASIVM INSTITVIT
PROBOS, ET ERVDITOS IN COGNATORVM

LOCO TANTVM HABVIT
LATERANENSEM
ET HANC BASILICAM STRVCTVRIS
ET OPIBVS AVXIT
TANDEM JUSTITIA ET RELIGIONE
ORBEM TERRAE MODERATVS
MAGNA SANCTITATIS
OPINIONE OBIIT
PRIDIE NON. APRIL. M.C.C. XCII.
PONTIFICATVS SVI
ANNO V.

X. Episcopalem sedem Firmanam administrandam suscepit die XXVII. Decembris anno MDLXXI. per obitum Laurentii Lentii Florentini in Gallis apostolici legati, eamque retinuit ad annum usque MDLXXVII. quam tamen favente Pontifice, regendam tradidit Dominico Pinelli. Haec ideo ipse peregit, ut SS. Patrum exemplaria corrupta suae puritati restitueret, juxta mandata Pii IV. et Pii V. Pontificum eidem antea commissa. Praeclaris igitur Romae sociis adscitis, S. Ambrosii episcopi Mediolanensis opera admodum depravata et violata emendavit, annoque MDLXXX. Gregorio XIII. nuncupavit.

XI. His aliisque doctrinae, pietatis, ac religionis meritis cumulatus, ad tantam penes omnes existimationem devenerat, ut eum totius catholicae ecclesiae regimine dignum uno ore proclamarent. Hinc Gregorio XIII. Pontifice defuncto, XLI. qui in eo amplissimo Patres senatu aderant, communi placito illum in Romanorum Pontificum album cooptarunt. In ejus creationem haec cecinit illius aevi poeta non ignobilis. *Petrus Galesinus in vita Sixti V.* *Tempesti ibid. lib. 5. n. 20.*

Roma tibi pleno gratatur copia cornu,
Sis felix: Sixtus Quintus egere vetat.
Eja age Roma bonis avibus Pater optime clama,
Procede, et regna laetus in Urbe tua.
Te duce justitiae locus est, furiisque revinctis,
Est paci tutus factus in Orbe locus.
Te posita feritate Leo pater ambit amicus,
Hunc hominis parva gestat in urbe pii.
Protege nos Alti vigilans in culmine Montis,
Duc tandem Stella celsa per astra duce,
Pastor ave, et Princeps vicinia laeta reclama,
Te fieri felix Sixte favente potest.

XII. Ubi primum ad celsiorem pontificatus sedem ascendit, meditatus est, quae in Pontifice ac Principe esse deberent, ut reipublicae christianae concordiam, et orbi universo pacem restitueret. Itaque pontificatus sui initium ita instituit, ut et boni praemium virtutis sperare, mali vero supplicium ac poenam sceleris, vel flagitii, vel improbitatis formidare potuissent, edicto gravissimo pridie calendas Maii vulgato, quo poenas renovavit contra nefarios, quorum tunc ingens ubique erat colluvio. Hinc nondum solemni ejus coronatione peracta, cum duo germani vel consobrini, vel patrueles fratres, Corae, quod est oppidum in Hernicis, nati, cum igneis balistis per urbem cursitarent, a satellitibus comprehensi es- *Idem ibid. lib. 6. num. 14.*

sent et in vinculis acti, Pontificia jussu supplicii patibulo damnati, die xxix. ejusdem mensis Aprilis eorumdem corpora in ponte arcis S. Angeli omnium oculis fuerunt exposita. Ut vero id illis condonaretur, nullis multorum procerum neque cardinalium precibus impetrari a Pontifice potuit; quae ejus animi constantia cum dimoveri nusquam potuerit, tantum terroris ac metus injecit omnium animis, ut cunctorum sceleratorum audacia imminuta, et aliorum cujuscumque ordinis hominum repressa extiterit contumacia.

XIII. Calendis igitur Maji die SS. Apostolorum Jacobo et Philippo sacro, diademate pontificio in Vaticano templo a Ferdinando Medici diacono, more majorum coronatus est. Quia vero in foro et S. Petri scalis, ad quas eo die frequentissima plebs convenire solet, nummi projiciebantur, ne ex compressione turbae urgentis praefocatio hominumque mors, ut interdum evenit, sequeretur, id fieri omnino cavit Pontifex. Pro ea tamen effusione longe majorem pecuniae vim monasteriis, locis piis, et egentibus in eleemosynam conferri dividique imperavit. Convivium etiam, quod eo ipso die Pontifices praecipua munificentia insternebant, ad quod non solum Cardinales, verum et principum oratores vocabantur, noluit parari optimus Pontifex. Eam vero impensam, quae maxima erat, in convivium erogaturus, peregrinorum morboque languentium aedibus, locisque aliis piis contulit.

Idem ibid. num. 19. et seq.

XIV. Prima interim Dominica Maii sacrosanctae patriarchalis Basilicae Lateranensis possessionem adeptus, ipsa eadem die aquas, quarum penuria collis Quirinalis praesertim laborabat, ubique colligendas mandavit, ut fontibus restitutis, quorum temporis decursu ferme omnes deperditi erant rivi, deserti colles iterum incolerentur. Opus hoc Matthaeo a Castello commissum, licet frustra centum aureorum millibus erogatis, Joannes Fontana, Dominici Fontana architecti germanus complevit. Hinc accitis bis mille et aliquando aliis bis mille operariis, decem et octo mensium spatio, quinquaginta ac duo optimarum aquarum rivuli reperti, omnes in unum receptaculum corrigarunt, ex quo deinde instructi ductus exsurgerent. Bis centum septuaginta aureorum millia insumpsit Pontifex, ut opus perficeret, quodque perfectum fuit anno MDLXXXVIII. In arcu, qui II. ab urbe lapide in via Neapolitana extat sub eodem specu mire extructus, duplex obviat inscriptio. In ea parte qua Romam spectat

SIXTVS. V. PONT. MAX.
PLVRES TANDEM AQVARVM
SCATVRIGINES INVENTAS
IN VNVM COLLECTAS LOCVM
SVBTERRANEO DVCTV
PER HVNC TRANSIRE ARCVM
A SE FVNDATVM CVRAVIT
AN. MDLXXXV. PONT. I.

In opposita parte

SIXTVS V. PONT. MAX.
QVO FONTIBVS RESTITVTIS
DESERTI VRBIS ITERVM INABITARENTVR COLLES
AQVAS VNDIQVE INVENIENDAS MANDAVIT
AN. MDLXXXV. PONTIF. I.

Anno Christi	Sixti V.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1585.	anno 1.	anno 9.	anno 378.

XV. Habito die XIII. ejusdem mensis Maii consistorio, praeter legatos delectos pro consulendis negotiis provinciae Picenae, Bononiensis, Romandiolae, Perusinae, et Campaniae Romanae cardinales Gesualdum, Salviati, Canani, Spinola, et Colonna, cooptavit inter R. E. purpuratos patres, S. Hieronymi Illyricorum titulo, Alexandrum Damascenum Peretti pronepotem suum annos natum quatuordecim. Plura de eo praedicantur: *at in egenos*, ita Ciaconius, *ea liberalitate ita enituit, ut eum liberalem pietatis et beneficentiae fontem, christianaeque liberalitatis exemplum multi appellarent.* *Ciaconius tom. 4 colum. 147.*

XVI. Degebant hoc tempore in Urbe Japoniorum Principum legati, qui in novo terrarum orbe, nuper repudiato superstitioso daemonum cultu, sacrum Christi baptisma susceperant. Illorum nomina erant Mancius Isus, Michael Cirgiva, Julianus Huncaura, et Martinus Fare. Post septem et amplius menses Japonico itinere confecto, demum Romam hoc anno, nondum e vivis erepto Gregorio XIII. accesserunt, Societatis Jesu patrum ductu, ut illius tanto locorum intervallo remotissimae regionis nomine Francisci Regis Bungi, Protasii Arimae, et Bartholomaei Oncurae, Romano Pontifici venerationem praestarent. Hos Sixtus, praedecessoris sui sequutus vestigia, non semel ad se accedentes, humanitate multa, laetitia, amplisque votis excepit, ac in sacro Ascensionis pervigilio, divinis vespertinis in Sixtino sacello persolutis, equestri dignitate ornati, ense, calcari inaurato, aureo torque, ac sacro numismate singuli ab eo donati fuere. Postridie ad sacrum, quod privatum fecit, admissi, sua manu divinum SS. Eucharistiae sacramentum porrexit. Tum ad quartena, quae tribuerat Gregorius XIII. aureorum millia Japoniae ecclesiae et seminariis, bina ipse in singulos annos adjecit. Deinque datis commendatitiis litteris ad obvios principes, impetrata etiam granorum atque numismatum consecratione, III. nonas Julii Roma discesserunt. Quidam iter digredientes, ad inclytum S. Mariae Angelorum de Portiuncula fratrum minorum de observantia templum sub Assisium positum, ibidem pariter coelesti dape refecti sunt. *Tempesti lib. 6. n. 11.* *Sacchini tom. 1. lib. 6. pag. 230.*

XVII. Cum autem optime nosceret Pontifex gravissimum onus sibi impositum, divino maxime hisce teterrimis temporibus ob tumultus Galliae, Bulgariae, Hungariae, et Bohemiae, aliarumque regionum in primis auxilio esse sustinendum, idcirco jubilaei litteras omni paternae charitatis officio refertas, et solicitudinis pontificiae ad rei bonae gerendae occasionem accensae, splendore illustres promulgavit: *Virium nostrarum* VIII. calendas Junii. Hinc indictis tribus supplicationibus una cum jejunio: *feria secunda die* XXVII. *Maii fuit facta processio*, ita Paulus Alaleona, *in qua intervenit Pontifex, qui concessit pro hac die jubilaeum, ab ecclesia S. Mariae de Aracoeli usque ad S. Mariam Majorem. . . . . . Pontifex circa horam decimam a palatio S. Marci, ubi pernoctavit, per corritorium coopertum venit ad S. Mariam de Aracoeli, ubi jam Ill. Domini Cardinales in mantellectis violaceis pervenerant, expectantes in sacristia, et alii prelati in ecclesia. Qui Cardinales cum audierunt, quod Pontifex erat apud claustrum fratrum, quod est intus conventum, obviam ei iverunt collegialiter, et praecedente Pontifice eum sequebantur, qui ingressus est ecclesiam per portam parvam, quae est apud chorum in conventu, ubi aqua benedicta se aspersit, ministrante aspersorio Illustrissimo Cardinali Columna priore presbyterorum Cardina-* *Ex diario Sixti V.*

lium praesentium. Deinde recta via ivit ad altare majus dictae ecclesiae, ante quod in faldistorio oravit, et facta oratione accessit ad altare. . . . . et incepit missam, quam legit. . . . Finita missa . . . . genuflexit in faldistorio ante altare: duo vero cantores retro Papam genuflexerunt, et inceperunt cantare genuflexi litanias, quas postea omnes cantores in processione cantando prosecuti sunt. Ex hac jubilaei celebritate, quam suae assumptionis initio omnium primus inter Pontifices indixit, docuit Sixtus, quod postea compertum fuit, se nimirum in sui pontificatus munere nihil aliud quaerere, nisi Dei gloriam, et reipublicae christianae salutem ac utilitatem. Processio haec eleganti pictura expressa est in bibliotheca Vaticana hoc disticho inscripto

Vanespen part. 2. tit. 7. c. 4. §. 22.

Sixtus regnum iniens indicit publica vota,
Ponderis o quanti vota fuisse vides!!

XVIII. Quoniam vero in ecclesiastica ditione valde ingens aliquibus in antecessum annis erat perditissimorum hominum copia, vagi, obaerati, exules, capitalia ausi, plerique ad praedam rapinasque congregati, incendia, caedes terroremque ferendo, non modo fertilissimos Italiae campos, verum etiam castella, urbes, et ipsa denique Roma per summam indignationem infesta reddiderant, magnaque etiam erat omnibus fere locis gladiorum impunitate, et superato legum auxilio alacris tamquam in victoria volitabat improbitas, et hos provinciarum optimates, capita factionum, ac denique reguli ipsi fovebant, ut eos radicitus evelleret Sixtus, gravissima constitutione: *Hoc nostro* calendis Julii proponi jussit, qua poenas innovavit omnium aliarum, quae editae fuerant, suorum decessorum contra hujusmodi scelestos. Ut vero eos plenius exterminaret, statuit severissima, levibus etiam de causis, exerceri judicia, precibus pretioque nullum dari locum, sublatis asylis, maleficos atque sicarios palam resistentes occidi, fugientes retrahi, latitantes indagine cingi; interim gravia supplicia cognatis ipsorum amicisque, si quempiam hospitio recepissent, aut alia juvissent ope, proposuit. Quo factum est, ut Pontifex tantam apud omnes opinionem concitaverit, ut qui etiam abdito occultoque in loco forent procul ab omnium oculis, ipsius Sixti V. nominis recordatione, non modo a maleficio, si fortasse animo concepissent, sed a mala etiam agendi cogitatione deterrerentur.

Spondanus tom. 3. par. 5. n. 16.

XIX. Cum igitur intra annum, quod est vere mirandum, S. R. Ecclesiae provincias tranquillas et a facinorosis ferme expurgatas reddidisset, ad conferenda populo romano publica beneficia illico intendit animum. Ac primo quidem aere suo domum Montis Pietatis, quae certam sedem non habebat, pro sublevanda egenorum inopia coemit ac stabilivit.

SIXTVS. V PONT. MAX.
AD SVBLEVANDAM
PAVPERVM INOPIAM
MONTIS PIETATIS INCERTA
IN HANC DIEM SEDE
PROPRIVM HOC DOMICILIVM
AERE SVO DICAVIT
MDLXXXV. PONT. AN. I.

XX. Ad Urbis interim commodum et Basilicarum ornamentum duas hoc anno vias, quarum altera Felix appellata, ab aede SS. Trinitatis in Monte Pincio aperuit;

SIXTVS V. PONT. MAX.
VIAM APERVIT RELIGIONI
ORNAMENTO
COMMODITATI

SIXTVS V. PONT. MAX.
QVOD VIAM FELICEM
APERVIT STRAVITQ.
PONT. SVI ANNO I.
MDLXXXV.

XXI. Alteram stravit a Basilica Liberiana ad templum S. Mariae Angelorum.

SIXTO V. PONT. MAX.
VIAS VTRASQ ET AD S. MARIAM
MAIOREM ET AD S. MARIAM
ANGELORVM AD POPVLI
COMMODITATEM ET DEVOTIONEM
LONGAS LATASQ.
SVA IMPENSA STRAVIT
AN. MDLXXXV. PONT. I.

XXII. Praecipua tamen animi solicitudine incubuit Sixtus ut in Galliarum regnis vinculum pacis renovaretur, fidesque catholica haereticorum opera depravata suo nitori restitueretur. Variis principibus summisque viris ad tuendam fidem, et ad reducendos ad bonam frugem devios interim usus est Pontifex. Episcopis Spirae et Argentinae jubet, ut haeresim libidinosam quorumdam sacerdotum variis in partibus eructantium coerceant, de quibus, licet in erroribus protestantium educatus, questus erat marchio Badensis apud Pontificem, qui precibus et exhortationibus ita erga eum egit, ut ad catholicae fidei unitatem adduxerit. Carolo archiduci Austriae de fidei suae zelo gratulatur, eique grates agit de duobus haereticis perditissimis, Vergerio Hojonae ecclesiae canonico, et Liciniano medico, Pontificis Nuntio ad haeresim ejurandam traditis. Postremo Annam Poloniae Reginam enixe exorat, ut curet, ne princeps Sueciae a matre catholica pie sancteque institutus, eaque orbatus, a susceptae fidei morumque disciplina improborum consiliis abducatur. *Tempesti loc. cit.*

XXIII. Ut autem ea, quae olim vel a S. Zacharia, vel, ut aliis placet, a S. Lino Pontificibus statuta fuerant circa SS. Apostolorum limina, nimirum quod episcopi totius orbis nuper sacro oleo delibuti sacramento adstringebantur visitandi SS. Apostolorum sepulchra, suorum ovium fidem et mores summo ecclesiae Capiti aperiendi, et Pontificis oracula pro illius gregis salute audiendi, ob temporis vicissitudines obsoleta, restituerentur, gravissima constitutione: *Romanus Pontifex* XIII. calendas Januarii statuit tempus visitandi Urbis limina. Cavit igitur Pontifex, ut

episcopi, archiepiscopi etc. Germaniae, Galliarum, Hispaniarum, Hungariae, Angliae, et aliarum provinciarum Europae, et citra mare Germanicum et Balticum, et totius Insularum mediterranei maris quarto post anno; ut episcopi remotiores Europae, Africae, Insularum maris oceani septemptrionalis et occidentalis Europae et Africae citra continentem novi Orbis, quinto post anno; ut alii denique ex totius Mundi partibus, anno post decimo.

XXIV. Labente hoc anno habens Sixtus xv. calendas Januarii consistorium, Cardinales octo generis splendore, doctrina, virtutibusque praestantes creavit. Eorum nomina sunt Henricus Cajetanus Romanus, Bonifacio Cajetano Simonetae duce natus, presbyter cardinalis S. Pudentianae, titulo Pastoris adeptus. Eo usus est Sixtus tum pro legatione Bononiensi, tum etiam pro componendis catholicae fidei negotiis in Gallia. Eadem die electus fuit, instante Rodulpho II. Georgius Drascovitius Hungarus, comes Baroniensis, eximiae doctrinae et eloquentiae vir. Viennae decessit hoc anno, vel an. MDLXXXVII. antequam in Urbem veniret, cardinalium galeram suscepturus; Joannes Baptista Castruccius Lucae nobili prosapia genitus, summi ingenii, placidissimi moris, et in rebus forensibus singulari prudentia exornatus, titulum S. Mariae de Aracoeli obtinuit; Federicus Cornelius ex gente Senatoria Venetiis ortus, pietate et doctrina dives, adscriptus cardinalibus presbyteris titulo S. Stephani in Monte Coelio; Dominicus ex illustri familia Pinelli Genuae natus, pluribus muneribus functus sub Pio IV. et V. Pontificibus, titulo decoratus S. Laurentii in Pane et Perna. Missus a Sixto in provinciam Flaminiam, duorum mensium spatio cui praesedit, illam ditionem sicariis plenam, pacatam reddidit; Hippolytus de Rubeis Parmensis, majorum nobilitate, virtutibus atque eruditione clarus, presbyter cardinalis titulo S. Mariae in Portico renunciatus; Decius Azolinus nobilis Firmanus, antea a secretis Sixti nondum Summi Pontificis, adlectus inter presbyteros cardinales titulo S. Marthae in Merulana. In diariis Sixti de ipso legitur: *Movit Pontificis animum Azolini acerrimum ingenium, summa in rebus gerendis dexteritas, animi constantia, morum gravitas.* Postremo Hippolytus Aldobrandinus Fani natus, oriundus tamen Florentia nobilibus apprime parentibus. Traduut eum oblatum a patre in adolescentia Paulo IV. Pontifici, ut apostolica benedictione donaretur, futurum Romanum Pontificem hisce verbis renunciasse: *incumbe in studia, fili, ut christianam rempublicam gubernare aliquando possis.* Quod revera accidit, Clementis VIII. assumpto nomine. Presbyter cardinalis S. Pancratii titulo declaratus, eidem postea varia munia attribuit Sixtus in Polonia, et Austria.

Ciaconius tom. 4. colum. 151.

Idem ibid. colum. 152. et seq.

Tempesti lib. 11. num. 9.

Ciaconius ibid. col. 160.

XXV. Haec et alia tanti Pontificis acta ita miratus est Paulus Sacratius canonicus Ferrariensis, ut hoc eodem anno merito de eo ita scripserit in epistola sua ad Pompeium Rocchium Episcopum Cabillonensem. *Jucundissime mihi non modo fuere litterae tuae, antistes optime, atque doctissime mira certe suavitate conditae, quae mihi annunciaverunt te a Sixto V. Pontifice Maximo creatum esse* (episcopum); *sed magno etiam in ipsum amore inflammarunt, quem tantum Pontificem cur non veneror ac magnificiam? Nam cum est omnibus perspicuum, in eo sapientiam, prudentiam, clementiamque, atque humanitatem maxime elucere; tum duae res maximam mihi admirationem moveant, quod et justitiam mirifice colit,*

Sacratius epistol. l. 3 pag. 130. Bononiae 1585.

nihilque ipsa antiquius habet, et doctissimis atque integerrimis viris mirum in modum fovet, eorumque vehementer delectatur.

X VI. Haec cum pro veteri disciplina, ac avitae fidei puritate conservanda Sixtus perageret, aliquot franciscani fratres sedulam navabant operam eamdem fidem in efferatas gentes proprio etiam cruore disseminandi. Andreas de Ayala provinciae SS. Petri et Pauli filius, vir doctus et strenuus verbi Dei praeco, Indorum conversionem sitiens, Chichimecarum regiones perlustravit. Eorumdem idiomate brevi instructus, cum summa humanitate praeditus esset, eos facile suadebat ad oppida in planitie ac feraci in solo extruenda, ad insimul convivendum, templa ac gymnasia erigenda. Indigenorum sumptibus ad fidem Christi nuper conversorum coenobium, cui praefuit guardianus, aedificavit in regione Guaymotae eo fine, ut sacramenta neophitis sedulo ministrarentur, et militibus atque evangelicis operariis in interiora aditus pateretur. Haec cum prospere per sexennium egisset, quamplurimi Guaymotae in unum conspirantes decreverunt, die IV. Augusti laudatum Andream et socium laicum Franciscum Gil, a Gouzaga Aegidii appellatum, inter faciendum sacrum occidere. Immane facinus fratribus revelatum a quodam Indo eis familiare in causa fuit, ut Andreas aliquot Hispanos rogaret, ut eo in periculo eis opitularentur. Expleto missae offertorio, ad adstantes Indos de fide catholica tenenda, de homicidii execratione, ac de poenis tum a Deo tum ab hominibus inferendis gravissima habuit verba. Sacro jam absoluto, illi per quaedam latebra in conventum ingredientes, in religiosorum sanguinem ad instar luporum ululare coeperunt. Quibus auditis, uterque in sacrarium se recipiunt, et praevia sacramentali confessione, ad subeundam ab eorum manibus mortem, quam diligentissime sese disponunt. Dum autem et Ecclesiae et conventui ignem admovent satanae ministri, tunc Andreas crucifixum manu tenens, eorumdem scelus exprobravit. At illi pejores effecti, in illum irruentes, iteratis securium et clavorum ictibus die IV. Augusti occiderunt; deinde abscissum caput maun gestantes, choreasque laeti insimul ducentes hisce verbis ei illudebant: *eja age, si possis, ut nos ad ecclesiam venire, atque tuae doctrinae adesse compellas.* Interim socius ejus Franciscus Gil ab iisdem barbaris in interiora horti, ubi aufugerat, inventus, una simul cum sacristis Indis, et uno vel altero christifideli sibi adjuncto, sub eorum manibus gloriosum martyrium consummavit: deinde conventum expilarunt, et quidquid sacri in Ecclesia invenire potuerunt, in proprios usus converterunt, comminutis interim vel exustis Sanctorum immaginibus. Tunc temporis Franciscus de Tenorio eorumdem socius cum abesset a coenobio, ab impiorm furore liber evasit.

Andreas de Ayala Martyr.

Torquemada tom. 3. pag. 628. et seq.

Franciscus Gil M.

Gonzaga in prov. SS. Apost. p. 1302.

Franciscus de Tenorio.

Torquemada ibid. pag. 630.

XXVII. Similia tulerunt die XVIII. Januarii a Chichimecis Franciscus Donzelius, et Petrus Burgensis sacerdotes. Trajecerat ille ex Granatensi provincia in novam Hispaniam pro evangelizandis Indis. Electus guardianus conventus S. Philippi provinciae SS. Petri et Pauli, Mexicanam civitatem petiit, quaedam negotia cum pro-rege Martino Enriquez acturus. Confectis rebus, in socium sibi adscivit in itinere laudatum Petrum Burgensem, qui paullo ante ex S. Evangelii provincia ad illam transierat. Cum autem ad oppidum S. Michaelis iter contenderent, a Chichimecis circumventi, ac plurimis tormentis vexati, praepilatisque eorum sagittis transfixi, gloriose occubuerunt.

Franciscus Donzelius et Petrus Burgensis Mm.

Gonzaga ibid. pag. 1303.

2*

Bernard. Bertrandus Mart.

Gonzaga in prov. S. Evangelii pag. 1277.

XXVIII. Bernardus Bertrandus Cosin natione Gallus, pluribus ab hinc annis conversioni corumdem Chichimecarum ferventius intendebat ea in regione, quae ab Hispania Nova Cantabria nuncupatur. Ut primo eo accessit, a quibusdam ex ipsis officiose exceptus, per excelsa quibus abundat, montium loca, non sine ingentibus angustiis et periculis ipsi eum comitabantur. Inde ex hisce montibus discedens, obvios habuit Indos aliquot feros, qui statim arcus et sagittas in eum jacientes, ab emissis eorumdem sagittis repercussi sunt. Timore ac stupore ex hoc perciti atque confusi, continuo discessere. Bernardus progrediens, ad vallem quae Guadiana nuncupatur, pervenit, ubi sedulo incumbens animarum saluti, a furentibus turmis trucidatus, vitam commutavit cum morte. Hic non omnium primus martyr evasit, ut putat Gonzaga, nec in hanc novam regionem evangelizandi Dei verbum causa, sed Joannes Calerus martyrio item affectus in eadem valle anno MDXLI, sicut scribit Torquemada, intravit. Circa haec tempora sagittis confossus etiam fuit a Chichimecis Joannes Cerrato de Niebla sacerdos, dum eis praedicaret in Ecclesia Atotomilco.

Idem ibidem.

Torquemada ibid. pag 605.

Joannes Cerrato M.

Paulus de Azevedo Mart.

Agiologium Lusitanum ad diem 7. Februarii. Gonzaga p. 1303.

XXIX. Paulus de Azevedo, natus in civitate Portuensi in Lusitania et ibidem inter observantes cooptatus, animo conversionis gentium Insulam Verae-Crucis primum, deinde provinciam S. Evangelii petiit, in quibus verbo et exemplo infideles multos Jesu Cristo peperit. A majoribus cum tribus aliis fratribus missus in Novam Cantabriam, ac post rem feliciter gestam sub Francisco Pizzaro christiani exercitus Copulae praefecto, dum in Culiacanica regione efferatorum hominum instructioni operam suam conferret, ab ipsis infidelibus cujusdam Morascati occasione, qui Pauli verba perverse interpetrans eis referebat, sagittarum turbine dejectus, coronam martyrum adeptus est. Ejus individuus comes Joannes, a Gonzaga a Ferraria, a Torquemada ab Herrera dictus, professione laicus ejusdem Morascati causa a nonnullis Indis, quos tamen a viginti annis sacro baptismate regeneraverat, telorum vibratione interfectus est una simul cum aliis amicis Indis, Ecclesiae obsequiis incumbentibus. Cumque eorum fratrum corpora ibidem aliquanto exposita remanaissent, ea Hispani sepulturae mandarunt in Ecclesia Culiacanica. Quae cum agerent, reperierunt corpus invictissimi sacerdotis Pauli ita intactum, ut nulla vulnerum signa in eo adparerent.

Joannes ab Herrera M.

Idem ibid. Torquemada ibid p. 624.

Franciscus a S. Maria M.

Joan. Franciscus a S. Antonio tom. 2. pag. 212.

XXX. Primitias martyrum accepit hoc eodem anno ecclesia Insularum Philippinarum. Franciscus a S. Maria sacerdos Hispanus, unus ex illis apostolicis viris fuit, qui ex provincia S. Josephi illuc accesserat, ut evangelium praedicaret. Biennio Indorum conversioni vacavit; caeteros vero in educatione novitiorum Maniliae transegit. Missus inde cum Michaele de Talavera in Hispaniam, initoque mense Octobri portu Mohal insulae Bonae Fortunae (Borney), ne frustra tempus tereret, Christi fidem populis, mahumedis erroribus inquinatis, palam evangelizare incoepit. At ille repulsam passus, dum die quadam Franciscus orationi, ope cujus ab adolescentia donum cum Deo intimae unionis obtinuerat, flexis genibus instabat missae sacrificium mox perfuncturus, advenientibus regiis militibus, gladiis primum feriunt, mox accepta qua praecingebatur corda, colloque ejus circumligata, per vicos civitatis raptant, et in eo cruciatu mense Decembri, Deo gratias agens, martyrii palmam accepit.

XXXI. In coenobio S. Mariae Angelorum Maniliae quievit in Domino Franciscus Menor sacerdos, antea professus in provincia minorum observantium Castellae, asperrimo cilicio praecinctus, et charitate erga Deum et proximum fragrans. Quadragesimali tempore nihil coctum edebat, et aliquando triduo vel quatriduo inter hebdomadam nullum cibum capiebat. Eum in lethalem culpam nunquam lapsum fuisse ferunt. Ibidem pariter decessit Augustinus a Jesu sacerdos, in excipiendis die noctuque christifidelium confessionibus, non absque maximo animarum lucro occupatus, factus interim omnium tum infidelium, tum sodalium suorum virtutum et observantiae regularis exemplar eximius. Coelestia item petivit in eodem conventu Gregorius Menor sacerdos, aliquando in novitiorum cura diversatus. Altissimae paupertatis extitit summe zelator. *Franciscus Menor. Idem ibid. p. 221.* *Augustinus a Jesu. Idem ibid.* *Gregorius Menor. Idem ibid. p. 217.*

XXXII. Circa id tempus dies complevit suos Laurentius Beinvenida sacerdos Hispanus ex S. Jacobi provincia, qui ab anno MDXXXIV. cura fr. Jacobi Testera, una cum aliis quatuor franciscanis observantibus in Jucatanicam regionem evangelii praedicandi gratia se contulerat. Cum demandata ei fuisset civitas Meritae, accolas ejus brevi temporis spatio ad fidei lumen addnxit, et ibidem pro suis conventum titulo Matris Dei extruxit. Interim zelo Dei actus, tertio Hispaniam petiit, ut sodalium suorum delectum pro illa excolenda vinea haberet, cujus ope primo decem, inde duodecim, ac postremo triginta ex eis secum adduxit. Plures pro fratribus et neophitis domos extruxit. Hinc cum omnimoda regulari observantia floreret, et custodis, et diffinitoris, et guardiani munus semel et iterum obivit. Ingentem Indorum numerum Jesu Christo peperit, et in idololatriam relapsos ad gremium Ecclesiae reduxit. Guatemalae, Nicaraguae, Jucataniae, ac Costaricarum, ubi forsan laboribus fractus meritisque cumulatus promeritam a Domino gloriam accepit. Ad tantam penes Indos sanctitatis opinionem devenerat, ut velut ad novissimum eorumdem apostolum praecipua honoris signa ei exhibuerint. In conventu S. Antonii Cochimii in custodia S. Thomae in India Orientali die XIII. Martii decessit Petrus ab Amaranto Lusitanus laicus, in seculo inter armorum licentiam diu occupatus. Relicta militia, inter minores adscriptus fuit in conventu S. Francisci Goae, ubi tirocinio vix expleto, vir bonus et sanctus evasit. Mortificationis viam ingressus, nec carnes nec piscem unquam gustavit, vilioribus cibis tantum contentus, iisque cinere aspersis. Vigiliis et austeritate insignis, gratiis coelestibus fruebatur. Non semel per eum mirabilia Deus operatus est, inter quae narratur infantis et cujusdam mulieris, quae seipsam interierat, resurrectio. Post mortem venustus permansit ejus vultus, animae puritatis indicium; et cum ab omnibus velut sanctus haberetur, prope altare majus ejusdem Ecclesiae humatum fuit, cujus corpus integrum inventum fuisse post XL. annos, suavemque spirantem odorem tradunt scriptores. *Laurentius Beinvenida. Lopez in prov. S. Jacobi pag. 343.* *Petrus ab Amaranto. Agiolog. Lusitan. ad diem 13. Martii.*

XXXIII. Coelestia petivit in coenobio S. Francisci Valentiae die XXIX. Septembris Antonius Nunez, excultus theologus, et concionator fervidus. Poenitentiae operibus ac corporis macerationibus jugiter insistebat. Ex asperrimis cujusdam arboris corticibus compactum cilicium, quod pro femoralibus utebatur, ad carnem abscondite deferebat. Ferventi sua oratione daemones ipsum infestantes non semel fugavit, et dum prae senectute sacrificium missae conficere nequibat, quotidie ad suam devo- *Antonius Nunez. Monum. prov. Valentiae.*

tionem explendam sacra synaxi reficiebatur. Moerore conficiebatur, dum Melitam insulam a Mauris expugnari cognovit; at recreatus adparitione et colloquio S. Jacobi Apostoli sibi dicentis, Deum omne auxilium contra fidei hostes catholicis copiis fore daturum, non modicam exinde concepit laetitiam. Quoniam vero praecipua devotione prosequebatur S. Michaelem Archangelum, ideo ab eo meruit ejus diei obitus revelari, qui evenit in sacra S. Michaelis solemnitate. In conventu S. Francisci Chelvae ejusdem provinciae obiit Incognitus quidam laicus, pietate, humilitate, simplicitate ac devotione prope singularis. Curam hortorum ibidem gerens, cum saepius passeres semina olerum terrae mandata depascerent, Deum suum exorabat, ne similes aves pateretur ingredi hortum, sed longe ab eo abigere; quod extemplo obtinuit. Quae res cum a comite et patrono villae Chelvae velut fabulosa apprehensa esset, continuo famulis suis jussit ferre duas ex illis aviculis, quas ipsemet sequentibus se tradidit, dicens: *cum hortum ingressus fuero una cum guardiano et reliquis fratribus, dimittite passeres.* Verumtamen frustraneum periculum; nam illi vix in coenobii viridiarium immissi, obierunt. Haec ideo retulimus, ut innotescat, quanti apud Deum valeat deprecatio justi. In conventu S. Francisci Montiliae in provincia Granatensi obierunt uno eodemque die mensis Martii Andreas de Navarro sacerdos, et Antonius a Cruce laicus, ut infirmis et peste afflictis militibus in eodem regno sedulo opitularentur, quorum primus asperrimo cilicio velut altera tunica indutus erat; item peste decessit in pago de Cintra prope Ulyssiponam die XXVII. Januarii Thomas de Torres - Verdas, fervidus in oratione et in corporis afflictatione assiduus. In ara majori Ecclesiae conventus Leodiensis in provincia Flandriae tumulatum fuit corpus Petri Marcant ex oppido Cociniensi, qui eamdem Flandriae provinciam turbolentissimis hisce temporibus animo alacri, summaque solertia integro quatriennio administravit. Eximia praeditus doctrina ac pietate, spiritualibus laboribus jugiter vacabat, ac in cathedrali Leodiensi templo frequentes conciones ad christifideles habebat. Ejus jacturam luxerunt cives, turmatim ad funus accurrentes.

Incognitus laicus. *Idem ibidem.*

Andreas de Navarro, et Antonius a Cruce. *De Torres in prov. Granat. pag. 374.*

Thomas de Torres Verdas. *Agiolog. Lusit ad diem 27. Januarii.*

Petrus Marcant. *Monum. prov. Fladriae pag. 46.*

XXXIV. Sub vesperas diei II. Augusti in conventu S. Joannis Baptistae Valentiae coelestia petivit Joannes Pastor sacerdos, qui pluries in eadem provincia guardiani et diffinitoria munia inculpate obivit. Extitit puritatis, paupertatis, abstinentiae, continuaeque orationis amantissimus. Humilitatis et patientiae donis cumulatus, sive in asperis objurgationibus, sive in laboribus plurimis sustinendis, aequo animo semper fuit. Georgius Dennis ex nobili et pervetusta familia Devonschicrense natus, sub Henrico VIII. Angliae rege, cum Boltoniam obsideret, militavit. Relicta militari vita, cunctisque, quibus affluebat, temporalibus despectis, iniit consilium inter franciscanos observantes cooptari. Voti sui compos factus, eorumdem habitum assumpsit anno MDLVIII. in Grenovicense conventu. Verum cum Elisabethae reginae decreto anno MDLXIX. edito pulsi fuissent sacerdotes catholici, aedes religiosorum dirutae, vel ab haereticis subtractae, et Grenovicense coenobium suppressioni obnoxium, Georgius habitu franciscanorum indutus exilii poenas subiit, ac cum aliis quibusdam suis consodalibus Brabantiam advenit. Leodium appulsus, inter vitae asperitatem dierum plenus hoc anno ibidem beate obiit. Quiescit in Ecclesia ejusdem conventus, ubi fr. Franciscus a S. Clara se vidisse ad tumulum ejus epita-

Joannes Pastor. *Joannes a S. Maria in chron. prov. S. Josephi lib. 2. cap. 49.*

Georgius Dennis. *Daremport in hist. minorum pag 55. Londini 1726.*

Spondanus ad hunc ann. num. 9.

phium, et plura de ejus exemplari vita audivisse a germano suo etiam in exilium misso tradidit.

XXXV. Cum sanctitatis opinione decesserunt inter fratres minores capucinos in conventu Florentiae Angelus a Forolivio sacerdos, vitae candore ac integritate ita praestans, ut angelici nominis rem et laudem sibi plane comparaverit. Algerium ad captivorum redemptionem destinatus, munus sibi commissum summa cum laude explevit. Antequam animam Deo redderet, perfrui meruit visione B. Virginis, S. Josephi, ac S. Patris Francisci; Algerii Petrus Placentinus sacerdos, qui ibidem unius anni tempore captivorum redemptioni incumbens, eis verba vitae ministrabat, aegrotos solabatur, vacillantesque in fide confirmabat. Dum peste laborantibus inserviret, eodem morbo correptus, octiduo tulit patientia summa acerbissimos morbi dolores, et illa decantans verba Prophetae: *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, spiritum Deo reddidit; item Sebastianus Faventinus sacerdos, vir admirabilis austeritatis, assiduae orationis, profundaeque humilitatis.

Angelus a Forolivio. *De Arembergh tom. 2. pag. 383.*

Petrus Placentinus *Idem p. 382. Ann. min. ad an. 1584. num. 34.*

Sebastianus Faventinus. *Idem pag. 441.*

XXXVI. In conventu Colonii Brixiensis Agri angina correptus fuit Albertus Bergomas provinciae Mediolanensis, in verbo Dei disseminando apostolico spiritu praeditus. Nunquam suggestum ascendit, nisi ferventi oratione praemissa; unde factum est, ut in vitiis evellendis, animisque ad poenitentiam provocandis eximius evaserit; in eadem provincia obierunt Ludovicus Mediolanensis, et Lucidus a Luciniano laici, quorum primus extitit praecipuus obedientiae et abstinentiae cultor; alter vero vitae austeritate, ac regulari observantia clarus.

Albertus Bergomas. *Idem pag. 212.*

Ludovicus Mediolanensis et Lucidus a Luciniano. *Idem pag. 563.*

XXXVII. Aretii in provincia Tusciae corporis exuvias deposuit Joannes a Novocomio sacerdos et concionator. Is nobilibus ortus parentibus, anno aetatis suae XVI. sponsam quam invitus duxerat intactam relinquens, eadem die ad conventum capucinorum aufugit, habituque impetrato, mox corpus abstinentia, flagellis, vigiliis, atque omni asperitatis genere aggreditur. Ad praedicationis officium destinatus, eam in dicendo vim a Domino assequutus fuerat, ut facile audientes ad fletum compelleret. Dono lacrymarum et ipse imbutus erat, quas cum minime cohibere valeret, a praedicationis munere aegre se continere debuit. Ferunt ligneam crucifixi imaginem in choro conventus Pisae insidentem extendisse brachium a cruce avulsum ad illius amplexum; praenuntiato mortis suae die excessit Liberius a Cortona sacerdos, qui tanta erga Eucharistiae sacramentum religione ferebatur, ut sacro altari, ubi illud adservari solet, terga nunquam verteret, et corporalia ac sacras pallas etiam a parochis peteret emundanda, ut summa munditie sacra mysteria Deo libarentur; Montuni ad Deum migravit LXXX. aetatis anno Sanctes Monopolitanus laicus, antea inter observantes virtutibus florens, adscriptus; inde factus capucinus, semitam arripuit humilitatis, paupertatis, sui despectus, obedientiae, morum honestatis, ac vitae asperitatis. Saepe ad Deum elevabatur. Multa praedixit, deiu eventu comprobata. Ejus corpus jacens adhuc in feretro, deosculatum a quadam muliere strumis affecta, protinus sanato gutture, a morbo liberata est.

Joannes a Novocomio. *Idem pag. 214.*

Liberius a Cortona *Idem pag. 440.*

Sancies Monopolitanus. *Idem pag. 561.*

XXXVIII. Ad astra migravit Savonae in provincia Genuensi Augustinus de Albintimelio, provinciarum Genuensis et Etruriae saepe vicarii provincialis ac commissarii titulo decoratus, quibus in muneribus ita exemplis

Augustinus de Albintimelio. *Idem pag. 90.*

virtutum praeluxit, ut immortalem sibi famam apud omnes comparaverit. Morti proximus, cum daemonum turbam in se irruentem vidisset, et exclamasset: *Deus in adjutorium meum intende*, ei B. Virgo adparens, illa protinus turba evanuit; tertio post obitum anno, ipsius corpus inputre repertum fuit. In conventu Genuae septuagenario major pietatis quietem accepit Zacharias a Trebiano, paupertatis, abstinentiae, charitatis praesertim in infirmos, eximius cultor. Pluries inculpate munia exegit guardiani, diffinitoris, et provinciae vicarii. Licet ex itinere defatigatus, diurnis tamen et matutinis horis, communibus orationibus, ac flagellationibus praesto aderat. Quaedam futura praenovit, et abdita quoque manifestavit. Novitium a valida tentatione actum, imposito professionis capucio, liberavit; item piis laboribus plene consumptus obiit Genuae Marianus, natus in eadem civitate, qui cum maximo animarum fructu ex mandato Cypriani Pallavicini Genuensis Archiepiscopi concinnavit *Doctrinam christianam pro pueris et idiotis in fide instruendis*, editam Genuae an. MDLXXX apud Bellonium; postremo decessit in eadem provincia Joannes Maria a Mauretta, oppido Pedemontii, sacerdos probatissimae vitae, qui morti proximus illud Prophetae protulit: *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Zacharias a Trebiano. Idem pag. 413.

Marianus Genuensis. Idem pag. 487. Sbaralea lit. M.

Joan. Maria a Mauretta. De Arembergh p. 441.

XXXIX. Romae fi iem vitae complevit Michael Hispanus Neapolitanae provinciae filius, excellentis ingenii, praeclarae eruditionis, morumque suavitatis. Sacram facultatem suos docuit, quamplurimosque verbi Dei praecones in ordine progenuit. Scripsit *tractatum de praedestinatione*, quem *mss.* extare dicunt auctor bibliothecae capuc. et Joannes a S. Antonio. Alterum brachium ariditate laborantem, ut neque concionatorium munus obire, neque ministerio altaris incumbere posset, cum haberet, Deum praecatus est pro ejus incolumitate, quam illico obtinuit. Verum cum illi in mentem venisset, se brachii sospitatem absque Dei beneplaciti conditione postulasse, Deum iterum rogavit, ut nulla habita ratione collatae gratiae, id tantum faceret, quod divinae suae majestati magis esset gratum. Quibus expletis, iterum brachium ad ariditatem devenit; ipse vero majores Deo gratias agebat; in provincia Neapolitana quievit Antonius a Cepalunio, multis virtutibus et praedicationis fructu clarus, qui suis precibus puerum hectica febri patientem incolumitati restituit; Histonii in provincia Barensi, dum praedicationi incumberet, morbo correptus est Marcus Terlitiensis, omnigenis virtutibus excultus. Numquam ad Dei verbum disseminandum accedere solebat, quin prius duarum horarum spatio in oratione detineretur. Daemonum astus Deiparae invocatione eludebat.

Michael Hispanus. Idem pag. 386. Sbaralea lit. M.

Antonius a Cepalunio. De Arembergh p. 387.

Marcus Terlitiensis. Idem. pag. 384.

XL. Sponso Christo adhaeserunt hoc anno in coelis in monasterio de Jesu Mediolani die x Februarii Scholastica virgo ibidem nata, magna pietate vitaeque austeritate nota. Jugi meditationi, orationi, ac perfectioni regulari addicta sic erat, ut brevi tempore sororum suarum evaserit virtutum exemplar. Ejus corpus tumulatum in communi sororum sepulchro, ob crebra quae in dies edebat prodigia, translatum fuit, perpulchro instructo sarcophago, ad lateralem parietem ejusdem ecclesiae; die x Augusti in eodem asceterio obiit Laura Felix de Saulis, omni virtutum genere praedita; ibidem die XIII Novembris quievit Angela Caecilia a Reinis, quae pietate ac devotione referta, ad summae perfectionis apicem ascendit, quaeque sui obitus diem praesago spiritu praedixit; suae spectatissimae vitae caeteris

Scholastica Mediolanensis. Gonzaga in prov. Mediolanensi monast. 2.

Laura Felix de Saulis. Idem ibid.

Angela Caecilia a Reinis. Idem. ibid.

sororibus desiderium reliquit; in monasterio SS. Trinitatis Tridenti die xxix. Julii hoc anno juxta Vigilium Greiderer Martha de Gandino, in sanctis operibus jugiter occupata. Saepe a daemonibus verberibus affligtabatur; numquam tamen a coelesti sponso divelli potuit. Humilitati, orationi, et charitatis ministeriis intenta, ampla merita sibi congessit, et plenam a Deo mercedem obtinuit.

Martha de Gandino. *Greiderer tom. 2. pag. 59. num. 85.*

XLI. Apud S. Clarae Tordesyllarum monasterium in provincia Conceptionis obdormivit in Domino xxiii. Junii Maria a Queto, de qua Bollandistae solum nomen habent. Summa religione, singularique sanctitate inclaruit. Quae cum acerbissimam Christi Domini passionem ejusque ineffabilem hominum redemptionem coram Crucifixo intensius meditata fuisset, ac copiosissimas lacrymas, quod plurimi oblato pretio abuterentur, effunderet, vocem quamdam sibi dicentem audivit: *mensa quidem parata atque pecunia in promptu est; qui igitur colligere voluerit, colligat.* Ulmati in territorio Abulensi ejusdem provinciae ad coelestia advolavit in monasterio S. Elisabeth de Jesu die xxii. Novembris Maria Raguel, a Deo certior facta de obitus sui die. Virtute charitatis erga pauperes apprime refulsit.

Maria a Queto. *Acta SS. ad diem 23. Junii. Gonzaga in prov. Conceptionis monast. 4.*

Maria Raguel. *Monum. prov.*

XLII. In monasterio S. Clarae de Andujar provinciae Granatensis coelum petivit Joanna Baptista a Cruce ejusdem monasterii abbatissa, simplicitate vitae spectabilis, ex cujus sepulchro suavis odor scatebat; ibidem obiit Leonora Daza, humilitate, et vitae probitate eximia. Gravi infirmitate in choro, ubi assiduo orationi et contemplationi vacabat, correpta, et ad valetudinarium delata, mox decessit lecto illi, quod sibi legi postulaverat, evangelio vigiliae Pentecosten; in monasterio S. Joannis de Poenitentia de Cazorla laudatae provinciae Birgitta Tellez, summae perfectionis virgo, a daemone visibiliter exagitata; eodem anno, et eodem loco unita est sponso Christo in coelis Beatrix de Padilla, nobilibus parentibus progenita, at nobilior virtutibus; nam poenitentiae operibus plurimum delectabatur. Adventus et quadragesimae tempore, ut juge silentium exacte servaret, parvum lapidem in ore assidue portabat.

Joan. Baptista a Cruce. *De Torres in prov. Granat pag. 510.*

Leonora Daza. *Idem ibidem.*

Birgitta Tellez. *Idem ibid. p. 649.*

Beatrix de Padilla. *Idem ibidem.*

XLIII. Setabis in monasterio S. Clarae provinciae Lusitanae migravit e vita Mensia a Conceptione, omni virtutum genere praestans. Emicuit prae caeteris oratione, corporis castigatione, animi demissione, et mansuetudine. Pluries rexit monasterium, et a suis majoribus missa ad reformandum collegium virginum S. Clarae Portuensis, illud ad primaevam regulae puritatem adduxit; die xxiii. Februarii obiit in monasterio Jesus Maria de Setuval provinciae Algarbiorum Helena a Cruce, passionis Christi quam assidue recolebat, ejusque dolores sensibiliter patiebatur, devotissima. Multis precibus et meditationibus se dabat, antequam sacra synaxi reficeretur; in monasterio de Reynoso in Gallia Narbonensi die xiv. Julii decessit Catharina de Bertavillo, relicta magna suae pietatis ac virtutis opinione.

Mensia a Conceptione. *De Experanza t. 1. pag. 547.*

Helena a Cruce. *Agiologium Lusit. ad diem 23. Febr.*

Catharina de Bertavillo.

XLIV. Lucem aspexit hoc anno, nobilibus parentibus, Marco-Antonio Marescotti Vignanelli comite, et Octavia Orsini Romana, S. Hyacintha, cui in baptismate Claricia nomen tributum fuit. Haec licet reluctans, majorum suorum imperio cedens, ingressa est in monasterium S. Bernardini Viterbiensis, aetatis suae anno xx., ubi tertii seraphici ordinis induta vestibus ita saeculi vanitatibus indulsit, ut sororum suarum et praecipue

germanae suae Innocentiae illic professae, religiosae perfectionis exemplo et ad sectandam virtutem adhortatione nihil commoveretur. At confessarii sui p. Antonii Bianchetti ex minorum observantium familia gravi commonitione perculsa, factaque super eam manu Domini, mox ita poenitentiae ac virtutis viam arripuit, ut brevi tempore sanctitatis culmen attigerit. Vitales item auras accepit hoc anno Richardus Trouue Nivellensis Belga, a S. Anna dictus, qui primum inter minores observantes laicos adscriptus, ac postea in sacerdotali dignitate constitutus, pro fidei catholicae propagatione ac defensione pluribus in nova Hispania exantlatis laboribus, martyrii lauream in remotissima Japoniorum regione obtinuit.

Ann. min. ad an. 1584. num. 3.
Gonzaga p. 1360.
Conv. Phernambuci.
Monum. mss. provinciae pag. 133.
Gonzaga p. 1361.

XLV. Diximus p. Melchiorem a S. Catharina Lusitanum, praesidem custodiae S. Antonii Brasilis mense Aprili una cum aliis franciscanis advenisse Phernambucum, locumque obtinuisse in xenodochio eidem civitati proximo. At paullo post, teste Gonzaga scriptore coevo, *ad aliam* (domum) *ab onesta quadam tertiaria franciscana ante aliquot annos instructam, et a devotis quibusdam feminis inhabitatam, ipso seraphici patris Francisci die ejusdem anni millesimo quingentesimo quinto se contulere. Construxerat quidem praefata tertiaria hujusmodi domum eo fine eaque mente, ut franciscanis patribus, cum primum ad eas partes transfretassent, conferretur.* Aderat tunc Franciscus a Sanctis sacerdos perfectissimae vitae item Lusitanus socius laudati custodis, qui cum aedificiorum structuris excultus esset, domum hanc ex eleemosynis summa liberalitate oblatis ad coenobi formam redegit. *Adjacebat*, prosequitur Gonzaga, *huic domui pulcherrima ecclesia, omnique ex parte perfecta a praefata tertiaria in honorem S. Mariae ad Nives aedificata. Hanc cum quidam alterius religionis patres, antequam nostri ad his partes transfretarent, a se instantissime petiisent, numquam tamen eam impetrare potuerunt: ejusque rei in causa fuit, quod ipsa quasi praesago spiritu fratrum nostrorum ad has partes adventum praevidisset, mordicusque assereret, voluisse se quidem illis habitntionem praeparare, ne, dum circa conventus aedificationem solicitius occuparentur, a divini verbi praedicatione abstrahi se contingeret. Alluitur denique haec sacra domus maritimis fluctibus, atque in praecipua totius oppidi parte sedem obtinet: qua etiam de causa a fidelibus maxime frequentatur, decemque fratres, qui die noctuque tum infidelium illorum populorum, tum quoque fidelium saluti invigilant, commodissime continet. Ab hoc conventu orientem versus invenire licet Bajae, quae maritima civitas est, distatque ab hoc loco 300 milliaria, eoque amplius, pulcherrimam aliam ecclesiam, quam minorita quidam natione Hispanus, dum istac transiret, aedificandam curavit. Hanc etiam Bajani cives ad conventus dignitatem promovere affectantes, in dies tum litteris, tum quoque nuntiis instant, ut aliquot ad se fratres mittantur, qui hujusmodi operi intendant. Sunt quoque et quamplurima istis in partibus oppida, quae idipsum obnixe petunt: quibus tamen ob fratrum penuriam satisfieri non potest.* Verum hac de re suis in locis loquendum erit.

Ann. min. ad an. 1584. num. 3.

XLVI. Appulerunt hoc eodem anno die v. Octobris Malacanam civitatem Didacus a Conceptione custos, sociique ejus anno transacto a generali ordinis administro missi, ut eorum opera christifideles in fidei firmitate consisterent, et ut coeteri idololatrae ad sinum ecclesiae adducerentur. Hinc

Didacus collato cum regis catholici gubernatore, Episcopo, caeterisque illius civitatis fidelibus actum fuit de mittendis operariis evangelicis diversas in Insulas Maurorum erroribus inquinatas, ut nova Christi Ecclesia exurgeret; quod et anno insequenti perstiterunt.

Monum. mss. prov. Arrabid. p. 190.

XLVII. Inito Beverae inter Alexandrum Parmensem supremum Belgi gubernatorem, et Antuerpienses cives pacis foedere, inter caeteros articulos xxvii. alter erat, ut praelati, collegia, monasteria, templa, nosocomia, aliaque pia loca, personae ecclesiasticae et saeculares, omnia bona sua ubicumque locorum inventa, repetere, sibi vindicare, et tranquille uti et frui valerent, licet ea alienata fuissent. Vulgato foedere, minores observantes provinciae Germaniae inferioris recuperarunt conventum Antuerpiensem, a quo expulsi fuerant a principe Auriaco; qui quidem etsi armorum vi pene dirutus, fratrum opera refectus, continendis tamen xxx. capax extitit. Ante summum altare in choro legitur epithaphium D. Idelphonsi ducis Cordubae ex regia Aragoniorum prosapia genitus, qui in obsidione Antuerpiensi multa passus, pridie nonas Octobris diem clausit extremum. Etiam Clarissae obtinuerunt monasterium in eadem civitate positum, a quo, ut a periculis instantibus sese eriperent, abierant Treviros ad clarissarum collegium, cum quibus ultra triennium cohabitarunt. Commorantur lxx. sorores.

Haeraeus tom. 2. pag. 383.

Conv. Antuerpiensis. *Ann. min. ad an. 1578. num. 90.*

Monast. Antuerpiense. *Ann. min. ad an. 1455. num. Monum. prov.*

XLVIII. Rediit ad observantes in eadem provincia conventus Bruxellensis solo ferme aequatus, civium munificentia elegantiorique forma, quam antea reparatus. Continet lxxxviii. fratres. Hoc eodem anno sese contulerunt ad monasterium Bruxellense moniales clarissae, a quo ob bella civilia excesserant. Sedem tamen posuerunt eo ipso in loco, ubi fatres Hieronymiani coenobium et gymnasium litterarum olim habuerant, Nazarethanum, sive Annuntiationis B. Mariae Virginis appellatum, haud procul a parochiali Ecclesia S. Gaugerici, accedente auctoritate Archiepiscopi.

Conv. Bruxellensis. *Monum. prov.*

Monast. Bruxellense. *Gallia Christiana tom. 5. pag. 119.*

XLIX. Mechlinense coenobium positum in laudata provincia denuo incoluerunt et ipsi, a quo per quinquennium exules fuere. Loca illius sacra ab impiis profanata, Reverendissimus D. Joannes de Hauchum archiepiscopus civitatis reconciliavit, atque ex eo tempore fratres admoverunt manus ad reparanda universa ab haereticis devastata. Conventus et Ecclesiae aedificia, Senatus et populorum oblationibus in meliorem quam antea structuram surrexere. Ad monasterium Mechlinense etiam redierunt moniales clarissae. Fertur, tempore quo ipsae ab eo aberant, fulgens quoddam lumen in monasterii choro singulis noctibus insedisse, horasque canonicas diurnas ac nocturnas Angelorum ministerio decantatas fuisse; cujus rei novitate commoti cives, tanto numero eo confluebant, ut haeretici concurrentium vestimenta abripere, armata manu populum repellere, multamque pecuniam imponere coacti fuerint. Degunt ibidem xl. moniales. Cum sanctitatis opinione hoc in loco decessit Margarita Horix, quae postquam efflavit animam, mirus splendor diu adparuit in valetudinario ejus monasterii, viciuis christifidelibus monialibusque mirantibus.

Conv. Mechlinensis. *Monum. prov.*

Monast. Mechlinense. *Ann. min. ad an. 1500. num. 18.*

Monum. prov.

Margarita Horix.

L. In provincia Austriae observantes recuperarunt, auspice Carolo archiduca Austriae ac Styriae duce, conventum S. Joannis Baptistae Jundenburgi, quem sectatores Lutheri in Styria superiori degentes, ejectis fratribus, rebus omnibus spoliarunt. Martinus Klein coenobii praeses,

Conv. Jundenburgensis. *Greiderer tom. 2. n. 112. p. 327.*

praefato duci in supplici libello miseram Ecclesiae et conventus statum exponens, eum rogavit, ut adjutricem manum porrigeret ad utriusque fabricae reparationem. Annuit piissimus princeps, datisque litteris jussit, ut fratrum non solum communi sed et particulari indigentiae consuleretur, ruinosa reficerentur, ablata restituerentur, ligna et alia ministrarentur.

Monum. prov. Mediolanensis.

LI. Incolae oppidi Ortae Novariensis dioecesis pia devotione ducti excogitarunt quasdam aediculas in monte non longe positum ab eodem oppido, in honorem alicujus praestantissimi sancti viri, ad instar Varalli oratoria, aedemque pro una religiosorum familia excitare. Collatis inter se consiliis, die xxvi. Maii haec communi omnium voto statuerunt. « Capientes executioni demandare votum intentionemque communitatis et hominum Hortae de efficiendo monasterium et cappella super monte S. Nicolai terrae Hortae, in quo monasterio adesse debeant fratres minores ordinis observantium, deputarunt et elegerunt D. Julium Gemellum fil. q. magnifici D. Josephi, D. Bartolomaeum de Fortibus, D. Franciscum de Bianco, Jacobinum Gemellum, D. Antonium Massiolium, D. Philibertum Tartagnan, et D. Guglielmum de Forte cum facultate scribendi ad M. R. P. ministrum praememorati ordinis Prov. Mediolanen. pro impetrando votum de dicti monast. conficiendi, nec non et ad confirmandum cum quibusvis particularibus personis omnium pecuniarum collectam sive summam non alias sponte . . . . . . exhibitam, quam in futurum exibendam omni meli. mod. etc. necnon ad dictas collectas exigendas ». Anno mdxc. a Caesare Spaciano Episcopo Novariensi positus fuit primus lapis pro conventu capucinorum, et anno insequenti data fuit opera sacris aediculis, in quibus acta notantur sculptis imaginibus seraphici Patris Francisci, quorum postrema anno mdcclx. completa fuit.

Conv. Conceptionis.
Gonzaga in prov. SS. Trinitatis de Chile conv. 2.

Conv. Populae de Angelis.
Idem in prov. S. Gregorii conv. 6.

Joan. Lopez in chron. prov. pag. 396.

Conv. de Tichel.
Conv. de Human.

LII. Circa hoc tempus exordium sumpsit in provincia SS. Trinitatis de Chile observantium coenobium intra moenia civitatis Conceptionis, multo elegantior et commodior alio, quod anno mdlxx. una cum civitate disjectum fuit terrae motus impetu. Incolitur a vi. fratribus. Michael de Talavera commissarius custodiae S. Gregorii Insularum Philippinarum ex eleemosynis sibi oblatis excitavit intra septa civitatis Populae de Angelis conventum titulo S. Francisci pro xvi. fratribus. Sponte hoc anno cesserunt fratres provinciae S. Josephi de Jucatan Gregorio de Montalvo ordinis Praedicatorum Episcopo de Jucatan conventum S. Francisci Chemzonote pro presbyteris saecularibus suae dioecesis. Fratribus tamen accesserunt hoc eodem anno in eadem provincia conventus Conceptionis de Tichel, et conventus S. Francisci de Human.

Conv. Messapiae.
Monum. prov.

Conv. Oppidi S. Viti.
De Fatanoin prov. S. Nicolai p. 68

LIII. Expensis Beatricis Farnesiae Vetranae dominae fundatum extitit pro eisdem observantibus coenobium S. Mariae de Loreto in terra Messapiae dioecesis Brundusinae in provincia S. Nicolai. Anno mdcxxvii. datum fuit fratribus reformationis a generali ministro Benigno a Genua. In eadem provincia initiata est hoc anno aedes titulo S. Mariae de Gratia in oppido S. Viti dioecesis Tranensis, ex testamento Lucii Palagnani, qui filiis suis mandaverat, ut in civitate Trani illam aedificarent. Verum cum ibidem et alterum coenobium observantes haberent, ex apostolica auctoritate Gregorii XIII., Franciscus Gonzaga generalis ordinis minister litteris datis Neapoli xvii. calendas Maii, ut in laudato oppido aedificaretur, concessit.

LIV. In provincia Franciae Parisiensis data fuit opera constructioni conventus Bethlemi ad IX. lapidem a civitate Masseriis, opibus Ludovici Gonzaga Nivernensium et Bethlemensium ducis, et uxoris ejus Henricae de Cleves, quibusdam tamen pactionibus adjectis, et a fratribus admissis; 1 ut a XII. fratribus perpetuo, iisque saltem sex sacerdotibus incoleretur; 2 ut in singulis secundis, vel tertiis feriis cujuslibet hebdomadae celebraretur defunctorum officium pro ipsis fundatoribus; 3 ut in choro post laudes, sextam, vesperas, completorium, atque summum sacrum quamdam collectam, viventibus iisdem fundatoribus, ac etiam ipsis defunctis, singulo die iidem fratres recitarent; 4 ut si in oppidis et pagis aliisque eisdem fundatoribus subiectis locis conventus aedificarent, sacras ad populum conciones habere tenerentur; 5 denique ut calices, jocalia, atque ornamenta ab ipsis fundatoribus coenobio largita, intacta omnino locoque immota manerent. Novo huic coenobio sylvam pro secandis necessariis lignis, ac certam tritici eleemosynam a se suisque posteris singulis annis assignandam erogavit, sibi ac suis successoribus jure patronatus interim reservato. *Conv. Masseriis. Gonzaga in prov. Franciae Parisien. conv. 21.*

LV. Ob nimiam aquarum copiam aliasque quamplurimas difficultates, quibus obnoxii erant fratres conventus S. Francisci de Maniaretibus in provincia S. Gabrielis, ad III. lapidem ab oppido Valentiae, in eam devenerunt sententiam patres, ut coenobium desereretur. Huic oblatam eis ab Episcopo Corianorum aediculam S. Bartholomaeo sacram, positam prope oppidum praedictum, ex placito Philippi II. Hispaniarum regis, acceptantes, conventum ibidem liberalitate ejusdem regis, et incolarum eleemosynis erexerunt. *Conv. de Maniaretibus. Idem in prov. S. Gabrielis conv. 8.*

LVI. Hospitium titulo S. Annae pro observantibus ad spirituale regimen monasterii clarissarum, intra moenia Forojulii provinciae Granatensis anno MDXLIII. positum, hoc tempore auctum aedificiis, abiit in conventum. Honestatur SS. mart. Blasii, Sebastiani, Luciae, Ignatii, et Christophori pignoribus. In eadem provincia datus fuit iisdem fratribus conventus S. Mariae Angelorum de Miraflores, excitatus impensis Didaci de Torres commendatarii de la Vega, et uxoris suae Marinae Ponce de Leon. Distat uno milliari a civitate Malacae. Incolebatur antea a quodam eremita sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli. Franciscus Pacheo de Corduba illius civitatis Episcopus solemnia egit die II. Februarii in quem fratres intrarunt, adstantibus clero et quamplurimis optimatibus. Primum praesidem accepit Petrum de Luna. Circa haec tempora opibus Laurentii de Villa-Vincentii franciscani de observantia hispani, episcopi Vallensis in Sardinia, perfectionis culmen accepit conventus S. Luciae in pago S. Gavini, et conventus S. Antonii Abbatis in pago Tuili sub eadem dioecesis. Hunc postremo ob aeris insalubritatem dimiserunt patres provinciae Sardiniae anno MDCXL. *Conv. Forojulii. De Torres in prov. Granaten. p. 113.* *Conv. de Miraflores. Idem ibid. p. 150.* *Conv. S. Gavini. Monum. prov.* *Conv. Tuili. Monum. prov.*

LVII. Curante fr. Archangelo a Neapoli initiata est hoc anno reformatorum custodia in provincia Terrae Laboris. Custodis munus accepit Angelus de Aversa. Obtinuerunt ipsi ab observantibus conventum S. Antonii Theani, S. Mariae de Gratiis Cajatii, ac S. Francisci Carinolae, seu Caleni, quos tamen paullo post dimiserunt, et anno MDCIV. denuo incoluerunt. In provincia Principatus eis accessit conventus Conceptionis Castrimaris, jubente Pontifice: *Dudum* die VI. Octobris. Circa id tempus tra- *Antonius de Nola. in Chron. prov. pag. 240.*

Gonzaga in prov. Mediolanen. conv. 33.

Pirrus in notitia Catanens. eccl. col. 587.

ditus etiam eis fuit conventus S. Victoria in Monte Baronum provinciae Mediolanensis. Aucta item fuit in provincia Siciliae eorumdem reformatio, studio Bonaventurae a Saxa Agrigentino laico, qui ob vitae integritatem et in agendis negotiis dexteritatem guardianus electus, Romamque ad Sixtum Pontificem missus, apostolicas litteras impetravit, ut quotquot ex fratribus de observantia ad arctiorem vitam transire cuperent, inter eos admitteret. Semel et iterum custodiam Siciliae laudabiliter administravit.

Conv. Arcis Sinibaldi. *Sbaralea in supl. ad annal. ordinis ad an. 1222.*

Conv. Corneti. *Idem ibid. ad an. 1220.* *Touli pag. 764. et seq.*

LVIII. Minores conventuales, Constantino Bargellino Episcopo Reatia agente, sui juris fecerant in provincia Romana conventum S. Mariae Novae de Spiritu Sancto Arcis Sinibaldi in custodia Reatina, quem ignota causa dimiserant, et Cesarina familia Arcia domina pp. Carmelitis concesserat. In ejus Ecclesia, quae parochialis erat, omnia oppidanorum christifidelium defunctorum corpora, ut tumularentur, deferebantur. Cives Cornetani eisdem cesserunt hoc anno Ecclesiam S. Mariae ad Castellum cum propinquiis domibus pro eorum incolatu. Ecclesia ampla, pulchra, et antiqua, tribus navibus, pavimento musivo opere strata, decorata, quae olim fuerat aedes praecipua et major presbyterorum urbis, extructa fuit anno MCXXI. tempore Imperatoris Henrici IV. et Callixti II. Papae, ut praesefert inscriptio posita in parvo ostio Ecclesiae.

✠ IMPERAT. HENRIC. CALIST. FIT PP. PETITUS
ANNO MILLENO CENTUM PMOQ. VIGENO
NATALIS XI. DOMUS HAEC PRIMORDIA FIXIT
GUIDO PRIOR DIGNUS PIUS PROBUS ATQ. BENIGNUS
ANNUM POSTQUAM . . . . FACIT . . . . SCULPERE METRUM.

Antea fratres degebant in loco sub titulo S. Francisci, quem ob insalubrem aerem, et fabricae minam dimiserunt circa annum MCCXXX; postea incoluerunt monasterium S. Jacobi a clarissis sororibus jampridem inhabitatum; parvo tamen numero.

Conv. Montis Peregrini. *Cagliola p. 107.*

Rodulphus p. 281.

Conv. Mancosae. *Idem ibid.*

LIX. In custodia Panormitana assequuti sunt minores Conventuales Reformati conventum S. Rosaliae V. in Monte Peregrino, Panormi in specu positum, ubi laudata virgo angelicam vitam duxerat, sacrumque ejus depositum inventum fuit; *locus*, inquit Rodulphus, *sane devotus*, *et satis amoenus*, *qui habet speciem insulae*. Habent etiam Mancosae in eadm custodia coventum titulo S. Antonii anno MDLX. datum fratribus conventualibus ab illustri barone Carini.

Conv. Burgifranchi. *Bordonius p. 332.*

Conv. Metafaloni. *Idem pag. 403.*

Conv. Saccae. *Pirrus in notitia eccl. Agrigent. tom. 1. pag. 737.*

LX. Tertii ordinis fratres obtinuerunt in provincia Mediolanensi coenobium S. Mariae Gratiarum Burgifranchi in dioecesi Papiensi; in provincia Calabriae conventum S. Mariae de Cruce Metafaloni dioecesia S. Marci, concessum fr. Joanni Graeco de Terranova a Joanne Antonio Grignetta Episcopo illius urbis; in provincia Siciliae conventum S. Mariae de Lilio in oppido Saccae Agrigentinae dioecesis, fundatore fr. Paulo Alcamensi, celeberrimo, cum in saeculo versaretur, jureconsulto. Continet XVIII. fratres.

Ex reg. Michaelis a Tugio, et ex Boverio.

LXI. Extructi sunt pro fratribus minoribus capucinis in provincia Romana conventus in oppido Farnesii dioecesis Aquaependentis; in provincia Lucaniae, sive Basilicatae conventus oppidi Tulbii dioecesis Materanensis; in provincia Rhegiensi conventus oppidi Melicumnae nullius dioecesia, et conventus in oppido Panayae dioecesis Militensis; in provincia

S. Angeli in Apulia conventus in pago S. Marci Catulae Vultuariensis dioecesis; in provincia Barensi conventus in oppido Putiniani nullius dioecesis; in provincia Aprutina conventus in pago Tocci Theatinae dioecesis, in provincia Messanensi conventus in civitate Ramettae dioecesis Messanensis; in provincia Syracusana conventus in oppido Regabulti dioecesis Catanensis; in provincia Lombardiae conventus in oppido Carpi nullius dioecesis; in custodia Tridentina conventus in oppido Arcensis, titulo S. Laurentii dioecesis Tridentinae; in provincia Brixiensi conventus in oppido Isaei dioecesis Brixiensis, et conventus Trivilii Mediolanen. dioecesis; in provincia Genuae conventus in oppido Finarii ad maris litus, Savonensis dioecesis edita bulla: *Piis fidelium votis* XIII. calendas Augusti; in custodia Montisferrati conventus in civitate Aquae Sextiae; in provincia Tolosana conventus in civitate Albiae; in provincia Campaniae conventus in civitate Verudnni.

LXII. Monasterium S. Clarae intra moenia civitatis S. Fidei de Bogota, quod morte praeventus complere nequiverat Christophorus Rodriquez Cano Hispanus valde locuples, praesenti tempore absolvit suis bonis Ludovicus Lopez hispanus mercator. In provincia Aquitaniae inferioris positum fuit Tolosae collegium virginum tertii ordinis sub regimine minorum observantium a nobilibus viduis Magdalena ex ducibus Britannorum, ac Joanna de Hoguiet in propria earum domo, ubi ipsae regularem vitam professae sunt: *Supernae dispositionis* pridie nonas Septembris. Titulum praesefert S. Elisabeth, continetque XII. moniales. Monasterium S. Clarae Pineroli nullius diocesis in provincia Tusciae, ob paucitatem sororum supprimitur, facultate concessa a Pontifice cardinali Gnidoni, de Vercellis nuncupato.

Monast. Civit. S. Fidei.

Gonzaga in prov. S. Fidei monast. 1.

Monaster. Tolosanum.

Monum. prov.

LXIII. Florent viri docti. Alexander Floravantius Bononiensis capucinus sacrae theologiae professor, genere ac pietate clarus scripsit *in praedicamenta Aristotelis lib.* 2., *de sophismatibus lib.* 1., *de coelo, et mundo, ac metheoris lib.* 4., *de multiplicatione specierum lib.* 2. Editum est Venetiis hoc anno *opusculum mathematicum de modo practicandi retoriarium* Didacus a Vera Abulensis Hispanus regularis observantiae provinciae Castellae, anno MDXLV. a suis missus in Americam ad verbum Dei disseminandum, edidit *ea quae per quadraginta annos gesta sunt*; at infelici exitu, cum nihil adpareat in iis enarrandis, unde singulorum annorum ratio constet. Joannes de Fonte, diversus ab altero Joanne a Fonte, qui anno MDLXXXIII. floruit, dum erat guardianus in Occaniae coenobio provinciae Castellae vulgavit Lugduni apud Guilliehnum Rovillium *orationem paraeneticam pro pura et sincera praedicatione Evangelii.* Apud Petrum Blesail Nanetis Joannes a S. Maria Gallus provinciae Turoniae ejusdemque instituti publici juris fecit *Cosmopejam in duo prima capita Genesis.* Petrus Orosius Hispanus cum in S. Evangelii provincia apud Indos occidentales egregiam operam navaret in conversione infidelium, perfecte etiam didicit linguam ottomicam et mexicanam; unde *correxit et auxit grammaticam lingua ottomica a suo consodali Petro de Palucios compositam*; lingua item mexicana scripsit *sermones copiosos pro singulis anni festivitatibus, dominicis, et feriis, quibus praedicari solet*, ac *postremo historiam provinciae S. Evangelii Americanae.*

Sbaralea de Scriptoribus, lit. A.

Ann. min. ad an 1545. num. 6.

Sbaralea ibidem. lit. J.

Idem ibidem.

Wadding. de script lit. P.

Sbaralea ibid. lit. P.

LXIV. Joseph Angles Valentiae natus, jam commissarius generalis in Sar-

dinia, et a sacris confessionibus asceterii clarissarum regalium Matritensium, floruit in academiis Valentiae, Ilerdae, Compluti, et Salmanticae. Plura erudite scripserat, de quibus Possevinus et Sbaralea. De eo vulgati sunt *flores in primum sententiarum librum*, *et flores in secundum sententiarum librum*, qui pluries editi fuerunt. Cavit tamen anno insequenti Pontifex: *Cum sicut* die XIV. Julii, ne, eo inconsulto, a quopiam typographo praelo committeretur liber *floris theologicarum quaestionum in secundum librum sententiarum*. Item vulgata est *prima pars florum in quartum librum sententiarum*, *et prima et secunda pars in quartum sententiarum librum*. Postremum opus editum fuit Romae an. MDLXXVIII. et anno MDLXXXI. Taurini cura Julii Roscii Hortani, qui in epistola operi praemissa sit: *Iosephus Angles cum in Magistri universum opus subtilissime scripsisset, editurusque sit, si cum vita valetudo, et cum valetudine otium suppetet, in extrema illa parte omnium pulcherrima, et fructuosa interpretanda studiosorum gratia studuit primum elaborare*. Prodiit Venetiis an. MDLXXXVI. duobus tomis typis Damiani Zenarii, studio Feliciani Berardi sacrae theologiae doctoris, ad Petrum Trevisanum abbatem missum, cujus in epistola ad eumdem data ait: *novi ego de facie, et allocutus sum saepe virum istum doctissimum, cum Romae an.* 1577. *degerem, quo tempore ipse rursus flores suos theologicos in* IV. *sententiarum cum nova additione imprimendos curabat*. Huic editioni additi sunt tractatus tres *de oratione, jejunio, et eleemosyna, de opinione Scoti super* IV. *libros sententiarum*, *et de controversiis inter S. Thomam et Scotum*.

Possevinus in app. sacro tom. 3. Sbaralea lit. J.

LXV. Prae caeteris vero summam sibi promeruit in litteris laudem Hannibal Rossellius Calaber ex provincia S. Francisci in Umbria, non conventualis, ut perperam scribit Frauchinius, sed minorita de observantia. Lutetiae Parisiorum, ac Lovanii ubi se contulerat studiorum curriculo emenso, mox in Angliam se recepit. In S. Francisci provinciam inde reversus, Tuderti in conventu S. Crucis primum, mox Cracoviae ad S. Bernardini coenobium sacram theologiam docuit. Ob suae doctrinae et eruditionis praestantiam, apud optimates et regni Poloniae antistites gratia valuit, ac existimatione floruit. Consumptis in variis academiis XXXVIII. annis, tandem aetatis suae anno LX. manus ad opera scribenda admovit. Celebriora sunt ejus *in Pymandrum et Asclepium Hermetis Mercurii Trismegisti commentaria*, *tomis sex distincta*, communi sapientum calculo, omni eruditione referta. His accedit ejusdem Trismegisti textus graeco-latinus, industria Francisci Flupatis Candallae. Ante alios Cracoviae prodiit impensis Stanislai Karnkouski, archiepiscopi Gnesnensis tomus IV. inde primus, et alii subsequentes, studio Erasmi Pencicii ministri provinciae observantium Poloniae, eadem in urbe editi hoc anno. Mox omnes prodiere ibidem uberiores; et demum anno MDCXXX. Coloniae Agrippinae typis ac sumptibus Petri Cholini.

Franchinius in Bibliosophia n. 34. Wadding. et Sbaralea lit. H.

LXVI. Primum tomum nuncupavit auctor Francisco Gonzaga generali ministro, qui hos continet tractatus: *De mundi creatione, atque principio — De elementorum origine, ordine, numero, et qualitatibus — De cognoscendo Deo, sive quomodo cognoscitur Deus — De mente Dei, sive de mente, quae est ipse Deus — Deum esse quomodo cognoscitur — Deum esse unum, et non plures ostenditur — De divinitate Filii Dei*,

quod sit verus Deus, ex scripturis multis argumentis ostenditur — De Filio Dei secundum philosophos, quod sit Deus — De Filio Dei secundum theologos latissime — Verbum Dei est actualis notitia ex memoria Patris genita — Verbum Dei, sive Filius Dei ex Patris substantia gignitur — Verbi Divini generatio est aeterna — Verbum Dei est imago Dei invisibilis — De Patre, sive persona Patris in divinis — Pater genuit filium natura, atque necessitate immutabili — Pater est solus ingenitus in divinis — Nomina Dei, quae sint, et quot — De divinarum personarum aequalitate — De simplicitate Dei, — De immutabilitate Dei — De attributis Dei — De esse, et essentia Dei — De subsistentia Dei — De persona in divinis, quid significet? — De persona et relatione — De distinctione personarum — Quod sit vita essentialiter — De ideis abunde — De intelligere Dei — Deum esse infinitum — De religione christiana — De summo bono — De fruitione — De Dei voluntate — Unum esse, et non duo principia mundi.

LXVII. In ejus laudem praefixum huic primo tomo legitur sequens epigramma Jacobi Garilli a Portu Mauritio ejusdem instituti.

Prisca fides nostrae quantum consentiat almae,
Hannibalis Calabri connotat istud opus.
Aptior interpres certe non convenit ipsi
Mercurio, quam qui mente viget simili;
Nam pius, et doctus voluit, potuitque juvare
Huic seclo scriptis, et probitate sua.

LXVIII. Secundum tomum dedicavit Ferdinando Medices cardinali ordinis minorum patrono, qui hos continet tractatus: *De numero ternario — De productionibus divinis — De Spiritu spirante — De Spiritu Sancto secundum scripturas — De Spiritu Sancto secundum theologos — De relationibus in communi — De actione et passione — De relationibus divinis — De Angelis bonis secundum philosophos — De Angelis bonis secundum scripturas et theologos — De Angelorum creatione, et bello — De creare, et creatione, an soli Deo competat — De creatura, an fuerit ab aeterno — De creaturarum productione — De individuationis principio — De materia, an sit pars quidditatis — De intelligentia, an sit forma orbis — De coelo, an sit corpus animatum — De Daemonibus secundum philosophos — De idolis, et daemonum magia — De luciferi effigie secundum scripturas — De luciferi superbia, bello, et ruina — De daemonum ordinibus — De providentia Dei.*

LXIX. Tomum tertium dicavit Francisco Medices magno Etruriae duci, qui continet tractatus: *De homine — De mundi senectute — De resurrectione mortuorum De inferno — De morte — De luce, et vita — De animae purgatione — De essentia Dei — De motu — De anima mundi — De forma — De ente — De intellectu — De universali — De passionibus entis — De uno, et ente — De bono — De vero — De genere — De differentia — De specie — De proprio — De accidente — De actu — De potentia — De possibili — De vacuo — De loco — De chao — De Deo quid sit et qualis? De nominibus Dei — De natura — De materia — De privatione — De necessario — De causalitate finali — De numero causarum.*

LXX. Tomus quartus nuncupatus fuit Stanislao Archiepiscopo Gnesnensi

et hos habet tractatus: *De prima illa rudi, informique mundi congerie — De lumine — De infinito — De coelo — De dominio stellarum — De fortuna — De fato — De providentia — De scientia Dei — De dominatione Dei — De regno Dei — De praedestinatione — De amore Dei — De misericordia Dei — De libro vitae — De justificatione impii — De zodiaco — De tempore — De resurrectione.*

LXXI. Tomum quintum dedicavit Stephano I. Regi Poloniae, qui habent hos tractatus: *De Dundi creatione — De operibus sex dierum — De hominis excellentia — De ecclesiae unitate — De ecclesiae capite uno — De ecclesiae visibili — De ecclesiae auctoritate — De ecclesiae continuata successione — De ecclesiae romanae Pontificibus — De ecclesiae conciliis — De ecclesiae adversariis — De libidinis malo — De laude virtutis — De odio, quam magnum malum sit — De voluptatis malo — De mali origine — De primo, et summo bono — De consuetudinis potentia — De unitate Dei — De magnete amoris Dei — De cognoscendo Deo — De doctrina supernaturali — De sanctae Scripturae dignitate — De Deo, quod sit vita — De subjecto theologiae — De theologia, an sit scientia — De orationis conditionibus — De orationis studio, et virtute — De fluxu maris — De oceani motu — De mari mystico — De ordinis pulchritudine — De terrae rotunditate — De descriptione totius orbis — De Imperatoribus et Regibus omnium pene gentium — De moribus multorum populorum — De regnorum et regum mutatione — De multarum civitatum legibus, et ordinibus, praesertim urbis Romae — De insulis omnium gentium — De insulis noviter repertis — De ignis elemento — De elementorum numero, et qualitatibus — De aeris natura, et dispositione — De cometis, rore, et pruina — De nubibus, pluvia, et nive — De grandine, coruscatione, et tonitru — De fulmine, iride, et ventis — De terraemotu, et ejus portentis — De celeritate ignis — De aestu, et exhalatione — De corpore humano — De omnibus partibus corporis humani intrinsecis, et extrinsecis — De divinis laudibus — De Deo, quod sit anima — De Deo, quod sit bonus, et actus infinitus — De summo malo, et ejus origine — De bono, et pulchro — De Dei pulchritudine — De pietate, et ejus virtute — De ignorantiae malo — De Deo, quod sit fons vitae — De ebrietatis malitia et turpitudine — De videndo Deo — De avium et jumentorum natura.*

LXXII. Tomum sextum nuncupavit Joanni Demetrio Solikonski Archiepiscopo Leopoliensi, qui continet tractatus: *De animae humanae immortalitate distincte, et copiose — De animae creatione, et admiranda hominum natura — De anima, quod non sit producta ex semine — De anima, quod non sit ex traduce — De ratione seminali — De anima, quod non sit pars Dei — De animae unitate — De triplici anima — De anima mundi — De anima, an sit composita — De animae gradibus — De anima, quod non sit corpus, sive corporea — De anima, quod sit substantia — De substantia — Si una anima est altera perfectior? — De anima, quod sit actus — De anima, quod sit principium intelligendi sentiendi, movendi secundum locum, atque vegetandi — De anima, quod sit forma — De anima, quod sit numerus — De anima, an sit ex elementis — De praedicamento substantiae — De praedicamento quantitatis — De praedicamento relationis — De praedicamento qualitatis — De aequi-*

vocis; et univocis — De entis divisionibus — De anima, quod sit imago Dei — De animae laudibus — De animae potentiis — De animae apice, et centro — De intellectu humano secundum varios auctores — De ratione superiori et inferiori — De intellectu passivo — De intellectu, quod sit animae substantia, et ens in actu — De intellectu materiali — De intellectu in actu, et in habitu — De intellectu adepto — De intellectu speculativo, et practico — De intellectu quomodo intelligit substantias separatas — De ratione hominis — De intelligere, sive intelligentia nostra — De intellectu, quomodo intelligit Deum, angelos, et seipsum — De formis inditis intellectui humano — De specie intelligibili — De intelligere, quod sit agere, et quomodo fiat — De intellectu, quod componit, et dividit, et intelligit indivisibile — De intellectu agente, quod sit pars animae — Intellectus agens, et possibilis non sunt duo, sed unus intellectus — De intellectus objecto — De intellectu, quod intelligit singularia — De intellectu humano, quod non cognoscit futura — De anima separata, quomodo cognoscit — De reminiscentia post mortem — Quod mortui non cognoscant res vivorum. Duo et magna *concionum et homiliarum in Evangelia* volumina scripsit, quae adhuc non prodierunt.

LXXIII. Decedunt viri litteris illustres. Licet perpetuis regiminis curis distentus Marcus Antonius Paganus Foroliviensis minorita conventualis, *Sbaralea ibid. l. M.* plura tamen scripsit numquam edita, scilicet *conciones quadragesimales, sermones ad fratres, pluresque epistolas.* Cum Romam ad Sixtum V. cui erat gratissimus, se conferret, dies suos Fulginei complevit xx. Octobris. Petrus Rodulphus Tossinianensis lapidem hanc cum epitaphio Fulginei erexit in aede sui ordinis.

MARCO ANTONIO PAGANO FOROLIVIENSI VIRO INTEGERRIMO QUI VISITATORIS APOSTOLICI IN PROVINCIA GENUAE ET PRAEFECTURAE PROVINCIALIS MUNERE PERFUNCTO DUM ROMAM PETIT AD SIXTUM V. PONTIFICEM MAXIMUM OBIIT ANNO AETATIS SUAE LXIX. DIE VERO XX. OCTOBR. F. PETRUS RODULPHIUS TOSSINIANENSIS MUTUAE NECESSITUDINIS MEMOR GRATI ANIMI SUI MONUMENTUM POSUIT.

Extat et alterum Forolivii in sui ordinis ecclesia.

FRATRI MARCO ANTONIO PAGANI FOROLIVIENSI VIRO INTEGERRIMO OLIM RHODIGII PRAVITATIS HAERETICAE INQUISITORI ILLUSTRIUM DOMORUM FAMILIAE ET TOTIUS PROVINCIAE BONONIAE PLURIES MODERATORI LIGURIAE VISITATORI APOSTOLICO MOX PROVINCIALI MAGISTRO QUI DUM E DULCI PATRIAE SINU AD OSCULA PEDUM SIXTI V. SUI AMATISSIMI PROPERAT FULGINEI JAM SEPTUAGENARIUS MORITUR DIE XX. OCTOBRIS MLXXXV. FRATER SEBASTIANUS GHERARDINUS FOROLIVIENSIS ALUMNUS TAMQUAM PATRI DE SE OPTIME MERITO P.

LXXIV. Ex eodem instituto decessit Martialis Peregrinus senior a Castrovillari Calabriae oppido, ibidem tumulatus. Scripsit *prolegomena ad metaphysicam.* *Idem ibid. lit. M.* Hisce verbis commendatur a Riccobono in gymnasio Patavino, in quo extitit professor: *vir omni opinione doctissimus, et in disputando acutissimus Martialis Peregrinus Calaber Regens Ferrariae.* Apud concilium Tridentinum theologi munus explevit.

LXXV. Ex minorum conventualium familia electus est hoc anno die xi. Septembris Episcopus Geruntinen. et Cariaten. Caesar Nardi Fanensis, *Rodulphus lib. 2.* jam magister provinciae Marchiae, qui anno insequenti die viii. Novembris spiritum Deo reddidit; item die xxv. Septembris ecclesiae Clodiensis, *Chioggia*, electus est Episcopus Maximilianus Benjamas Cremensis, antea in-

quisitor haereticae pravitatis Patavii; inquisitoris generalis Pisae munus accepit Lelius Medici Vicentinus.

Ciaconius tom. 4. colum. 54. LXXVI. Varii in Ecclesiis ordinis tumulati sunt viri doctrina, virtutibus ac dignitate conspicui. Basilica SS. XII. Apostolorum de Urbe, in sepulchro quod antea sibi paraverat in ara maxima, excepit Alexandrum Cardinalem Riarium Bononiensem xv. candelas Augusti e vivis sublatum, cum hac inscriptione.

D. O. M.

ALEXANDRO. RIARIO. IVLII. FILIO. V. S. REFERENO. CVRIAE. CAVSARVM. CAMERAE. APOSTOLICAE. GENERALI. AVDITORI. PATRIARCHAE. ALEXANDRINO. TT. S. MARIAE. IN ARACOELI. S. R. E. PRESB. CARD. GREGORII. PP. XIII. IN. LVSITANIAM. DE. LATERE. ITEM. PERVSIAE. AC. VMBRIAE. LEGATO. SIGNATVRAE. IVSTITIAE. PRAEFECTO. VIXIT. ANNOS. XLI. MENSES. VII. DIES. IV. OBIIT XV. KAL. AVGVSTI. MDLXXXV. RAPHAEL. PATRI. GALEATIVS. ET. IVLIVS. PATRVO. FECERVNT.

LXXVII. Guilielmus Sirletus S. R. E. Cardinalis VIII. idus Octobris defunctus Romae, sepulchrum nactus est in templo clarissarum sui tituli, quodque et refecerat, S. Laurentii, Panis-Pernae, hoc elogio inscripto.

GVILIELMO. SIRLETO. CARD. STILI. IN CALABRIA. NATO. HVIVS. ECCLESIAE. TITVLARI. S. SEDIS. APOST. BIBLIOTHECARIO. HEBRAICAE. GRECAE. LATINAEQ. LINGVAE. PERITISS. HVMANARVM. DIVINARVMQ. DISCIPLINARVM SCIENTIA. CLARO. ERVDITORVM. ET. PAVPERVM. PATRONO. AC. PARENTI. BENEFICENTISS. OB. PROBITATEM. EIVS. PIETATEMQ. A PIO. IV. P. M. SACRO. INSTANTE. COLLEGIO. CARD. CREATO. VIXIT. ANNOS. LXXI. OBIIT. ANNO. MDLXXXV.

Eo defuncto hujus Ecclesiae titulum assequutus est Dominicus Cardinalis Pinelli.

LXXVIII. Monumentum sequens positum fuit in Ecclesia observantium S. Mariae Majoris Tyburensis in provincia Romana pro Benedicto Manzoli Episcopo Regiensi ibidem defuncto.

D. O. M.

BENEDICTO MANZOLIO NOBILI MVTIN. SVMMO PHILOSOPH. AC THEOLOGO POLITIORIBVSQ. LITTERIS MAX.° GRAECIS ORNATISS.° RERVM AGENDARVM CONSILIORVMQVE CAPIENDORVM PERITISS.° QVI CVM A SECRETIS AMPLISS.¹ CARD. ALOIS. ESTEN. PER XX. AN. FVISSET GRAVISS.ª Q. NEGOTIA ET IN ITALIA ET IN GALLIA PRVDENTISS.° CONFECISSET A GREG. XIII. PONT. MAX. EPS. REGIEN. CREATVS EST QVI VERO MAJORA INDE SPERARE POSSET IN MEDIO HONORVM CVRSV MAGNO BONORVM OMNIVM DOLORE MORTEM OBIIT MENSE AVG. MDLXXXV. AN. AGENS LV. VINCENTIVS HERES FRATRI GERMANO BENEM.

P. C.

MDLXXXVII.

Ughellus tom. 3. colum. 520. LXXIX. In Ecclesia S. Francisci minorum conventualium Genuae, ubi decessit, depositus fuit Caesar Conradus, natus in eadem civitate, antea Nebiensis, ac postea Episcopus Sagonensis in insula Corsicae. Ejus sepulchro adjectum fuit hoc coenotaphium.

Eccum viator tibi sepulchrum Caesaris,
Qui Nebiensis inter omnes Praesules
Virtute, et eruditione praestanti:
Illum locuta sunt priora saecula,
Illum deinde non tacebunt postera.
Hic permeavit alitis penna ingeni,
Libris, et una amplexus est perennibus,
Quicquid patente claudit ambitu Themis,
Quascumque salebras atque tesqua continet,
Et quid gemendum diva quod rerum parens
In bruta quaeque nata brutis cedere
Tam liberalis temporum, mortalibus
Ratione fultis, igneoque mentium
Vigore mundi pervagatis ardua
Praescripsit aevi tam minutos limites?

LXXX. Cum per id temporis tum guardiani tum vicarii munia jam explevisset in coenobio reformatorum S. Mariae de Jesu Panormi S. Benedictus a S. Philadelphio laicus, ex superiorum mandato humillimum coquus ministerium hilariter suscepit. Suae igitur solitudini integre restitutus, vitam cum Christo, ut apud omnes vilesceret, magis magisque absconditam ducere statuit. Attamen ejus sanctitatis fama ita aucta et latius propagata fuit, ut ad sospitatem recuperandam infirmi, virique graves et nobiles, sive a conscientiae scrupulis, dubiisque, sive aliis languoribus commoti ad eum consulendum confluerint; et cum effectus eorum votis responderent, illum a Deo ob suae sanctitatis eminentiam, signis, prodigiis, ac consiliorum dono cumulatum uno ore proclamabant sodales, et Panormitani non solum, sed et Siciliae pro-reges, Episcopi, civitatum senatores, inquisitores, ac exterae regiones, Neapolitani, Romani, Hispani, et Lithuani. Praeter ea quae jam relata sunt, alia et notamus praecipue mirabilia a S. Benedicto patrata in laudato Panormitano coenobio, ex actis pro ejus canonizatione confectis.

Ex processu pag. 48. §. 135.

Ann. min. ad an. 1573. n. 4. et seq. ad an. 1578. n. 4. et seq.

LXXXI. Mortuum puerum filium Georgii Russo Panormitani, subtus currum delapsum, ad Ecclesiam ut tumularetur delatum, signo crucis ad vitam revocavit, et sanum incolumemque parentibus restituit. Joseph Matthaeus juvenis annorum XIV. cum non longe a coenobio S. Mariae de Jesu Panormi ad necem percussus fuisset a germano suo, semimortuus humi jacebat; edito clamore, illuc accurrens Sanctus, propria saliva in formam crucis illum signavit, ac parentibus adstantibus et lacrymantibus dixit: *Filii, nolite timere*; *fidem in domino habete*; ille statim surrexit, et bene valuit. Franciscus Pini appoplexiae morbo correptus, ad Sanctum delatus, illico vires recuperavit, facto super ejus corpore crucis signo. Benedictum Marzano et Gregorium Ponziano pueros octodecim mensium, gravi et insanabili hernia laborantes, eodem crucis signo illico sanavit Beatus: eodem modo loquelam restituit alteri puellae annorum undecim, loquela destitutae.

LXXXII. Ex strumis, quae guttur duobus ab hinc annis oppleverant, incurabilibus, liberata est puella Eufrasina Ferreri, adhibito a Benedicto crucis signo, prolatisque hisce verbis: *Iesus*, *Maria*, *Franciscus*. Similia Sanctus protulit supra intumescentes strumas, quibus plurium an-

norum spatio afflictabatur, altera puella nomine Laura; illae enim statim evanuere, aegrota perfecte sanata.

LXXXIII. Frigido apostemate in fronte diu cruciata Francisca Matassa, absque ulla medicaminum adhibitorum utilitate, fiduciale recursum habens ad Benedictum, vix ab eo edito crucis signo, intumescens apostema evanuit, quin ullum superesset morbi vestigium. Ex prava ani haemorrhagia cum valida febris accessione a medicis conclamatus, cunctisque Ecclesiae sacramentis munitus Laurentius Bonaparte, aliud non expectabat quam diem supremum obire; at precibus per Benedictum Deo fusis, ad quem ille devote confugerat, e lecto sanus illico prosiliit.

LXXXIV. Pietra Bianco biennis puella, quae ex descensione cataractarum potentiam visivam amiserat, ad Sanctum ducta, statim ac crucis signo munita fuit, perfecte lumen aspexit; Lucretiae Cataniae septenni puellae deperditam visivam potentiam, ob medelas quibus usa fuerat ad sanandum morbum in capite, signo crucis S. Benedictus statim perfecte restituit; visu in instanti donatur a Sancto cuidam homini, qui per integrum annum orbatus remanserat. Vitus Paternò maligna febri, pravis stipata symptomatibus, laborans, medicamentis praestitis, a medicis derelictus, et sacris jam Ecclesiae sacramentis confortatus, tandem S. Benedicti patrocinium implorans, pristinae sanitati restituitur.

Ann. min. ad an. 1475. num. 116. et seq.

Acta SS. ad diem 18. Maii tom. 4. p. 60. et seq.

LXXXV. Hoc eodem tempore eximiis item virtutibus luculentibusque prodigiis emicabat S. Paschalis Baylon, de quibus iterum, a quo finem imposuimus, sermonem prosequimur. « Post multos deinde annos cum ego » (*Joannes Ximenez auctor ejusdem commentarii apud Papebrochium*) » jam suscepto habitu (*inter minoritas*) et sacerdotio, artium, et theologiae lecturam explevissem, dicturus per quadragesimam in Villa-Regali » transivi Xativa, ubi tunc morabatur Sanctus, ab eo, magna cum benevolentia exceptus, rogavi ministrum provincialem (erat is tunc fr. Antonius Alverus) ut ipsum mecum remitteret Villam-Regalem. Et quia » sciebam, ipsi non convenire ejus loci coelum, quartanas etiam febres » patienti, isto autem satis delectari, quia conventus ille nomen Deiparae » habet; forte etiam quia divina revelatione didicerat, ibi se absolvendum a carcere hujus mortalis corporis; obtinui tandem, ne quidquam » reluctante guardiano, quod rogaveram: ibamus ergo, sed pedites ambo, » quia oblatum equum (permittente id ejusmodi debilibus regula) noluit ullatenus acceptare. Postquam autem coepimus ascendere montem, » qui est trans flumen Xativae, antequam ad Enovas veniremus, vidimus fratrem quemdam alterius ordinis expectantem cum gravi pera: » quam continuo Sanctus portandum sibi depoposcit, et suis debilibus » humeris imposuit. Ego vero exoneravi eum, ipsa in dorsum suscepta » sed ille mox a dicto religioso petiit pallium nihilo levius: atque ita » totum illud iter peregimus. In hoc porro excuntes Alzira, via per quam » lutosa, vidimus in solebris collapsum jumentum, ac plorantem juxta » Agasonem; quem ille blande consolatus, licet advesperasceret altumque » lutum esset, ad jumentum accessit, ipsumque exoneratum de salebra » sustulit, eductumque rursus oneravit singulari cum alacritate »

LXXXVI. » Singulari vir sanctus donatus videbatur gratia verborum, » ad conversionem animorum, quantumvis obduratorum. Cum ergo in » oppido Jumillae in regno Murciae guardianus loci concionatorem suum

» misisset ad civem quemdam, gravi injura ab altero laesum, addito socio
» Paschale, offensusque non modo non cederet hortamentis ejus, sed in
» ipsum medicum suum versa rabie, manus quoque eidem injicere para-
» ret; transiit illac vir devotus ex confratribus ordinis, rogavitque ut
» in domum suam declinaret in reditu ad conventum. Illo autem paucis
» respondente se facturum ejus desiderio satis; tantillum temporis nactus
» Paschalis: *eja*, inquit, *frater*, *condona injuriam propter Deum.* Nec
» pluribus opus fuit: convertebat se ad hominem adhuc induratum, ut
» credebat, concionator, et quando prodesse non posset, valedicturus in
» tempus aptius: et praeter opinionem totum conversum, audivit fr. Pa-
» schali respondentem: *Pater condono ei propter Dei amorem: fiant om-*
» *nia, ut volueritis.* Quae res tam insperata concionatori isti reduxit in
» memoriam id, quod alias de socio suo narrari audiverat, scilicet quod
» adolescentem, in quo ad mortis paternae condonationem movendo frustra
» laboraverant multae graves, ac litteratae personae, obviam sibi factum
» paucis humilibusque verbis induxerit, ut nihil opponens diceret se pa-
» ratum publico etiam instrumento condonationem testari. Similiter civis
» quidam Villae-Regalis, qui nullis induci rationibus potuerat, ut a sua
» praetensione aliqua desisteret, mox ut missum ad se ex parte guardiani
» Paschalem audivit, professus est cum juramento, visum sibi esse quod
» non posset non obedire voci ejus »

LXXXVII. » Pari efficacia Valentiae peccatori ad numquam confitendum
» obstinato, et confessionem persuasit et integram totius vitae mutationem,
» solitus postea dicere: *religiosus iste non est homo, sed angelus.* Quid-
» quid porro aliud intendebat, eadem flexanimi comitate eloquentia-
» que obtinebat. Inde ad visitandam quamdam infirmam missus, quae
» medicis de sua salute desperantibus, nimis muliebriter suum dolebat
» infortunium, eidem tanto cum spiritu verba fecit, ut in omnem Dei
» voluntatem prompta facile ostenderet, non humanae, sed divinae sua-
» delae mutationem tantam esse. Quin et aliorum culpas, etiam superiorum
» blandissimo quodam humillimoque modo sic notabat, ut non indigna-
» retur quispiam, sed delictum agnosceret reprehensus, gratias agens de
» admonitione tantae charitatis plena. Quod si videbat aliquos levi de
» causa absentes a choro aut oratione, subridens ipse dicebat in transitum:
» *quid isti hic agunt? cur non eunt in chorum?* et mox tacebat: illi
» vero nihil cunctantes, placidae ejus suggestioni obtemperabant ».

LXXXVIII. » Est in montibus Loritano conventui vicinis spelunca, ad
» quam per hebdomadam unam se conferebant religiosi singuli, eremiti-
» cae vitae delicias ibidem studiosius experturi: nihil autem eo inferebant
» praeter pauxillum biscocti, et cucurbitam aquae. Et illi quidem ve-
» niebant inde auditum missam, sed ea absoluta revertebantur, nemini
» loquentes nec pedem inferentes conventui, nisi finita hebdomada, quando
» redibant fasce lignorum onusti. Hoc exemplo motus quidam novitius,
» non solum simile quid ambiebat, sed etiam tentabatur, ut dimisso
» ordine desertum aliquod peteret, vitam ibi solitariam perpetuo actu-
» rus: prius tamen de hoc suo exilio voluit conferre, cum sancto
» tunc Valentiae existenti. Agnovit mox Paschalis diabolicam eam esse
» suggestionem: eique ostensurus non esse uniuscujusque solitudinem te-
» nere: *cum ego*, inquit, *habitarem in conventu Dominae nostrae de Lo-*

» *rito*, *contigit praedicatorem* (qui istic solebat per aliquot hebdomades » in spelunca quae ibi est, se recolligere) *nocte quadam sic terreri a doe-* » *monibus*, *visis in tugurium ignem jaculari*, *ut relictis quos istuc in-* » *tulerat libris quibusdam*, *fugerit ad conventum*. *Tunc missus a guar-* » *diano sum relaturus praedictos libros*, *volui ea nocte experiri quid esset* » *vita solitaria*: *atque sub initium noctis oravi aliquantulum*, *deinde ad* » *somnum me composui*; *media rursum nocte ad repetendam orationem* » *surrecturus eamdemque continuaturus usque mane*, *praemissa prius acri* » *corporis flagellatione*. *Verum longe diverse accidit*: *in somnum enim* » *tam profundum incidi*, *ut non prius expergiscerer*, *quam per os spe-* » *luncae ingressi solis radii*, *diem jam esse significarent*: *atque ita insi-* » *gniter ludificatum me videns*, *redii ad conventum plenus confusione*. » Valuit porro exemplum, a propria ejus persona sumptum: et novitius » nihil in sua deinceps vocatione titubans, propositum tenuit usque ad » solemnem professionem ».

LXXXIX. » Insigni autem erga salutem profectumque animarum fe- » rebatur zelo in omnem lucri spiritualis occasionem, instar seduli mer- » catoris intentus. Hinc cum Franci quidam perquam rudes, in effodi- » enda cisterna apud conventum Villae-Regalis laborarent, coepit eis do- » ctrinam christianam explicare assiduitate et patientia maxima, articu- » los fidei, et praeceptorum decalogum ignaris praeiens et lectionem eis » suam repetens. Didicerat etiam facere cordulas ad usum confratrum, qui- » bus ut se quamplurimi jungerent, satagebat explicando multitudinem » gratiarum et indulgentiarum ab Apostolica Sede confraternitati concessa- » rum. Suadebat praeterea frequentem confessionis et communionis usum, et » ne qua occasio dimitteretur jubilaeum aliquod promerendi, vel indul- » gentias granis benedictis attributas, quorum grande sertum circumferebat » ipsemet, ad singulas quotidie statas preces decurrebat. Ex eodem animas » juvandi desiderio procedebat fervor, tum per seipsum praedicandi qui- » busvis egentibus, ex quibus fuerunt in Villa-Regali mulierculae ali- » quot prostitutae pudicitiae, tum per praedicatores sui ordinis, quos » ferventissimis verbis, et rationibus efficacissimis hortabatur ad suum munus » fructuose peragendum: cujus rei crebram ipsemet experientiam habui. Scio » autem quod alteri etiam, Villenae per quadragesimam concionaturo, datus » socius, quem sciebat minus facile minusque libenter id officii facere, » quia sui ipsius praedicator magis, quam Christi erat, abduxerit eum ab » errore sic, ut maximo cum fructu, minimoque cum labore suas illas » conciones absolverit. Ad hoc vero ostendebat necessariam esse orationem » multam, qua fructus inter auditores faciendus peteretur instanter. Itaque » die quadam ingrediens in cellam praedicatoris, ejusdemque guardiani » sui in Villa-Regali, et eum perquam solicitum in pervolvendis libris » reperiens, dixit: *non omnia reposita sunt in libris*, *sed ad meditatio-* » *nem se dare quisque debet*, *bonos sermones in ea formaturus*. Considerans » denique quam efficax ad correctionem vitiorum animarumque salutem » esset divini verbi praedicatio, efferebatur gaudio ad signum campanae » eo vocantis, et orabat ferventer tam pro praedicatore cathedram ascen- » suro, quam pro populo audituro »

XC. » Subinde autem dignatus est ostendere Deus, quam gratus es- » set sibi iste salvandarum animarum zelus, revelando eidem secreta

» quorundam hominum peccata, quo magis ille accenderetur, agnita » proximi necessitate. Ita cum aliquando comitaretur sui conventus praedicatorem fr. Bartholomaeum Pastorem, hospitio exceptus a devoto » quodam ordinis fratre et ad mensam perhumaniter adhibitus, cognovit » ejus animam a daemone captivam teneri, eique voce ad testandum miserationis affectum composita dixit: *frater, confitere nunc; tam commodam in socio meo occasionem habens.* Respondit hospes, Dominica » die id se facturum commodius in conventu. Tacuit tunc quidem Sanctus, sed interiores animi stimulos quibus eum pungebat amor istius » animae lethaliter sauciae, dissimulare non valens, in eumdem rursus » sermonem post modicum est relapsus, suadens et instans ut illico confiteretur; excusante se nihilominus hospite, ipsoque socio importunitatem » istam moleste ferente, et nimiam Paschalis simplicitatem intra se redarguente, quod hominem imparatum, nulloque examine praemisso » dispositum sic urgeret, tandem tertio eamdem cantilenam cum iteraret, » nequivit pungenti intus conscientiae diutius resistere hospes, et ultro » coepit resistenti confessario supplicare, ut se confiteri volentem, confestim » audiret: dimissusque in genua, credo, inquit, pater, quod Deus fr. » Paschali revelaverit peccatum quoddam mortale hisce diebus a me patratum, neque enim est aliud quod conscientiam gravet. Quo audito » dixit intra se confessarius; vere Deus benedicto isti hujus fratris conscientiam detexit, simul et hujus erga nos charitatem et illius pro animabus zelum remunerare volens ».

XCI. » Magis etiam notabilis casus accidit in loco cujusdam conventus, ubi ostiarium agebat Sanctus. Homo ibi erat fratribus ipsique » Paschali pie addictus, quem fornicationis spiritus eo adduxerat, ut » alienam uxorem inductam haberet, ad crimen adulterii certa hora ac » loco committendum, cum maximo utrimque periculo vitae: quia » rem subodoratus maritus cum suis consanguineis, aperiebatur occasio » utriusque citra periculum suum occidendi. Ibat ille nihilominus impositas sibi insidias, sed audiebat a tergo campanulam sonantem, ad quam » respiciens (nox enim per lunae claritatem sublustris erat) nihil circa » se vidit, neque tunc, neque secunda, ac tertia vice, quibus, ipso » iter suum intentionemque prosequente, suum quoque sonum dare perseverabat campana vicinior semper, tandemque propinqua adeo, ut calceo » videretur esse affixa. Ad hunc tertium sonitum aures obstinati cordis » aperuit homo, divina intus movente gratia: et, quid si, inquit, coelestis haec admonitio sit, porro ire prohibentis Dei. Itaque converso » cum mente gressu, coepit Divae Virginis rosarium devotius recitare, » ac demum retro ire: proxima vero die cum obviae sibi mulieri multis » se vellet excusatum, quod non adfuisset loco et hora statutis; ne in » hoc labores, inquit ista, sed Deo potius age gratias, quod te atque » me eripuerit morti, nobis in constituto loco praeparatae ab inimicis, » qui nos ibi expectabant, ac deinde nullum domus angulum dimiserunt, » quam non sint perscrutati. Obstupuit ad haec ille, et ad conventum » se contulit, ubi mox fr. Paschalis ei obvians secreto dixit: *frater, » dudum est, quod te expectabam, acturus de negotio momenti maximi, » et reprehensurus, quod tam dissolutus sis in persequendis appetibus » tuis: quia enim tantopere te diligo, tua causa duxi pejorem, quam*

» *alias unquam in vita mea*, *noctem*. Interroganti vero quam ob rem : » dum satago, inquit, ne vitam simul et animam perderes. Cumque » etiam tunc ostenderet flocci se istud pendere: *recordare*, inquit Sanctus, » *quommodo pater tuus*, *quia te genuit*, *haec et illa sit passus*, enu » merans singula, quae filii causa ipsi acciderant, etiam secretissima quae- » dam, et humana ratione neutiquam rescita. Praedixit etiam eidem » plurima eventura, quae ad litteram complentur quotidie, cum magna » admiratione ipsius testis, et omnia ei divinitus revelata fuisse agno- » scentis : qui rursum, cum ei hoc capitulum perlegerem, asseruit cum » lacrymis sic accidisse, nec habere se quod demptum, vel additum » velit ».

XCII. » Dum ostiarium Almanzae ageret, matrona quaedam valde ad- » dicta ordini ipsique Beato curaverat certum numerum missarum di- » cendum, quia Paschalis ei revelaverat animam fratris ejus purgatorio » detentam eo subsidio egere ; postea vero cuidam suae nepti familiarius » dilectae dixit : magnus Dei servus est fr. Paschalis, neque praeter me » alius Almanzae novit, ad quantum gradum sanctitatis pertingerit ; ex » iis autem quae de ipso novi, certissimum habeo (atque hoc memo- » riae manda, charissima, usque ad meam mortem si forte prior te de » vita tollor) sancte eum moriturum, et in hora sui exitus multis mi- » raculis honorandum a Deo. His mota neptis, et confirmata in ea quam » de Paschali pridem habuerat opinionione, desideravit per eamdem amitam » suam ex ipso discere, anima patris vel matris suae esset in purga- » torio, et egeret aliquo ad egrediendum inde subsidio. Fecit quod erat » rogata matrona, et post aliquot dies responsum a viro Dei acceptum » retulit nepti, alterum quidem eorum non egere suffragiis ; pro altero » vero velle Deum, ut missae triginta totidem continuis diebus diceren- » tur, assignando peculiarem quae sub ipsis dicenda esset, collectam. » Quo facto iterum requisivit mulier Sanctum per eamdem amitam suam, » numquid ultra opus foret : responditque Beatus, sufficere adhibitam » modo diligentiam, qua et Deo acceptissima fuerit, ideoque specialiter » ab eo remuneranda esset ».

XCIII. » Idem ostiarii officium exercebat Valentiae, quando ibi vi- » vebat religiosus quidem, solitus quavis nocte corpus suum tam severe » flagellare, ut ecclesia tota concuti videretur. Orabat tum aliquando in » ea Sanctus, cum ei revelavit Deus, flagellationem hujusmodi diabolicae » tentationis effectum esse, laqueos suos sub boni specie occultantis. Sur- » rexit igitur ivitque ad eum ; quanto autem ei appropinquabat magis, » tanto fugiebat longius daemon : cujus rei indicium manifestum dabat » relicto post se sulphureo odore tam tetro, ut simile nihil huic odori » percipi posse videretur: simul et fratri illi arrecti sunt pili capitis prae » horrore. Dixit autem ei Sanctus : *non ita deinceps*, *non ita frater* : » *ecce enim dum unum alterumve vehementiorem ictum alicui corporis* » *parti inflixisti*, *mortificata caro reliquos non sensit*: *hi proinde ad aliud* » *non serviunt*, *quam ut corpori infirmitatem inducant*, *molestiam creent* » *communitati*, *ipsum religiosum ad laxitatem perducant*, *dum praetextu* » *necessitatis*, *quaedam sibi indulget*, *quorum postmodum usus in con-* » *suetudinem transeat*. Contigit etiam, ut in itinere constitutus obviaret fra- » tribus aliquibus propter viae laborem jejunium non observantibus : de

» quo eosdem reprehendit, certum tamen est nonnisi revelante Deo hoc
» ipsum scire potuisse »
XCIV. » Pro certo habetur, multa quoque alia divinitus ei revelata
» fuisse, quae pro sua humilitate neque ipsemet aliis etiam superioribus
» declaravit, neque ut declararet, hi voluerunt eum compellere. Patuit
» id quando ad scribendam vitam S. fratris Nicolai Factoris, inquisitio
» fiebat in ejus virtutes, et memoria dignas actiones, imposito cunctis
» praecepto obedientiae quidquid noverant enuntiandi. Hoc praecepto in
» arctum coactus Sanctus, primum quidem cunctabatur, eo quod in
» iis quae noverat ipse, nonnullam partem haberet: ac denique id solum
» et praecise manifestavit, quod ad gloriam Sancti facere videbatur; cae-
» tera silentio involvit. Deposuit itaque juratus, quod fr. Nicolao nocte
» quadam obtigerit divina revelatio per stellam mirabiliter luminosam:
» simulque didicit etiam sibi Paschali similem obtigisse favorem: seque
» id ex eo cognovisse, quod occurrentem se tenero complexus affectu,
» quasi in enigmate dixerit: *tenesne memoria, frater, noctem stellae?*
» *multos magnosque favores tunc a Domino recepisti.* Sed quinam hi fa-
» vores fuerint, tacuit, Pascalis: neque ullius unquam importunitate postea
» induci potuit, ut eos revelaret. Verosimile est igitur eamdem silentii
» legem ipsum tenuisse circa alia, propriam dumtaxat perfectionem indi-
» cantia, et dona sibi gratis data ».
XCV. » Quamvis Dei servus singulari studio conaretur donatas sibi
» divinitus gratias hominibus occultare, et exemplis magis prodesse quam
» miraculis, obedientiae tamen et charitatis respectus pellebant eum ali-
» quando extra eos, quos sibi humilitas fixerat, terminos, quemadmo-
» dum in sequentibus curationibus, solo signo crucis patratis, apparebit.
» Cum nocte quadam fr. Petrus Cabrellas, in conventu Villae-Regalis prae-
» dicator continuo sanguinis vomitu exhauriretur, ut mors certa ei adesse
» videretur, confidens tamen quod virtus Paschalis sanitatem sibi posset
» recuperare, rogavit guardianum, ei ut mandaret guttur suum crucis
» signo notare. Quod rogando primum cum ab ejus humilitate non im-
» petraret superior, veniendum ad obedientiae praeceptum fuit: quo im-
» pleto, cessavit ipso momento ille sanguis fluere, ita ut quamdiu deinceps
» vixit (vixit autem quatuor adhuc mensibus) simile nihil passus sit ».
XCVI. » In eodem conventu erat alius sacerdos fr. Joannes Lopez,
» dentium dolore graviter cruciatus, qui cum noctes aliquot egisset ea
» causa absque somno, neque ad matutinas aliasque orationes cum
» caeteris posset assistere, in festo Assumptionis propter ejus solemnitatem
» conatus vincere quam tolerabat molestiam, ut melius potuit, ad matu-
» tinas venit; ipsisque necnon mentali oratione finitis, caeterisque ad
» suas se cellas recipientibus, solus ille cum fr. Paschale mansit in choro;
» eumque jam solum affectuose rogavit, ut apud Dominam Nostram de-
» precaretur pro se, ut festum cum fratribus agendo, particeps fieret com-
» munis solatii. Cui respondit Paschalis: *vale, hodie tibi non dolebunt*
» *dentes.* Nec sane doluerunt die ista: sed nocte sequenti, velut finitis in-
» duciis, rediit idem dolor, multo quam unquam antea vehementior. Ergo
» ex sua se proripiens cella, coepit per dormitorium veluti sui impos
» discurrere et quiritari: accurrentibus vero nonnullis ad voces ejus cla-
» mosas, cum iisque fr. Paschale nec invenientibus quod ei solatium fa-

» ceret, supervenit fr. Joannes Olacte, atque dixit: frater Joannes, dicito fr. Paschali, ut crucis signo super te formet, quia cum Valentiae essem gravique angina torquerer, ut eodem me signavit, statim convalui. Ad haec verba recordatus infirmus ejus quod sibi ipse recenter acciderat, rogavit eum, ut ipse signaret. Sed Paschalis, angelico quodam modo subridens, bis se excusavit amanter dicens: *tace, improbe, nec ista dicas*. Verum dolore incrementum per singula momenta sumente, in genua se conjecit infirmus, magno cum affectu dicens: frater per Dei viscera miserere mei, quia ecce morior; fac obsecro crucis signum. Tum Sanctus tantillum cunctatus, incenso rubentique vultu se convertit et dixit: *confide, et crucis signum ipse facito*: atque ita cessavit omnis dolor, cum praesentium admiratione maxima, qui Deum in Sancto suo laudantes cubitum recesserunt».

XCVII. » Fr. Joseph Hidalgo in sua depositione affirmat, quod cum in conventu Villae-Regalis moraretur cum Sancto, collum sibi cum dolore grandi intumuerit: quodam autem die quaerens ex eo fr. Paschalis, quo in statu esset malum ejus, jussit ut se inungeret oleo lampadis ante imaginem S. Francisci ardentis: quo proxima nocte facto, mane se persanatum laetatus est. Jacobus Masquefa mercator et civis Villae-Regalensis coram commissariis episcopi Tortonensis juravit, quod extremis colicae doloribus aliquando gravatus, cum audisset Sanctum per plateam petere eleemosynam, invitari eum ad se jussit, rogavitque ut ventri suo signum crucis imprimeret, nihil dubius, quin hoc satis futurum esset ad optatam sanitatem recipiendam. Excusabat Sanctus peccatorem se esse, a quo talia peti non deberent: sed cum persisteret supplicando infirmus, et appareret cruciatus eum pati gravissimos, charitate motus, ut alias obedientia signum crucis formavit ei: et quasi ipso facto discinderetur funis aliquis intestina constringens, subito liberum se sensit; miraculo tanto celebriori, quod malum pridem familiare ac frequens infirmo, penitus cessaverit, neque ex ea hora ultra eum afflixerit ».

XCVIII. » Eodem in loco puella quaedam Paula, Lianzola nuncupata, duas collo strumas ferebat, alteram ovo parem, alteram aliquanto minorem annis jam quatuor: et earum quidem unam ut curaret, aperuerat chirurgus, sed nec ipse, nec alius qui postea manum admovit, quidquam medelae adferre valuit, sed in pejus vergebat quotidie malum. Accidit ergo, ut illac transiens Paschalis, matrem filiamque amare flentes repererit; hanc quidem, quia incurabile videbatur malum; istam vero, quia eodem prohibebatur filia sibi atque marito, visu privatis, ministrare. Suum porro infortunium prolixe et dolenter explicanti vetulae, dixit fr. Paschalis: *consolare, soror, filia enim tua sanabitur*. Rediit autem expresso die postero Sanctus ad ejus domum quae dicebatur Joanna Vidal uxor Joannis Lianzola, quaesivitque an domi esset filia sua. Qua respondente, domi esse, accersiri jussit, atque omnes pannos applicari plagae et emplastra deponi, deinde signum crucis fecit, dicens: *gratia Patris et Filii et Spiritus Sancti sit tecum. Amen*. Tertioque repetens sacra Jesu ac Mariae nomina, mandavit puellae, ut confiteretur, mox sana futura; et vetuit ne quid amplius plagae imponeret, vel alteri tumori proxime aperiendo. Mirum dictu! Veluti si

» radicitus exempta fuisset strumarum una, ipso illico instanti evanuit; » altera intra quartum quintumve diem sanata similiter est, eodem, » quo Sanctus eam tangebat, momento rupta. Postea puellam monuit, » ut redditis Deo gratiis silentio premeret modum curationis suae: quod » illa fideliter tenuit, ne contristaret eum, a quo alias dolentibus oculis » suis simili ratione curatam se meminerat. Ad majorem autem testifi- » candae post Sancti mortem veritatis fidem, remansit in collo puellae » cicatricula, quam hodieque ostentat.

XCIX. » Balthassar Rubert civis Villae-Regalensis de filio suo Josepho » deposuit, quod febribus adductus fuerit in mortis jamjam imminentis » discrimine: sed cum Sancto eum commendasset, ipsi et uxori ipsius pro- » misit non moriturum: et promisso fidem fecit secuta brevi sanitas. Isa- » bella Pallaras, uxore Petri Ceralta civis Villae-Regalensis negligentius » filium infantem custodiente, per scalas usque in solum hic cecidit tam » graviter impingens, ut mortale vulnus in fronte apparuerit: nam ultra quod » graduum septendecim scalae essent, impegerat caput in columnam sive » postem domus. Congregati ad curam chirurgi, decreverant terebrandum » cranium: et puer oculis clausis spem vitae nullam faciebat, matre plu- » rimum anxia tum propriae orbitatis sensu, tum metu mariti mox » ac domum rediisset rem intellecturi. Interim opportune eo accessit » Sanctus, eam consolans, quae magna cum instantia ac fide ei dixit: » ora pro pueri salute, Pater, aut saltem ut uno adhuc anno vivat, ut- » que maritus meus nesciat mea culpa mortuum esse. Cui Sanctus: *quo- » niam*, inquit, *soror*, *non petis*, *ut absolute vivat filius*, *sed solum ut » librereris a molestia quam times a marito, confide in Deum*: *credo enim » certo*, *quod te juvabit*, *et ego ex mea parte juvabo intentionem tuam*. » Dies nonus Aprilis erat cum haec agerentur, et puer jam pene mortuus » aperuit oculos, alacerque et vegetus expedivit se ab ulnis maternis: et » pila in pavimento jacente ludere incipiens, ostendit facto, quod verbis » necdum dicere poterat, se esse sanatum. Sanus autem perseveravit toto » quo sanctus promisit tempore; anno deinde vertente, ipso nono die » Aprilis obiit ex alia infirmitate tam levi, ut qui aderant, dicerent » videri puerum velut joco mori; sed mater recordata quod ipso hoc die » terminaretur annus gratiae a Beato promissae, idque publice enuncians, » admirationem cunctis duplicavit, imprimis marito suo modicam uxori » suae fidem redarguenti: quia si vitam, inquiebat, absolute petiisses, » etiam hanc impetrasset Sanctus per annos plures ».

C. » Angelae Gomban uxori Michaelis Morena civis Villae-Regalensis toto » jam mense lac defecerat, quo filium aleret, magna cum ejus molestia, » utpote quae paupercula erat, nec facile inveniret quae lactando infanti, » gratis praeberet ubera. In hac afflictione posita, transeuntem forte Pa- » schalem rogavit cum lacrymis, ut se commendaret S. Francisco: cui » Sanctus solita comitate respondit: resumere animum; mox enim lacte » abundaturam, sicut revera accidit. Pectori enim mensem integrum arido » admotus infans jam desuetus eidem admovere labia, cupidissime se im- » mersit, et copiosum lac trahens, formosus pinguisque cito apparuit, » donec ablactaretur tempore congruo, cum magna admiratione vicinarum » quae noverant, quamdiu lac Angelae defuisset. Isabella Amcilla, uxor » Francisci Fernandez civis Villae-Regalensis, jurata sicut et caeteri testes

» asseruit, quinque filios se habuisse, quos omnes intra quartum quin-
» tumve mensem amiserit, tanto cum eos lactaret uberum dolore excru-
» ciata, ut ultra concipere formidaret. Post mortem autem quinti filii pau-
» perculum quemdam suscepit ex devotione lactandum; sed ab hoc quoque
» ad pectus sumpto eosdem patiens dolores, desperavit ipsum a se feli-
» citer educari posse. Sub haec Joannae Trullench amicae suae colloquens,
» intellexit ipsam quoque eadem passam, sed a fr. Paschali cui devota
» erat, curatam esse; neque dubitare eam, quin si ad eum similiter re-
» curreret, salutem esset consecutura. Credidit mulier verbis amicae, ca-
» ptaque occasione praesentis ad ostium suum fratris eleemosinae causa,
» rogavit eum ut sibi a Deo impetraret gratiam hujus pueri educandi:
» pro qua ille se oratnrum libens promisit, et post pauculos dies rever-
» tens: *confide*, inquit, *domina, quia orationes meae tibi non deerunt,*
» *et hac vice sana infantem istum educabis.* Sicut et fecit magno cum
» solatio suo ».

CI. » Post Isabellam etiam Joanna Trullench mox dicta comparuit
» deposuitque sub fide jusjurandi, quod statim a puerperio prohibita fue-
» rit partum suum lactare, papillis fissis, et uberibus dolentibus. Cum-
» que ei haec infirmitas quatuor circiter menses durasset, moesta illa San-
» cto eleemosynae causa ad ostium domus suae venienti, infelicem suam
» conditionem manifestavit, qua cogebatur alieno lacte alere prolem. Illa
» autem ab eo confidere jussa, oratorium se recepit, ipsoque temporis
» puncto sana perfectissime fuit. Francisca Montanez uxor Francisci Pi-
» tarch notarii civis Villae-Regalensis, filiam se habere dixit nomine Pe-
» tronillam, annorum quatuor, quae paullo ante quam moreretur Sanctus,
» difficilem urinae suppressionem patiebatur. Cumque proavunculus puellae
» recurrisset ad conventum, quasdam in medelam herbas petiturus, et
» narrasset Sancto periculum dilectissimae sibi proneptis, solatium accepit
» ex eo audiens ab ista infirmitate non morituram. Ea vero mox ac dein-
» ceps libere urinam reddidit, intercessione, sicut familia omnis credidit,
» fr. Paschalis ».

CII. » Taedium lectori parerem, si vellem referre omnes quas mulie-
» ribus sibi devotis Sanctus obtinuit gratias: non tamen possum quin nar-
» rem miraculum Villae-Regalensibus civibus notum, patratum in persona
» Hieronymae Verguesa uxoris Guilielmi Montanez. Ceciderat haec e
» domus suae solario, cadensque, os coxendicis ruperat secundum lon-
» gitudinem: quod genus fracturae, tali praesertim in parte, difficillimum
» curatu esse dicebant periti; neque credebant futurum, ut absque su-
» baxillaribus fulcris unquam egredi posset. Recurrit ad commune moeren-
» tium solatium maritus, casu uxoris afflictus, a quo confidere jussus
» est: futurum enim ut recta per domum ambularet uxor, non expresso
» tamen quo id fieret tempore; atque hoc idem simili modo repetebat,
» quoties vir accedebat ad Sanctum. Interim curabatur mulier a chirurgis
» in oppido de Burriol, unde revertit paupercula non tantum non sana,
» sed adeo male habita, ut nonnisi post bimestre potuerit de lecto sur-
» gere, ac deinde aegerrime promovere gressum, subaxillaribus nixa per
» menses aliquot, absque spe humanitus convalescendi, etiam ex judicio
» chirurgi qui curam susceperat. Postmodum contigit mori Sanctum tanta-
» que operari miracula, quanta infra videbimus: quibus auditis ipsa, memor

» promissi marito suo facti, voluit ad corpus venerabile honorandum ac-
» cedere. Pervenit ergo ad sacrum feretrum, hinc quidem furcillae, inde
» alteri personae innitens, et qualemcumque gressum difficillime moliens.
» Mox autem ac manum exosculata est, sensit veluti secretam virtutem,
» exinde transfusam in corpus suum, totum percurrere, et solidari ossa,
» sic ut potuerit sine furcilla atque per se sola domum regredi, miran-
» tibus omnibus, et laudantibus Sanctum in promissis etiam post mor-
» tem praestandis ».

CIII. » Alia mulier in Villa-Regali nomine Catharina Lenzola, tertium
» quartumve diem laborabat in partu filiae, in utero transversim positae,
» neque de ejus morte dubitabatur, propter sanguinis quam emittebat,
» copiam. Sed cum filium quemdam suum misisset ad conventum ad ora-
» tiones Sancti petendas, ipso quo inter se locuti sunt puncto puer et
» Sanctus, peperit mulier cum suo partu sana et salva. Eadem alias pa-
» ritura filium, et memor beneficiorum in se collatorum a Sancto, misit
» similiter quae peterent orationes: et priusquam internuntiae reverte-
» rentur, expedita fuit a laboribus partus: quod tamen plenae felicitatis
» non fuit. Exulcerata enim grandibus plagis, patebant ubera: quare rogavit
» Sanctum, ut sibi a S. Agatha V. et M. peteret gratiam. Quod illa cum
» libenter se facturum respondisset, melius se habere mulier sensit: tertio
» autem die nec vestigium quidem plagarum superfuit; miraculo tanto
» certiori, quod in decem suis puerperiis idem semper sic passa sit, ut
» quatuor aut sex mensibus ad curationem exigeret, et ad lactandam prolem
» alieno opus haberet auxilio, quo in praesentiarum nullatenus eguit ».

CIV. » Puella quaedam Francisca Monserrada nomine, ex abundantia
» sanguinis in caput subeuntis oculorum infirmitatem incurrerat tam gra-
» vem, ut post decem dies unius oculi visum prorsus amiserit, per ne-
» bulam pupillae superinductam. Aperta ei saepius erat vena, setacea
» etiam corda per collum trajecta, nonum jam mensem gestabat, ab-
» sque convalescendi remedio. Eapropter moesta puellae mater cum qui-
» dam ejusdem oppidi inquilinae mulieri occurrens, causam ei sui do-
» loris narrasset: quin tu, inquit illa, ad S. fr. Paschalem adducis fi-
» liam certo certius curandam? Paruit altera, accedensque ad ostium
» conventus dixit Sancto: jam nosti, Pater, infirmitatem filiae meae;
» credo pro certo quod vestra reverentia mihi eam possit cum Dei auxilio
» curare: supplico igitur per datam tibi divinitus gratiam, ut mei me
» voti compotem facias. Cui Sanctus: *ne talia*, inquit, *mihi dixeris*,
» *soror*; et continuo puellam advocans, dixit: *veni huc, et supra oculos*
» *tuos tertio pronuntia haec verba*; *per signum sanctae crucis*, *Jesus*,
» *sancta Maria*. Hoc facto sanari puella coepit, donec integram oculorum
» aciem recuperavit. Verum non fuit haec eis diuturna laetitia; cum
» enim post paucos exinde dies nimio aliquo labore corporali excitus san-
» guis, denuo ad oculos ascendisset, rursum aperienda puellae vena,
» rursum setaceum funis per collum trajiciendus judicabatur. In hoc rerum
» statu rediit ad ostium Sanctus, et quomodo cum filia ageretur inter-
» rogans matrem, eadem quae prius audivit. Itaque iterum eam solatus
» ac bono animo esse jubens, puellam sine laesione sanandam promisit:
» atque ita factum est, ut pro minuendo sanguine adveniens die sequenti

» chirurgus admirabundus dixerit, nihil eo opus esse, quia ex integro » sana puella erat ».

CV. » Alteri mulieri cui nomen Franciscae Marco, filia fuit Isa- » bellae Pasquala, quam curavit Sanctus a tuberibus pestilentibus, quorum » unus clauso pugno aequalis erat, minores alii, quibus collum usque » ad caput annis multis obsitum fuerat. Non audebat eis manus appo- » nere medicus, sed sperare faciebat matrem, quod aetate maturiori eva- » nescerent, accrementa importuna per menstruas purgationes. Verum cum » ad ostium forte adesset Sanctus, ubi ordinarie audiebatur parvula » plorans propter dolores colli, quaereretque de ejus valetudine, solo ma- » nuam suarum tactu eam sanavit absque alia ulla medicina. Ne autem » mulieres dumtaxat viderentur beneficia Sancti esse expertae, concludam » hoc caput gratia una, obtenta per devotionem viri cujusdam ejusdem » oppidi Villae-Regalis, dicti Bartholomaeus Moliner. Filius huic erat tri- » mulus, suppressionem urinae obnoxius. Quadam autem vice cum ultra » biduum hoc malo laborasset puer, nec ulla ei medicina prodesset (nam » inter arenas quibus gravabatur, calculus erat nucleo pini aequalis, » ubi postea cognitum est) cruciatuum suorum vehementiam demonstra- » bat parvulus, quibus poterat planctibus torsionibusque membrorum, » non sine ingenti patris omniumque circumstantium sensu, puerum coram » oculis suis mori videntium. Haec dum fierent, transibat eadem forte » platea Sanctus, et domum istam veniens, ubi filii patrisque dolores » vidit, manum affecto corpori modeste admovit. Et ecce velut ad tactum » sacrum non ferens malum, reseratis subito cataractis, simul erupit petra » urina, arena multa, puerumque exoneratum ac sanum dimisit, qualis » etiam nunc perseverat, nullum ab inde incommodum passus, absque » aliquo vestigio reliquo prioris symptomatis »

CVI. B. Sebastianus ab Apparitio commorans in coenobio S. Francisci Populae de Angelis in provincia Mexicana, licet aetatis suae anno LXXXIII. attamen laetus et gaudens laboriosum munus adhuc obibat emendicandi stipem in poximioribus vallibus de Atrisco et S. Pauli, aliisque in locis satis asperis. Ut autem eam jam collectam ad coenobium asportaret, plaustra bobus ducebat, qui quidem quoties ab eo nominibus impositis vocabantur, ejus nutibus obsequentissimi sese exhibebant, ejusque insuper vestam lambebant, ac mire blandiebantur. Contulerat ei Dominus in animantia dominium et potestatem. Praecipua de his facta notamus. Huc illuc quadam die illi vagantes, jusso accepto a Beato, ne segetibus inferrent damnum, agros pertransibant spicis affluentes, quin unam tangerent. E villa Carionis rediens, et plaustrum item ducens tritico onustum, sub noctem solutis bobus, numerosissimum formicarum agmen super triticum vidit, quas Beatus statim admonuit, ut quid facerent, bene adverterent, quia frumentum illud ad S. Franciscum pertinebat; et mane insequenti nullam formicam nec acinum tetigisse comperiit. Dum alias suo plaustro lapidibus onerato praecedebat, cum alter ex bobus nimio pondere defaticatus illud trahere nequiret, illum a jugo solvens, vaccam ibidem compertam quae numquam jugum tulerat, pro bove fesso plaustro substituit; sed quia juvenculus ejus mugiens matrem sequebatur: *siste hic*, dixit ei Sebastianus, *quousque mater tua laborat*; et dictis fuit audiens vitulus. Alia

Ex summario super virtutibus B. Sebastiani p. 27. et seq.

inde itinera iniit Beatus cum plaustro usque ad vesperam, absque eo quod juvenculus a loco sibi adsignato moveretur.

CVII. Cingulo suo alligavit, jugo supposuit, et mansuetum reddidit juvenculum natura ferocem, ferocioremque inde effectum ob morsum in rictu ab altero tauro acceptum, ei eleemosyna donatum, qui a quopiam tangi non patiebatur. Similia egit in alios, quos nec Indi quidem continere valuerant. Prae caeteris unus erat, qui calcibus ita quoscumque petebat, ut nemo unquam illum onerare potuisset. Quare ad illum accedens Beatus dixit ei: *quid agis stulte et immanis. Forsan nescis nos ad serviendum natos esse?* Mox quibusdam frumenti sacculis ei impositis in plaustro, mansuetus incessit. Alia quamplura vulgavit Joannes de Torquemada in ejus vita anno MDC. Mexici edita.

CVIII. His alisque licet curis distentus, numquam tamen a Dei sui praesentia recedebat, a quo spiritum intimae unionis jam obtinuerat. Hinc saepe sub dio integras, baculo innixus, traducebat noctes in coelestium rerum meditatione, ac decedentibus undequaque nivibus ac pluviis, ab iis tamen nec ipse, nec plaustra, nec boves conspergebantur. Studium vocalis orationis iis addebat, manu semper gestans ac recitans precatoriam B. Virginis, quam summo devotionis affectu prosequebatur, coronam.

CIX. Nec modica asperitate traducebat dies; senectute enim gravatus, infirmitatibusque, ac praesertim lethali hernia, qua ab continuos labores in ducendis plaustris diu affiictabatur, cruciatus, rudem, laceram, ac pannosam vestem carni adhaerentem gestabat, nec pileum, algente etiam frigore, aut urente sole, capiti unqnam admovebat; longaque per valles et montes itinera nudis semper peragrabat pedibus, adeo ut ex saxis, spinis, aliisque offendiculis, iidem pedes et crura saepe sanguinem effunderent. Interim aliquando nudus, aliquando cum veste in gelidum aquae stagnum, et aliquando in agros, per quos defluebat aqua, se sternebat. Ejus abstinentia et sobrietas tanta erat, ut licet tot laboribus defaticatus, utplurimum panis frustro, et exiguo vini haustu se in diem reficeret; caetera sibi a piis viris oblata, constanter respuebat, dicens: *non decere viros religiosos cibos exquisitos sumere, si coelum ingredi cuperent.*

CX. Virtutibus meritisque cumulatus emicabat etiam in coenobio S. Mariae de Jesu Compluti B. Julianus a S. Augustino laicus. Vix enim emissa professione ita ardua ac difficilia aggressus est, ut austeritatis et poenitentiae miraculum merito appellaretur. Cellam ac lectum unquam retinuit; brevi sopori se dabat vel super nudam humum, vel in aperto aere, vel in Ecclesia, ubi de nocte jugiter orationi ac rerum divinarum meditationibus incumbebat. Abstinentia ac sobrietate eximius, modico se alebat pane, et aliquando etiam aliqua dape, attamen vilissimae conditionis, ac exiguae quantitatis. Tam diria interim afflictationibus membra castigabat, ut ad nudam carnem, velut indumento revinctus erat quibusdam catenis ferreisque annulis, viginti librarum ponderis. Gestabat etiam super pectus crucem item ferream longitudinis dimidii palmi, latitudinis vero duorum digitorum, quae valida in carne profundaque vulnera infligerat. Rosarium item praecatorium intextum de clavibus arcae S. Didaci, quinque vel sex librarum

Ann. min. ad an. 1575. num. 139.

Ex summario super ejus virtutibus p. 48. n. 68. et seq.

Ibidem p. 46. n. 21. et seq.

ponderis deferebat. Quare hisce poenalitatibus ferme consumptus, corpus ejus cadaveris instar evaserat.

CXI. Iis igitur onustus corporisque cruciatibus attritus, in explendis tamen superiorum suorum mandatis maxima animi promptitudine, mirabilique alacritate sese praebebat; nam non semel missus ad petendas eleemosynas, addito mandato, ut certo determinato tempore ad coenobium remearet, ne praeceptum solveret, ingruentibus etiam tempestatibus, praefixa hora illuc redibat. Quibusdam suis sodalibus eum notantibus, quod nimis frequenter extra coenobium se conferebat, hoc responsum dabat: *vos nescitis, quod quamvis maneo foras, sum velut passer, quem puerculus habet alligatum; quod licet passer volet in diversas partes, si funiculus trahitur, statim in manum revertitur. Ego enim sic sum, quod licet extra domum eam, non absum, nisi quantum ex obedientia mihi est permissum; et si mihi praecipitur, ut redeam domum, illico exequor.*

CXII. Vix emenso studiorum curriculo, cum sanctitate ac doctrina praestans esset B. Laurentius a Brundusio capucinus, concionatoris munus, necdum sacerdotali dignitate initiatus, ex obedientia auscepit. Ingenio enim erat eximius, eloquio facundus, tantaque memoria exornatus, ut singula Sacrarum Litterarum testimonia alta mente retineret. Ut autem nativam eorumdem significationem assequeretur, animum adjecit studio hebraicae linguae, et graecae, in quibus tanto profecit, ut illico non sine prodigio instructus adparuerit. Venetiis primo, summo omnium plausu, e rostro edixit in S. Joannis Novi Ecclesia, ubi cum quadam die vivo et efficaci sermone hominum flagitia argueret, perditam mulierem nobilem ac praedivitem a turpi quaestu avocavit. Anno etiam insequenti, postulantibus iisdem civibus, iterum in eadem Ecclesia non absque ingenti animarum foenore toto quadragesimali tempore verbum Dei annuntiavit. Apostolatus sui fama per Italiae regiones diffusa, eum Episcopi et optimates certatim apud se concionantem habere voluerunt; quibus ut satisfaceret, tum Vicentiae, tum Veronae, Patavii, Bassani, ac tertio Venetiis concionatus est ea dicendi vi, ut obdurati etiam peccatores ad poenitentiam converterentur.

Ann. min. ad an. 1575. num. 144.

Bonaventura de Coccaleo p. 29. et seq.

CXIII. Quaedam prodigia narrantur. Maria Anna mulier e civitate Valentiae, vix edito filio mortuo, gravi infirmitate ita detenta fuit, ut duorum et amplius mentium spatio noctes ac dies inter mentia deliria duceret insomnes. A parentibus suis invocato auxilio B. Petri Nicolai Factoris, et infirmae capiti admoto ejusdem Beati capucio, illico mentis et corporis sospitatem recuperavit. Eodem capucio Beati a mortis periculo evasit etiam Isabella uxor Francisci Aloisii ejusdem civitatis, quae ob geminos filios sibi ex abortu insimul natos, sanguinis fluxum, febrem, et frequentia deliquia patiebatur. In urbe Neapolitana morti proxima Eleonora uxor Joannis Lucae Giglio, extemplo sanatur, cum preces funderet S. Francisco Assisiati, cui erat devotissima. Pro cujus rei gratia ambo in unum convenientes, aedem omniaque eorum bona testamento cesserunt pro instruendo virginum clarissarum collegio, S. Francisci titulo. Anno MDCVI. ad perfectionis culmen adductum fuit. Dum puteum exoneraret Joannes Serrano incola oppidi de Torregimeno in provincia Granatensi, a terra ipsa ambito obtectus fuit; ad rei periculum accurrentibus aliis operariis, repertus est illaesus, et in manibus lucernam quam antea habebat, tenens

Baretius p. 763.

Cesare Engenio Caracciolo. Napoli sacra pag. 595.

De Torres in prov. Granatensi pag. 156.

adhuc accensam. Eis mirantibus et ipsum interrogantibus, S. Franciscum illi adparuisse et a mortis limine eum eripuisse, respondit. In primo ingressu sacelli positi in conventu S. Mariae de Gratiis Varalli Montis provinciae Mediolanensis, in quo graphice repraesentatur Jesu Christi pueri fuga in Aegyptum, mulier quaedam cum ab immundo spiritu esset possessa, die xxv. Aprilis divina virtute illico libera evasit. *Gonzaga in prov. Mediolanen. con. 27.*

CXIV. Quamplurima etiam recensentur prodigia a Boverio in annalibus minorum capucinorum. Duo praecipua seligimus. Fratres conventus Baruli cum prae nive delapsa mendicare nequirent, guardiani jussu ad ecclesiam accedentes, Deum pro eorum inopia consulenda quinque *Pater et Ave* brachiis extensis deprecabantur. Nondum erat oratio persoluta, cum januae tintinnabulum validis ictibus pulsabatur. Eo festinans janitor, binos juvenes prae foribus duobus manticis onustos offendit, pane, vino, piscibus, aliisque plenis, quos janitori benevole obtulerunt. Ex Aquensi urbe Soanam hyemali tempestate proficiscebantur duo capucini, qui a recto itinere aberrantes, solo undique nive obtecto, nocte inter quosdam condensos saltus intercepti fuere. Ea in calamitate constituti, vix auxilium a Deo expostularunt, binos juvenes ad se accedentes conspiciunt, eos in carpendo itinere impervio comitaturos. Cumque in oppidum pervenissent hospitioque exceptos fuissent, ductores suos ex oculis evanuisse admirantur. *Boverius tom. 2. a pag. 181. ad p. 185.*

CXV. Altare majus basilicae S. Bartholomaei Apostoli in Insula Tyberis de Urbe, in quo praeter exuvias SS. Mm. Adalberti, Exuperantii, Marcellini, Paulini Episcopi Nolani, ac SS. Simeonis et Judae, sacrum corpus S. Bartholomaei veneratur, de novo aedificatum decentiorique forma constructum et ornatum, opibus Julii Antonii S. R. E. Presbyteri Cardinalis S. Severinae ejusdem tituli, datis a Pontifice litteris: *Cum dilectus* die xv. Augusti solemni ritu ab ipsomet Cardinali consecratur. Totius consecrationis acta, verbis licet mendis scatentia, laudati Cardinalis describimus. *Casimirus de Roma Memorie storiche del conv. p. 289.*

CXVI. *Auctoritate Sanctissimi D. N. Sixti Papae V. mihi antea impartita, consecraturus crastino mane altare majus S. Bartholomaei apostoli in ejus ecclesia in Insula Tyberis, seu Lycaonia, quae noster titulus est, hodie vesperi cum nonnullis praelatis ad eamdem ecclesiam accessi, quo etiam ex devotione venit Illustrissimus et Reverendissimus D. Petrus Cardinalis Deza, et revidimus et recognovimus thecam, in qua corpus S. Bartholomaei apostoli, et reliquas capsas, in quibus aliorum sanctorum corpora, vel reliquiae sunt repositae, quae ab anno praeterito* CIƆ.D.LXXXIIII. *a nobis clausae, et sigillis obsignatae custodiebantur supra altare in cappella sancta, cancellis et clausis, et similiter obsignatis: et hora tandite abeunte praefato D. Cardinali Deza, decrevimus corpus tantum S. Bartholomaei Apostoli sub ejus altare condere, et ideo ejus thecam reverenter detulimus in altare sagristiae ob vitandum concursum advenientium personarum, eamque argenteis et ferreis laminis exterius firmatam et a me anno Domini* CIƆ.D.LXXXIIII. *aliis, et ferreis adjectis munitam, aliis stanneis laminis roboravimus clavis confixis, eamque nostro parvo sigillo obsignavimus, et in ea clavis adfixam apposuimus laminam plumbeam cum hac inscriptione videlicet*: Corpus S. Bartholomaei Apostoli in novi hujus alteris consegratione die Dominico xv. kalend. Septembris CIƆ.D.LXXXV. reconditum. *Item et notam, sive schedulam consecrationis hujusmodi in membrana, cujus tenor hic est.* « Anno a Nativitate Domini CIƆ.D.LXXXV. die

6*

» xviii. mensis Augusti, Dominica tertia ejusdem ego Julius Antonius » Sanctorius, miseratione divina hujus tituli S. Bartholomaei in Insula » Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, Sanctae Severinae ita » a Metropolitana Ecclesia cui olim praefui, nuncupatus, permissu Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Domini Sixti divina pro» videntia Papae V. hoc altare maximum ejusdem mei tituli, loco prio» ris, olim Tyberis inundatione collapsi, decentiori forma a me denuo » extructum, et exornatum consecravi in honorem S. Bartholomaei Apo» stoli, atque in eo, intra concham porphyreticam, et sub tabula mar» morea recondidi gloriosum corpus ejusdem S. Bartholomaei Apostoli in » sua theca, argenteis diversorumque metallorum laminis contecta »

CXVII. *Idem vero Sanctissimus Dominus noster Sixtus Papa V. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui sacram Eucharistiam susceperint, et hanc ecclesiam, tam hodie, quam quotannis in anniversario hujusmodi consecrationis die, tertia videlicet Dominica mensis Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, atque ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem perpetuis futuris temporibus misericorditer in Domino concessit, et elargitus est, prout in ejus litteris in forma brevis sub annulo piscatoris datis Romae apud S. Marcum die* xv. *Augusti* mdlxxxv. *plenius continetur.*

CXVIII. *Deinde ad secundam fere noctis horam eamdem thecam cum corpore S. Bartholomaei in feretro ornatissimo cum R. P. D. Flaminio Philonardo Episcopo Aquinate, aliis presbyteris, et clericis, ac fratribus minoribus de Observantia monasterii dicti tituli S. Bartholomaei, honorifice in processione cum cereis et luminaribus, ac cum psalmis, hymnis et canticis detulimus ad cappellam in navi Ecclesiae a parte dextra sitam, et de feretro deponentes supra ejusdem cappellae altare collocavimus, ac pallio serico conteximus, et mandavimus dictis fratribus, ut vigilias, matutinum nempe et laudes de Apostolo inibi decantarent, prout fecerunt.*

CXIX. xviii. *Dominica* x. *post Pentecostem de ea officium; missa vero de dedicatione, seu consecratione altaris cum oratione* Magnificat *de S. Bartholomaeo Apostolo, in cujus honorem consecratum est, cujus corpus in eo repositum est, sub una conclusione. Secunda de Dominica, tertia de octava Assumptionis, quarta de S. Agapito mart. in Basilica S. Bartholomaei in Insula, ubi hodierno mane, assistentibus mihi diacono et subdiacono paratis, ac ministrantibus cappellanis et clericis nostris ac ceremoniariis, respondentibus quoque et inservientibus fratribus monasterii, ac compluribus clericis secularibus collegii Graecorum et Collegii Neophytorum, altare maximum de more, et juxta ordinem Pontificalis solemni ritu consecravi; atque in eo, intra concham porphyreticam in tabula lignea, sub tabula marmorea corpus ejusdem S. Bartholomaei, in sua arcula seu theca, ut supra munita, quam et sacco seu veste serici armesini rubei coloris desuper contexti, reconditam collocavi.*

CXX. Summi Pontificis munificentia edita constitutione: *Licet ea* iv. nonas Augusti cessit fratribus de observantia S. Mariae de Aracoeli Urbis pontificiam aedem, in qua Romani Antistites diversabantur aestivo tem-

pore. Nuuc in ea degunt minister generalis ordinis, procurator et commissarius generales cum eorumdem sociis, jam ad umilem minorum incolatum redacta. Et ut rem ab exordio petamus, cum a Paulo II. Pontifice extructum fuisset S. Marci palatium eo fine, ut a se suisque successoribus incoleretur, Paulus III. illectus proxima collis Capitolini amoenitate deliberavit, eo loci in quo pro fratribus valetudinarium positum erat, pontificiam domum aedificare. Dum pro totius operis molitione fundamenta effoderentur, ex fratre Matthaeo Selvaggi tunc temporis coenobii illius incola novimus, detectas fuisse *fornices*, *cameras*, *pavimenta*, *et jacentes diversi coloris columnas, exsecatasque marmore tabulas, ingeniosique operis statuas, et alia quae non modo aetate nostra, sed multis ante saeculis excitata, caeteris in Italia urbibus superant aedificia*. Item laudatus scriptor prosequitur, eumdem Pontificem *pontem a dicto palatio* (S. Marci) *usque ad Capitolinum montem, a parte altera monasterii S. Mariae de Aracoeli suis construxit expensis, magnoque artificio manu fabricatum artificis; ita ut ubi pons desinit, palatium unum, quod partem capit montis, partem alteram capit monasterii S. Mariae Aracoeli pro se extruxit*. Id opus *ad commodiorem Pontificum transmigrationem* egisse constat ex diplomate vulgato die XIV Februarii an. MDXLVI. Licet autem Paulus IV. an. MDLVI. die XI. Decembris *motu proprio* aedem hanc pontificiam Aracoelitanis fratribus contulisset, Pius IV. ejus in cathedra successor eam iterum incoluit, structuris elegantibusque picturis exornavit, imo perinsigni ad quod per 100 gradus conscendebatur, peristyllo auxit. *Idem in conc. Aracoelit. p. 468.*

CXXI. Caeser Baronius Congregationis Oratorii de Urbe presbyter hoc anno datis litteris ad Guilielmum Cardinalem Sirletum nondum defunctum eum exorat, ut a Sixto Pontifice intelligat, quo loco, quibusvis verbis in Martyrologio Romano mox edendo, festum SS. Stigmatum S. Patris Francisci apponere debeat, eo vel maxime quia Sixtus adhuc Cardinalis summe cupiebat, ut ibidem insereretur tanti Parentis memoria. Sanctissimus habita relatione ejusdem Cardinalis mandavit, *ut poneretur immediate post sanctam Theodoram* XVII. *Septembris* hisce verbis: *commemoratio impressionis sacrarum stigmatum, quibus S. Franciscus ordinis minorum institutor in ejus manibus, pedibus, et latere mira Dei gratia in Monte Alverniae in Etruria expresse est insignitus*. Ratum habuit hoc anno idem Pontifex processum quorumdam miraculorum B. Salvatoris ab Horta, ei porrectum a Francisco Gonzaga generali ministro: *Cum sicut* die III. Septembris. Verum licet hoc Pontificis diploma haud reperiri potuerit, de ejus tamen editione nullum esse potest dubium; siquidem de eo mentionem fecerunt in actis B. Salvatoris p. Vincentius Dominecco, et p. Dimas Serpi, Sixti Pontificis coevi. *Epistolae selectae Card. Baronii tom. 1. pag. 169.* *Ex processu in respons. ad animadversiones promotoris fidei p. 14. n. 75.*

CXXII. Mandata et indulta Summi Pontificis. Jubet celebrationem festivitatis praesentationis B. Mariae Virginis die XXI. Novembris: *Intemeratae* calendis Septembris; jubet Joanni de Deisten commissario generali in Hispaniarum regnis, ut ab officio removeat abbatissam monasterii S. Clarae oppidi de Matrid dioecesis Toletanae, expleto jam triennio: *Dilecta in Christo* die x. Augusti; ut clausura muniatur monasterium B. Mariae Angelorum ejusdem oppidi: *Cupientes* die XXVIII. Octobris; committit Matthaeo Monaco fratri ordinis minorum conventualium visitationem quorumdam monasteriorum congregationis canonicorum regularium in Sicilia: *Volentes* die

xxxi. Octobris; mandat Archiepiscopo Toletano, ut reformet monasterium monialium tertii ordinis S. Francisci del Viso suae dioecesis: *Perlatum est* die xxviii. Decembris; applicat redditus unius canonicatus, et unius praebendae collegio minorum poenitentiariorum S. Joannis de Laterano Urbis, ubi Minores Observantes degunt ad christifidelibus ministrandum sacramentum poenitentiae: *Pastoralis officii* x. calendas Novembris. Hoc Pontificis indultum revocatum fuit anno mdxcix. a Clemente VIII. *Cum alias*; indulget ut fratres observantes conventus S. Mariae de Drappo Constantinopolis retineant eadem eis largita cum bonis collatis, et in futurum a christifidelibus elargiendis: *Pastoralis officii* xi. calend. Augusti.

CXXIII. Indulget Petro Portucarrero marchioni de Villanova, ut unum fratem minoritam de observantia secum domi retineat excipiendi causa suas sacramentales confessiones: *Exponi nobis* die iii. Novembris; ut Isabella de Pinal Barcinonensis tertiaria saecularis, legatis monasterio clarissarum titulo de Jerusalem ejusdem civitatis centum aureis, post ejus mortem sepulchrum capiat in caemeterio ejusdem monasterii: *Expositum fuit* xxii. Maii; ut Maria Botteglia nobilis mulier Ulyssiponen ingrediatur per hebdomadae sanctae et paschatis dies in monasterium S. Clarae ejusdem civitatis, et refectionem cum monialibus ibidem sumat: *Pio desiderio* die xxii. Novembris; ut ab sui infirmitatem a monasterio S. Joannis de Estremoz se transferat ad alterum S. Clarae ejusdem civitatis Maria monialis clarissa: *Nuper dilecta* die xviii. Decembris.

CXXIV. Erigit Archiconfraternitatem cordigerorum in Ecclesia S. Francisci Conventualium Assisii: *Ex supernae dispositionis* xiii. calend. Septembris; opera et studio p. Bonaventurae a Cotiniola erecta fuit in Ecclesia S. Francisci observantium ejusdem oppidi confraternitas Immaculatae Conceptionis, aggregata Archiconfraternitati de Urbe; indulget Pontifex, ut moniales clarissae oppidi Berlangae Seguntin. dioecesis officium SS. Mm. Ursulae et sociarum recitent cum octava: *Exponi nobis* die xxiv. Decembris; largitur indulgentiam plenariam singulis christi fidelibus visitantibus Ecclesias franciscalium in festivitatibus SS. Francisci, Antonii, Bonaventurae Episcopi et Cardinalis, Ludovici Episcopi Tolosani, et S. Clarae Assisiatis: *Cum a primaeva* die xxviii. Septembris; in die Assumptionis Deiparae in Ecclesia S. Mariae Montis Lucis Perusiae: *Salvatoris* v. nonas Octobris; ac in die Conceptionis ejusdem B. Virginis in ecclesiis monialium: *Expositum* die xviii. Octobris.

Flaminius a Parma tom. 1. p. 301.

CXXV. Accedunt alia diplomata ex indiculo Bullarii Petri de Alva ad hunc annum. Revocat electionem abbatissae perpetuae a monialibus peractam in monasterio de Petralbis Barcinonem. *Cum nobis* die vi. Augusti; pro monasterio Insulae S. Michaelis Agren. *Aequum reputamus* calend. Maii; pro monasterio S. Catharinae Senen. *Ex injuncto* xi. calend. Septembris; beneficium in Ecclesia monasterii de Petralbis Barcinonen. *Cum nobis* die vi. Augusti; applicat quamdam eleemosynam monasterio oppidi de Bejar: *Circa curam* xiv. calend. Septembris.

ARGUMENTUM

Munificentia Sixti Pontificis commendatur. Vulgat emendatum codicem graecum veteris Testamenti LXX. Interpretum. Leges edit pro S. R. E. Cardinalibus instituendis, et aliquot summos viros ad Cardinalatus fastigium promovet. Mittit in Helvetiam Apostolicum Nuncium. Plura agit pro libertate Mariae Stuartae Scotiae reginae. Status provinciae Scotiae et Flandriae exponitur. Fratres tertii ordinis de poenitentia generale habent comitium. Erigitur provincia S. Gregorii Insularum Philippinarum, in qua decedunt evangelici cultores. In diversas mundi plagas se conferunt minoritae. Fundantur pro utroque sexu coenobia. Martyres, confessores, ac virgines obeunt in osculo Domini. Philippus II. Hispaniarum rex apud Pontificem agit pro canonizatione B. Petri Nicolai Factoris. Quaestio proponitur ac definitur circa transitum fratrum observantium, recollectorum, ac discalceatorum ad capucinos. Ordo favoribus et gratiis ditatur.

I. Maximam hoc anno apud omnes ita sibi gloriam auxit Sixtus Pontifex, ut ob redditam ecclesiastico regimini a grassantibus impune exulibus ac latronibus tranquillitatem, prodierint sequentes versus.

Per nemorum latebras media sub nocte viator
  Tutus ab insidiis mille talenta ferat:
Principe nam Sixto, dira cum gente procrustes
  Exulat eois, exulat experiis.
Quin etiam e coelo terras pax alma revisit;
  Et juncta Astreae floret in orbe fides.
Sic magni herois, sic sancti cura parentis
  Aurea secla dedit; ferrea secla tulit.

Unde factum est, ut ad Urbem operibus publicis exornandam sedulo animum viresque iterum converterit.

II. A minoribus ad majora gradum facientes, templum S. Sabinae vetustate ruinosum reficit, hoc apposito in pariete monumento. *Ciaconius tom. 4. colum. 125.*

SIXTVS V. PONT. MAX.

ECCLESIAM HANC INTERMEDIO PARIETE RVVINOSOQVE TECTORIO SVBLATIS PAVIMENTO STRATO GRADIBUS ERECTIS PICTURIS AD PIETATEM ACCOMODATIS ALTARISQUE UNA CUM SACRIS MARTYR. ALEXANDRI PAPAE EVENTII THEODULI SABINAE ET SERAPHIAE RELIQUIIS OB STATIONARIAS PONTIFICIASQUE MISSAS CELEBRANDAS ECCLESIAM IN HANC FORMAM RESTITUIT ANNO PONTIFICATUS II.

III. Scalas ad Romanorum Pontificum commoditatem cum vestibulo in aede Vaticana instruxisse ex sequentibus inscriptionibus novimus. *Idem colum. 135.*

SIXTVS V. PONT. MAX.

SACELLO GREGORIANO QUO ANNIVERSARIA COENAE DOMINI DIE A SUM. PONT. SACROSANCTA EUCHARISTIA MORE SOLEMNI REPONITVR CAETERISQUE PONTIFICUM COMMODITATIBUS SCALAS INTERIORES CUM VESTIBULO CONSTRUXIT PICTURISQUE EXORNAVIT ANNO SUI PONTIFICATUS II.

SIXTVS V. PONT. MAX.
PORTAM APERVIT VESTIBULUM EXTRUXIT SCALAS INTUS SUBSTRAVIT SACRORUM COMMODITATI ANNO MDLXXXVI. PONTIFICATUS SECUNDO.

Idem colum. 119. IV. Cum autem Pontifex Urbis incrementa summopere exoptaret, atque id sine aquarum copia haud sperare valeret, ideo a via Praenestina aquam felicem, non a Sixti nomine; sic enim et priscia temporibus nuncupabatur, eo quod sui irrigatione felices colles, hortos, campos, incolasque redderet, in Urbem deducendam censuit, aptato ductu armato ad XIII. M. P. Obviat haec inscriptio in arcu apud S. Laurentii portam.

SIXTVS V. PONT. MAX.
DVCTVM AQVAE FELICIS
RIVO SVBTERRANEO
MILL. PASS. XIII.
SVBSTRVCTIONE ARCVATA VII.
SVO SVMPTO EXTRVXIT
AN. M.DLXXXVI. PONTIF. II.

Tempesti lib. 9. num. 31 et 32. pag. 143. V. Ut antem inopiae pauperum, hominum otio, aliquarumque mulierum honestati consuleret, extinctum in Urbe forma artis lanariae et fullonicae exercitium iterum induxit, eosque omnes aequo labore occupavit. Hinc impensis XIII. aureorum millibus, domum prope fontem Aquae Virginis, et quae ad illius artis exercitium necessaria erant, fundavit. Eo in loco hoc prostrat monumentum.

SIXTVS V. PONT. MAX.
LANARIAE ARTI ET FVLLONIAE
VRBIS COMMODITATI
PAVPERTATIQVE SVBLEVANDAE
AEDIFICAVIT
AN. MDLXXXVI. PONT. II.

Ciaconius ibid. colum. 116. Zoega pag. 624. VI. Quod frustra aliqui, Nicolaus IV. Julius II. Paulus III. decessores Sixti tentarunt, hoc eodem anno ipse peregit, admirandam scilicet unius obelisci erectionem, de quo sicut et de caeteris plura scripsit Ciaconius, et praecipue magni nominis vir Georgius Zoega Danus, qui Romae anno MDCCXCVII. opus *de origine Obeliscorum* vulgavit, nuncupavitque Pio VI. Pontifici. Sesostris Aegypti regia filius, Pheron ab Herodoto, Secoosia a Diodoro, Nuncoreus a Plinio dictus in regno successor, duos praecipuae magnitudinis marmoreos solidos obeliscos Heliopoli erexit, ac soli dicavit. Horum alterum Cajus Caligola Imperator Romam suo jussu advectum, in Vaticano a se constructo circo, Augusto et Tiberio Imperatoribus hisce verbis nuncupavit.

DIVO CAES. DIVI
IVLII F. AVGVST.
TI. CAES. DIVI AVG.
F. AVGVS. SACRVM.

Cum autem insigne hoc antiquitatis monumentum a Totila Gothorum rege immanissimo dejectum esset, et Vaticani in loco obscuro et sordido, ruinis pene obrutum jaceret, in aream S. Petri Basilicae transferri curavit Pontifex. Hinc ad id operis prae aliis delectus Dominicus Fontana Novocomiensis architectonicae artis peritissimus, die XXVII. Septembris Ponti-

ficis votis feliciter satisfecit. Ex libro quem subinde edidit laudatus Fontana scimus, illius obelisci pondus fuisse librarum 956148, longitudinem 107 pedum, latitudinem parte infima 12, supra qualibet parte 6, cum stylobata 150 palmorum cum tribus quadrantibus; quibus si additur intervallum, quod a solo ad basim, et quod a lapide ad stylobatam mediis leonibus aereis interjacet, ac denique altitudo crucis deauratae lapidi superimpositae, altitudinem praesefert 180. palmorum cum quadrante. Eum Sixtus Jesu Christi vexillo quod est crux, sacravit, ac ejus imaginem in summo fastigio supra montes stellamque collocavit. Quae monumenta apposuit.

In parastade ad occidentem

CHRISTVS VINCIT
CHRISTVS REGNAT
CHRISTVS IMPERAT
CHRISTVS AB OMNI MALO
PLEBEM SVAM DEFENDAT

Ad meridiem

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM VATICANVM DIIS GENTIVM
IMPIO CVLTV DICATVM
AD APOSTOLORVM LIMINA
OPEROSO LABORE TRANSTVLIT
AN. MDLXXXVI. PONT. II.

Ad orientem

ECCE CRVX DOMINI
FVGITE PARTES
ADVERSAE
VICIT LEO
DE TRIBV IVDA

Ad septentrionem

SIXTVS V. PONT. MAX.
CRVCI INVICTAE
OBELISCVM VATICANVM
AB IMPVRA SUPERSTITIONE
EXPIATVM IVSTIVS
ET FELICIVS CONSECRAVIT
AN. MDLXXXVI. PONT. II.

In summitate obelisci S. Petrum versus

SANCTISSIMAE CRVCI
SIXTVS V. PONT. MAX.
CONSECRAVIT
E PRIORE SEDE AVVLSVM
ET CAESS. AVGG. AC. TIB.
I. L. ABLATVM M.D.LXXXVI.

VII. Insigne sacellum ad Domini praesepe in Basilica S. Mariae Majoris de Urbe, quod cum esset Cardinalis inchoaverat, maximis sumptibus hoc anno ferme ad fastigium, delineatione ac structura Dominici Fontana adduxit. Supra aediculae sacrae praesepis fornicem, ara ad sacra pontificia facienda est erecta; subtus vero minores arae in duobus sacellis mi- *Ciaconius ibidem colum. 115.*

noribus ad maximi latera extant; quorum alterum in S. Luciae V. et M.; alterum in S. Hieronymi memoriam et honorem Sixtus instruxit, utpote vivens unice coluit, et frequentavit. In marmorea arcula sub ara S. Luciae, duo SS. Innocentium corpuscula recondi jussit, ut primitiae illae floresque martyrum ad infantis Christi cunabula, quasi excubare viderentur. Quare factum est, ut sacellum hoc veteri praesepis sacellu in templo Bethleemitico erecto, simile evaserit. Sepulcra tria, primum Piu V., alterum Sixto, tertium ejus consanguineis construxit. Ingenti animi sui laetitia rem divinam solemni ritu eodem in sacello confecit hoc annu Sixtus cum Cardinalibus et Episcopis in natalitia Christi Domini nocte, quia idibus Januarii constitutionem: *Egregia* ediderat, qua in Basilicis et aliis templis Urbis *pontificiarum*, ut vocant, *cappellarum* celebrationem jam obsoletam restituerat, ac distribuerat. His aliisque a Sixto unius anni decursu praeclare gestis, Senatus Romanus, ut tanti Pontificis memoria perennaret, statuam aeneam, addita brevi epigraphe, in Capitoliu erexit.

SIXTO V. PONT. MAX.
OB QVIETEM PVBLICAM COMPRESSA SICARIORVM
EXVLVMQVE LICENTIA RESTITVTAM
ANNONAE INOPIAM SVBLEVATAM
VRBEM AEDIFICIIS VIIS AQVAEDVCTV ILLVSTRATAM
S. P. Q. R.

VIII. Ratam habuit hoc anno Pontifex emendationem codicis graeci Sacrae Scripturae Veteris Testamenti Septuaginta Interpretum, quam ab anno MDLXXVIII. Sixti consilio dum Cardinalatus honore fungebatur, emendandam Antoniu Carafa presbyteru Cardinali viro praestantissimo Gregorius XIII. demandaverat, variis de causis praetermissam, et hoc tempore completam. Opus anno insequenti suis expensis editum, hoc Pontificis mandatum praefixum habet.

SIXTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cupientes quantum in nobis est, commissi nobis gregis saluti, quacumque ratione ac via prospicere, ad pastoralem nostram curam pertinere vehementer arbitramur, Sacrae Scripturae libros, quibus salutaris doctrina continetur, ab omnibus maculis expurgatos, integros purosque pervulgari. Id nos in inferiori gradu constituti, quantum potuimus, studio et diligentia nostra praestitimus, et in hac altissima specula a Deo collocati, assidue mentis nostrae oculis spectare non desistimus. Cum itaque superioribus annis piae record. Gregorius PP. XIII. praedecessor noster, nobis suggerentibus, graecum vetus testamentum juxta LXX. interpretum editionem, qua ipsi etiam Apostoli nonnumquam usi fuerunt, ad emendatissimorum codicum fidem expoliendum mandaverit; ejus rei cura dilecto filio nostro Antonio S. R. Ecclesiae Presbytero Cardinali Carafae et ad id per eum delectis eruditis aliquot viris demandata, et jam expolitio hujusmodi, per multis exemplaribus ex diversis Italiae bibliothecis, et praecipue ex nostra Vaticana diligenter collatis, matureque examinatis absoluta sit, volumus et sancimus, ad Dei gloriam, et Eccle-

siae utilitatem, ut vetus graecum Testamentum juxta Septuaginta, ita recognitum et expolitum, ab omnibus recipiatur, ac retineatur; quo potissimum ad latinae vulgatae editionis, et veterum SS. Patrum intelligentiam utantur: prohibentes, ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo, quicquam immutare. Si quis autem aliter fecerit, quam hac nostra sanctione comprehensum est, noverit se in Dei omnipotentis, beatorumque Apostolorum Petri et Pauli indignationem incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum die viii. *Octobris Pontificatus nostri anno II.*

M. Vestrius Barbianus.

IX. Hinc licet pro iis perficiendis magnam pecuniarum vim erogasset Pontifex, attamen nullo extraordinario onere suis imposito, sed temperantia, parsimonia, frugalitate sua decies centena aureorum nummorum millia collegit, ac in arce S. Angeli seposuit, lege cavens, ne, nisi in praescriptis ab eo casibus, detraherentur: *Ad clavum* xi. calendas Maii.

X. Egregiam et hoc anno: *Postquam verus ille* nonis Decembris edidit constitutionem de Cardinalium creandorum praestantia, numero, ordine, aetate, et qualitatibus, ac de optione sex Ecclesiarum Cathedralium, quae Cardinalibus conferuntur. Jubet in ea, ut Cardinales non sint plures quam septuaginta, et ex eis diaconi xiv. presbyteri l. et episcopi vi. ita tamen, ut nemo in Diaconum Cardinalem assumi possit, qui non saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno constitutus fuerit, et intra annum ad sacrum eum ordinem promoveri debeat. Inter illos lxx. praeter egregios utriusque juris doctores, sint saltem quatuor in sacra theologia magistri, praesertim ex regularibus et medicantium ordinibus. Cardinalium promotiones fiant ex antiquo Ecclesiae usu mense Decembri sacrorum jejuniorum tempore.

XI. Spectatissimos viros xvi. calendas Januarii inter Purpuratos Patres cooptavit, nimirum presbyteros cardinales quinque, quorum primus purpura dignus fuit titulo S. Petri in vincula Hieronymus de Ruvere Pedemontanus, Archiepiscopus Taurinensis, nobilibus parentibus Laelio et Joanna ex comitibus de Planzasco natus. Binos ejus familia Romanos Pontifices, Cardinalesque undecim habuit. Humanioribus litteris instructus, egregius evasit orator. Apud magnos Principes, Romanosque Pontifices gratia, prudentia, ac dexteritate in agendis rebus semper valuit. Item Philippus de Lenoncourt Gallus, Henrico III. Galliarum rege efflagitante, ad Cardinalatus dignitatem inter Presbyteros, S. Onuphrii titulo evectus est. Fr. Hieronymus Bernerius ordinis praedicatorum sacram Purpuram inter Presbyteros adeptus est titulo S. Sabinae, ob sui doctrinam magisterii lauream in suo instituto jam adeptus. Extitit Episcopus et Princeps Asculanus. Presbyter Cardinalis S. Agnetis in Agone sortitus est Antonius Maria Gallus Auximas, jam Episcopus Perusinus, qui, ut ait Ciaconius, *generis claritatem, aliis ornamentis illustravit; domi enim forisque propter egregias dotes a multis cognitus ac dilectus.* Fr. Constantius Buccafocus, cognomen quod per errorem inductum fuisse scribit Tempesti, item Picenus, natus in oppido Sarnani dioecesis Camerinensis, inter minores conventualium cooptatus, litteris ad eum datis: *Romana Ecclesia* xvi. calendas Januarii, Cardinalis Presbyter, titulo S. Vitalis pronunciatur. Vir fuit insignis doctrinae et eruditionis, pluraque edidit

Idem ibid. column. 101.

Idem ibidem col. 102. et seq.

Tempesti lib. 15. n. 36. p. 132.

Ciaconius colum. 166. et seq. quae nos suo loco exibebimus. Diaconus vero Cardinalis S. Adriani titulo creatus est Hieronymus ex nobili Matthaeorum familia romana progenitus, qui praeter sui generis splendorem in peritia jurisprudentiae summe eminebat. Adscriptus est Diaconis Cardinalibus, titulo S. Georgii in Velabro Benedictus Justinianus, patritius Genuensis. Perusii et Patavii litteris instructus, et Genuae doctoris laurea in utroque jure donatus. Postremo Ascanius Colonna Romanus Diaconus Cardinalis, titulo SS. Viti et Modesti renunciatus est. Vivido acutoque ingenio, memoria foecunda, ac venustate in dicendo viguit.

XII. Hoc tempore sacri Principis munificentia, lata jam constitutione: *Pro excellenti* xvi. calendas Aprilis Lauretanum oppidum civitatis honore auctum, muris validissimis, unde explodi possent adversus Christi hostes ab ipso tormenta vallabatur. Et ut magis magisque domus B. Mariae Virginis in qua Verbum caro factum est, Angelorum ministerio eo aliquibus ab hinc saeculis delata in pretio haberetur, mandavit, ut proprius antistes jus divinum diceret, propriamque dioecesim, cui moderaretur, haberet. Omnia Sixti votis cesserunt; nam et civitas muris septa, et suppresso Episcopatu Recinetensi, proprius et singularis praeses cum dioecesi illi delatus fuit. Duo haec extant. in Ecclesiae facie monumenta. Idem ibid. col. 427.

SIXTVS V. PONT. MAX. PICENVS. ECCLESIAM. HANC. EX. COLLEGIATA CATHEDRALEM. CONSTITVIT. M.D.LXXXVI. PONT. I.

Cui haec altera subjecta est

SIXTVS. V. PONT. MAX. PICENVS. LAVRETVM. OPPIDVM. EPISCOPALI. DIGNITATE ORNATVM. CIVITATIS IVRE. DONAVIT. M. D. LXXXVI. PONT. I.

XIII. Erga Montis Alti patriae suae incolas liberalis item evasit. Dum Cardinalatus honore insignitus erat, mille et quingentis aureis erogatis, publicum ibidem posuerat bonarum artium gymnasium, in quo quinque juvenes ex singulis conterminis oppidis Patrignoni, Montis de Nove, et Furcae instituerentur, confecto Romae instrumento die xv. Octobris anno MDLXXVIII. Pontifex electus, oppidum in Civitatem, et Ecclesiam Collegiatam S. Mariae in Cathedralem evexit, proprioque Episcopo dioecesim attribuit: *Super universas* viii. calendas Decembris, ac subinde mandavit, ut ille suffraganeus foret Firmano Episcopo. Interim ecclesiam illam SS. reliquiis cohonestavit ex auro, argento, ac pretiosis lapillis exornata theca inclusis, aliis quoque ornamentis, candelabris nempe sex cum cruce ex solido argento, ponderis tertiae supra centesimam libram, ac faldistorio ex aurichalco ad Episcopi usum affabre facto eamdem ditavit. S. Severini oppidum ex antiquae Septempedanae civitatis ruinis natum, Episcopali dignitate iterum insignivit, ac Tolentinatibus similia contulit, dum oppidum Civitatis jure donavit, et collegiatam Ecclesiam S. Mariae Episcopali honore exornavit, ac unus idemque Episcopus Maceratensi ac Tolentinati praeesset Ecclesiis. Tempest. ib. num. 23. pag. 10.

XIV. Ut Religio catholica disciplinaque veteri Ecclesiae, quae partim sacrorum ministrorum, partim improborum hominum, ac haereticorum maxime opera labefactata erat apud Helveticos, suo nitori restitueret, Nuncii Apostolici honore quo Helvetiae catholici jam destituti erant, eo misit Sixtus Joannem Baptistam Sanctorium Episcopum Tricaricensem, qui cum praeclare suo officio functus fuisset, pluresque ad fidei unitatem Idem lib. 15. num. 20 et seq. p. 216.

adduxisset, breve: *Insignis pietas vestra* die x. Decembris edito, Helvetiis gratulatur de eorum insigni pietate, et Nuncio, quoniam Abbascellae comitatum, et ipsius Badensis marchionem, haeresi abjurata, Ecclesiae catholicae restitueret.

XV. Epistolam, quam subjicimus, hoc anno accepit Sixtus Mariae Stuartae Jacobi V. regis Scotiae filiae et Angliae reginae ex custodia Fodringhay in qua detinebatur, datam, qua Pontifici, conjuratorum impiorum consilio, ob catholicae religionis odium ad supplicii poenam se fore addictam proferebat.

Iesus Maria

✠

Pater Sancte

» Quandoquidem Deo placuit per suam divinam providentiam certum » in ecclesia sua ordinem constituere, ex cujus praescripto voluit, ut » sub ejus Filio Jesu Christo crucifixo omnes in illum credituri, et qui » baptizarentur in nomine Sanctae Trinitatis recognoscerent unam eccle- » siam universalem et catholicam pro matre, cujus mandata, sub poena » damnationis, una cum decem praeceptis legis debemus observare; re- » quiritur ut unusquisque, qui ad vitam aspirat aeternam, hic oculum » habeat fixum. Cum igitur ego ex regibus et parentibus in eadem ec- » clesia baptizatis orta sim, et ipsa quoque similiter baptizata, et ulte- » rius, licet indigna, ab uberibus matris evecta ad regiam dignitatem, » uncta quoque et consecrata ex ejusdem ecclesiae auctoritate, et per ejus » ministros, ac sub illius alis, et in ejus gremio nutrita et educata, » atque per eam instructa de illa obedientia per omnes christianos ei de- » bita, quem illa, Spiritu Sancto directa, et ordinationes primitivae ec- » clesiae, ad Sedem Apostolicam, uti nostrum in terris caput, cui Jesus » Christus in suo ultimo testamento Petro loquens de hujus ecclesiae fun- » damento, saxo videlicet vivo, potestatem dedit ligandi atque solvendi » pauperes peccatores a vinculis satanae, per se aut suos ministros ad » id deputatos, ab omnibus criminibus et peccatis per nos commissis et » perpetratis, si nos illorum poeniteat, et quantum in nobis est, satis » pro illis faciamus, postquam illa secundum ecclesiae ordinationes sumus » confessi: ego testem appello meum Salvatorem Jesum Christum, beatam » Trinitatem, gloriosam Virginem Mariam, omnes Angelos et Archan- » gelos, sanctum Petrum pastorem, meum singularem intercessorem, et » specialem advocatum, sanctum Paulum gentium Apostolum, sanctum » Andream et omnes SS. Apostolos, sanctum Georgium, et in universum » omnes Paradisi sanctos et sanctas, me semper vixisse in hac fide, quae » est ecclesiae universalis catholicae, apostolicae, et romanae, in qua ego » regenerata semper in animo habui debitum meum Sanctae Sedi Apostoli- » cae persolvere obsequium, cujus desiderii, non sine magno animi mei » dolore, non potui justum praestare testimonium Sanctitati Vestrae per » hanc meam captivitatem, et propter longam quoque corporis infirmi- » tatem. Sed cum nunc Deo placuerit, Sanctissime Pater, permittere » propter mea et hujus infelicis Insulae peccata, ut ego ex Angliae et » Scotiae sanguine regio sola jam relicta, quae hanc fidem profitear, sim » post viginti annorum captivitatem in stricto carcere conclusa, et de- » nique ad mortem condemnata per ordines et haeretica comitia hujus » regionis, uti hodie mihi fuit significatum ore proprio baronis Bucherst

Benedictus XIV. de Serv. Dei beatif. et canoniz. tom. 3. append. 1. pag. 387.

» per Annam Panletum meum custodem, quemdam Dereum Drurium » equestris ordinis militem, et secretarium nomine Beal eorum Reginae » nomine, qui et mihi praeceperunt, ut me ad mortem obeundam pa» rarem, et ad me consolandum obtulerunt unum ex suis Episcopis et » quendam decanum (sacerdotem enim quem habebam, jamdiu mihi ab» stulerunt, et penes se nescio quo in loco detinent) existimavi meas » esse partes primum ad Deum converti, et deinde rem omnem mea » manu Sanctitati Vestrae significare; et licet non possim haec ante mor» tem ad notitiam Vestram deducere, saltem post meam mortem ejus causa » et occasio ei innotescat; quae sane causa, si res tota bene perpendatur et » consideretur, est subversio religionis illorum, uti dicunt, in hac in» sula per me machinata, et ad meum favorem attentata, tam per pro» prios eorum subjectos Sanctitati Vestrae obedientes, qui eisdem sese » inimicos declararunt, quam per exteros, et praesertim principes catho» licos, et meos propinquos; qui omnes (uti isti exprobrant) meum ad coro» nam Angliae jus tuentur, meque talem nominant in suis orationibus, » in ecclesiis, et per earum ministros hujus nationis, qui mihi subje» ctionem et obedientiam profiteutur. Remitto Sanctitati Vestrae, ut consi» deret hujus judicii sequelam, et praejudicium; eamque rogo, ut curet » preces ad Deum ferri pro mea misera anima, et pro illorum quoque » animabus, qui mortui sunt, aut morientur vi ejusdem aut similis ju» dicii; eleemosynas quoque distribuat ad Dei honorem (et idem fieri » ab regibus curet) illis, qui ex hoc naufragio vivi evadent. Et cum » mihi animus is sit, ut, secundum ecclesiae constitutiones, peccata » mea confitear, poenitentiam, quantum in me erit, faciam; meum » viaticum recipiam, si meum obtineam cappellanum, aut alium le» gitimum ecclesiae ministrum, qui haec mihi sacramenta admini» stret; et si ille mihi desit, corde contrito et poenitente me pro» sterno ad pedes Sanctitatis Vestrae, et Deo confiteor, et omnibus » sanctis, ac Paternitati Vestrae me indignam esse peccatricem, et da» mnationis aeternae ream; nisi Deo propitio placuerit, qui pro pec» catoribus mortem obivit, me recipere ex sua infinita misericordia ad » numerum pauperum peccatorum poenitentium, et ad suam misericor» diam; Vobisque supplico, ut hanc meam generalem submissionem et » humilitatem recipiatis pro testimonio meae intentionis, et animi adim» plendi reliqua ad normam ab Ecclesia ordinatam, et praeceptam, si » id mihi permittatur; ac mihi Vestram detis absolutionem generalem, » uti nostis et scitis esse requisitum et consultum ad Dei gloriam, ec» clesiae honorem, et salutem panperculae animae meae; inter quam et » Dei justitiam interpono sanguinem Jesu Christi pro me crucifixi, et » pro omnibus peccatoribus; ex quibus ego me esse unam maxime exe» crabilem confiteor, cum respicio infinitas quas ab eo gratias recepi, » et male recognovi et impendi, quae res me remissionis indignam red» dit, nisi me audacem faceret ejus promissio, qua omnes peccatis et » calamitatibus spiritualibus oneratos ad se invitat, ut ab eo subleventur, » et ejus misericordia juventur, ut juxta ejus mandatum ad eum ve» niam, meamque sarcinam portem, quo per eum exonerari possim, » ad exemplum filii prodigi; et ulterius ad pedem crucis ejus libenter » offero meum sanguinem pro defensione ecclesiae ejus, et fideli erga » cum zelo; sine cujus restauratione ego numquam vivere desidero in

» hoc scelerato saeculo. Praeterea, Pater Sancte, cum nulla mihi in
» hoc mundo sint relicta bona, supplico Sanctitati Vestrae, ut mibi a
» Rege Christianissimo impetret, ut ex mea dote aes alienum a me con-
» tractum dissolvatur, et stipendia dentur servis meis pauperibus ac mi-
» seris, et fiat anniversarium funus pro anima mea, et omnium con-
» fratrum nostrorum, qui pro hac justa causa obierunt: nec enim aliud
» mihi peculiariter propositum fuit, uti mei pauperes servi in ista mea
» calamitate mecum praesentes vobis testabuntur, et affirmabunt, que-
» madmodum in haereticorum horum conventu meam libenter vitam
» obtulerim pro defensione meae religionis catholicae, apostolicae, et
» romanae, et reductione eorum, qui in hac Insula sunt seducti; et
» protestata fuerim me eo casu libenter relicturam omnem titulum, om-
» nemque dignitatem regiam, et omnem exhibituram honorem, omneque
» servitium eorum reginae, si illa desistere vellet, et abstinere a catho-
» licorum hominum persecutione. Ut brevis sim, protestor hunc esse
» scopum, ad quem collineavi semper, ex quo tempore in hac regione
» moror; nec ullo teneor regnandi desiderio, aut aliena occupandi mei
» lucri causa; cum morbo et longa calamitate ita fracta et debilitata
» sim, ut nullum jam restet desiderium me in aliis bujus mundi rebus
» implicandi, quam in ecclesiae servitio, et animabus hujus Insulae Deo
» lucrandis; ad cujus rei testimonium in hoc vitae meae fine non omittam
» praeferre salutem publicam privato commodo carnis et sanguinis. Vos
» itaque rogo, non sine dolore vel morte ipsa acerbiori, quem concipio
» ex perditione mei filii, ut postquam illum modis omnibus conati eritis
» lucrari, tamquam verus pater (uti fuit S. Joannes Evangelista illi
» adolescenti, quem a consortio latronum retraxit) accipere dignemini.
» Tandem omnem eam auctoritatem in eum, quam ego Vobis possum dare
» ad illum cogendum, et si Vobis placuerit, appellare regem catholicum, ut
» Vos adjuvet per temporalia, et ut communi vestro consilio teneatis eum
» matrimonio alligare. Quod si Deus propter mea peccata permiserit, ut
» obstinatus persistat, cum nullum sciam esse principem hodie, qui magis
» pro religione contendat aut majoribus polleat viribus et modis ad procu-
» randam reductionem hujus Insulae, quam regem catholicum, cui ego
» quoque plurimum debeo et obstricta sum, quia ipse me unus suis et
» nummis et consiliis juvit in meis necessitatibus, sub Vestro arbitrio totum
» jus, quod ego habere possum ad hujus regni regimen, si meus filius ob-
» stinatus extiterit extra ecclesiam, eidem regi catholico defero. Si vero
» reduci poterit, cupio illum per regem catholicum et meos propinquos
» Guisianos juvari et defendi, eorumque consiliis dirigi, eique per meam
» ultimam voluntatem praecipio, ut illos, post Sanctitatem Vestram,
» parentum loco teneat, et ex eorum consilio et consensu affinitatem
» contrahat cum una ex his duabus familiis; utinam autem Deo place-
» ret, ut dignus haberetur, qui gener fieret regis catholici! Ecce cordis
» mei secretum, et finem meorum in hoc mundo desideriorum, quae
» tendunt, uti ego existimo, ad ecclesiae commodum, et meae con-
» scientiae liberationem. Et hoc exhibeo ad pedes Sanctitatis Vestrae, quos
» humillime exosculor. Narrabitur Vobis, quomodo fuerim nuperrime
» capta, et quae acta sint contra me et pro me, ut, ubi veritatem

» intellexeritis, calumniae quas mihi ecclesiae hostes impingere volent,
» possint per Vos refelli, et veritas rerum appareat, ob quam causam,
» qui has perferret, ad Vos misi. Postremo peto sanctam benedictionem
» vestram, et ultimum vale dico Sanctitati Vestrae, et Deum rogo, ut
» Vos sua gratia munitum diu servet ad ecclesiae commodum, et vestri
» gregis afflicti, praecipue hujus Insulae, quem hic relinquo valde di-
» spersum, nisi Dei misericordia et vestra paterna sollicitudo succurrat.
» Ex Fodringhay hac die 23 Novembris 1586. »

» Excuset scriptionem hanc apud Sanctitatem Vestram brachii mei in-
» firmitas. Audio non sine magno meo dolore malos rumores de non-
» nullis, qui isthic sunt apud Sanctitatem Vestram, qui stipendia ab
» hoc ordinum statu recipere dicuntur, ut Dei causam prodant; et in
» ea re Cardinales quoque implicantur. Sanctitati Vestrae remitto, ut
» id examinet, et observet oculis attentis quendam S. Joannis dominum
» quem plurimi suspicantur magni hujus thesaurarii esse exploratorem.
» Sunt sane falsi fratres. Spondeo vero illos, quos ego commendavi esse
» integros. »

» » Vestrae Sanctitatis humillima et devota filia »
Maria Regina Scotiae Doctaria Franciae.

Miserum Reginae statum condolens Pontifex, multa pro ejus libertate apud Philippum II. Hispaniarum, Henricum III. Galliarum Reges aliosque principes egit. Hinc Jacobus Scotiae Rex ejus filius legatos, et Henricus Rex Pomponium Bellieurium praestantissimum oratorem ad Elisabetham mandarunt; at frustra: mortis namque supplicium virili pectore patientissime tulit anno insequenti.

Spondanus ad an. 1586. num. 14.

XVI. Apponendus hoc loci foret provinciae fratrum observantium Scotiae status, quem hoc anno Joannes Hayus ex illa provincia profugus, Colonia mandavit ad Franciscum Gonzaga ordinis ministrum. At cum hoc monumentum vulgatum fuerit a Josepho Maria de Ancona in suo de Annalium Minorum xix. volumine; ideo ne ea quae scripsit repetamus, coenobiorum specimen a Thoma Dempstero confectum, quod in pluribus ab illo differre cognovimus, exhibemus. Et quantum spectat ad provinciae originem, laudatus auctor scribit non anno MCCXXIV., ut habet Gonzaga, et Joannes Hayus, sed anno MCCXLI. franciscanos fratres in eam profectos fuisse, nec successivis temporibus numero XIV. sed XIX. domus incoluisse, ut sequens declarat catalogus.

Ann. min. ad an. 1559. num. 16.
In apparatu ad Hist. Scotiae lib. 1. pag. 82.
Gonzaga in prov. Scotiae p. 848.

PROVINCIAE SCOTIAE CONVENTUS

1. Edimburgi.
2. S. Andreae fundatus ab Archiepiscopo civitatis, instante *Roberto Ketio*, *Maritcalensis* comitis filio, non vero istante Roberto Creythy Mercbelensis comitis filio, qui inter franciscanos cooptatus jam erat.
3. S. Joannis erectus non a comite, quia apud eos nullus comes, sed a *barone*, vulgo *mylord* Oliphante, invenitur.
4. Alberdoniae.
5. Glasconae.
6. *Airae* non in oppido Area.
7. Elgini.
8. *Siiruelini*, non vero Striflingi.
9. Jedwardae. Qui sequuntur conventus, duobus exceptis, sunt sine anno, ac sine fundatoribus.

10. Bervici.
11. Roxburgi.
12. Downglas, aut forte Dowglas, utrumque oppidum conterminum est.
13. Lamarich.
14. Hadintoniae.
15. Innerkething.
16. Deidoni fundatus an. MCCLXXIV. a Deorgilla Alanis de Galvveja.
17. S. Andreae.
18. Perthi. Coenobia haec ignota fuere Francisco Gonzaga.
19. Dunfrisi a superius laudata domina Deorgilla erectus anno MCCLXII., ubi Joannem Duns Scotum franciscanorum habitum assumpsisse tradunt.

XVII. Provincia Flandriae minorum observantium suo viduata praeside ob jacturam invictissimi viri Petri Marchant anno elapso defuncti, qui quatuor annorum spatio illam prudentia summa inter fidei hostes rexerat, quique suo studio domus fratrum disjectas, vel ab haereticis incultas, vel reparavit vel a fundamentis denuo erexit, hoc anno suum ministrum excepit, datis a Pontifice litteris ad Franciscum Wallon-Capella Episcopum Namurcensem, olim ejusdem ordinis sodalem, ut comitium fratrum pro eo deligendo convocaret, ibidemque praesideret. Pontificis litteram in qua nomen Episcopi desideratur, hic exscribimus. *Ann. min. ad an. 1583. num. 27.*

SIXTUS PAPA V.

Venerabili fratri N. . . . Episcopo Namurcen. salutem et apostolicam benedictionem.

Quieti ac prospero regimini dilectorum filiorum fratrum minorum de observantia ordinis S. Francisci in Flandria, quantum cum Deo possumus mature et diligenter providere pro pastoralis nostri officii debito cupientes, rursusque sperantes, quod pro tua eximia prudentia, charitate, doctrina, ac religionis studio ea, quae tibi commiserimus recte et laudabiliter juxta animi nostri desiderium exequeris, motu proprio, et ex certa scientia tibi capitulum provinciale ejusdem ordinis in loco et tempore per te declarando et assignando celebrandum auctoritate nostra convocandi, indicandi, atque intimandi, convocatumque et congregatum ab ejusdem ordinis superioribus et personis, qui in eo de jure vel consuetudine intervenire debent, omnibus mundanis affectibus remotis, solumque Deum prae oculis habentes pacifice et sincere celebrari, et tam ad depositionem moderni provincialis, si facta per te legitima de illo inquisitione ita de jure faciendum esse consterit, et ad illius, poenis tamen tibi benevisis, condemnationem et castigationem, quam ad alterius provincialis loco illius per te depositi, et aliorum superiorum ejusdem ordinis electionem juxta regularia instituta ac sacri concilii Tridentini decreta procedi faciendi, ac quae ad reformationem et regularem observantiam ejusdem ordinis pertinere videbuntur, statuendi, disponendi, et ordinandi, resque et negotia dicti capituli bene et feliciter dirigendi, ipsiusque capituli celebratione nostro nomine praesidendi, contradictores, ac tibi parere recusantes per poenas etc. caeteraque in praemissis necessaria et opportuna gerendi, mandandi, et exequendi, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus et potestatem. *Ex regest. Secret. Brev. in mense Octobris pag. 282.*

Datum Romae apud S. Marcum die II. *Octobris Pontificatus nostri anno* II. *M. Vestrius Barbianus.*

XVIII. Illius comitii votis collectis, munus regendae provinciae demandatum fuit Francisco de Astudillo, viro pietate ac doctrina eximio, in capitulo generali Romae anno insequenti coacto, deffinitoria generalis honore insignito. Provincia haec, quae olim praeter plurima monialium monasteria, septemdecim juxta Gonzaga domibus instructa erat; hoc aevo, Sebastiano Brouvier scriptore, ob haereticorum tumultus, aedibus x. tantum constabat.

Gonzaga p. 983. Monum. mss. provinciae.

PROVINCIAE FLANDRIAE CONVENTUS.

1. SS. Petri et Pauli Andomarensis.
2. SS. Petri et Pauli Namurcensis.
3. SS. Petri et Pauli Athensis.
4. S. Bernardini Avesnensis.
5. S. Antonii de Padua Biezensia.
6. SS. Francisci et Ludovici Sambrensia.
7. B. M. Virginis et S. Barbarae Leodiensis.
8. Eremitorii Couvinensis.
9. Immaculatae Concept. Nivellensis.
10. B. Mariae Virginis Luxemburgensis.

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. . . . Gandavi.
2. S. Joannis Duaci.
3. S. . . . . . Montensis.
4. S. . . in oppido S. Andomari.

XIX. Revocata Pii V. constitutione: *Licet alias* die iv. Junii anno mdlviii. qua tertii Ordinis fratres claustrales moderabantur a ministro generali ordinis, mandavit Sixtus V. *Romanis Pontifici* die xix. Martii, ut convocato generali comitio, proprium pro sola Italia sibi deligerent generalem visitatorem, confirmandum tamen a supremo ministro ordinis minorum de observantia. Illud Romae habuerunt in conventu SS. Cosmae et Damiani in Foro Boario die xxiv. Martii, praeside Ferdinando Cardinali de Medicis Ordinis patrono, in quo commissarii generalis munus accepit Benedictus Bellotus de Cremona.

De Sillis pag. 37.

XX. Eo praeside, obtinuerunt in provincia Veneta domum et Ecclesiam S. Petri de Casa Calba de Torcello, concessam a D. Camillo Trevisano loci commendatario perpetuo fratri Bartholomaeo de Limontis, et ejus congregationi Lombardiae, cum onere celebrandi divina officia; Anconae in provincia Marchiae domum et Ecclesiam S. Primiani, opera fr. Evangelistae de Campanis Placentini; de anno mcdlxiv. eisdem concessa fuerat Ecclesia Armenorum ex bulla Pauli II. *Dudum siquidem* xvi. calendas Octobris; in priori domo nunc degunt fratres Minimi; in provincia Aprutina eis accessit conventus S. Mariae de Monte in oppido Bolognani, studio fr. Benedicti de Paulinis, quem recepit ab abbate Hieronymo Bramonio loci patrono; paullopost fuit derelictus; in provincia Calabriae conventus S. Mariae de Laureto oppidi Tribisaciarum, concessus ab universitate loci fr. Paulo de Feulo commissario provinciali, approbante Jacobatio Episcopo Cassanensi.

Conv. de Torcello. Bordonius in Chronolog. pag. 352.
Conv. Anconae. Idem ibidem pag. 372.
Conv. Bolognani. Idem ibidem pag. 394.
Conv. Tribisaciarum. Idem ibidem pag. 406.

XXI. In provinciali comitio habito die xix. Semptembris superioris anni in conventu Dominae nostrae de Angelis Cadahalsi a fratribus discalceatis provinciae S. Josephi, ubi adfuerunt Hieronymus de Burgos, et Joannes Baptista Pisaurensis nuper ab Insulis Philippinis reversi, actum fuit de adscribenda inter provinciarum album custodia S. Gregorii earum-

Martinez p. 45.

dem Insularum. Hinc collato hac super re consilio cum Philippo II. Hispaniarum rege, missi fuerant iidem fratres cum regiis litteris Romam ad oratorem comitem de Olivarez, ut negotium hoc Pontifici commendaret. Petitis hoc anno satisfecit Pontifex, lata constitutione: *Dum ad uberes* die xv. Septembris. Verum non hoc, sed anno MDXCI. primum ministrum provinciae accepit Paulum a Jesu; nam hoc anno, nondum litteris pontificiis acceptis, custodis onus consequutus est Petrus Baptista, deinde protomartyr Japonensis. *Praefatae huic custodiae*, inquit Gonzaga, *cujus sigillum divi Gregorii Papae ac S. Ecclesiae doctoris, cujus sinistro lateri diaconus, dextro vero subdiaconus adstant, sacrum ante crucifixi immaginem facientis iconem, sequentesque litteras* Sig. Provinciae S. Gregorii Philippinarvm et Chinae *papyro imprimit, puerum Jesum graphice depictum, quod ejus imago floribus ac rosis contecta arcaque recondita a primis istarum Insularum inventoribus in expugnatione civitatis Zubuacae* (indica Zubu) *forte fortuna, non tamen praeter miraculum* (*nisi me mea opinio fallet*) *inventa fuerit, antepositum volui.* Coenobiorum hujus provinciae specimen sic exhibet Dominicus Martinez. *Gonzaga p. 1355.*

PROVINCIAE S. GREGORII INSULARUM PHILIPPINARUM CONVENTUS.

1. Dominae nostrae de Angelis Maniliae.
2. Dominae nostrae de Angelis Amacai.
3. S. Francisci in oppido de Caceres.
4. S. Mariae de Laureto de Sampaloc.
5. S. Didaci de Polo.
6. S. Idelphonsi de Tanay.
7. S. . . . . . . de Baras.
8. S. . . . . . . de Longos.
9. Nativitatis B. M. de Paquil.
10. S. Mariae Majoris de Bula.
11. S. . . . . . . de Bao.
12. S. . . . . . . de Libgnanan
13. S. . . . . . . de Oas.
14. S. . . . . . . de Minalabag.
15. S. . . . . . . de Cogsava
16. S. Michaelis de Tabayas
17. S. . . . . . . de Guinobatan.

XXII. Praeter laudata coenobia, cannis viminibusque luto contextum extruxerant etiam iidem fratres Xenodochium sub invocatione S. Annae in civitate Maniliae pro infirmis Indis noviter ad fidei veritatem adductis. Summus Pontifex hoc anno: *De salute gregis* die VIII Decembris illud multis privilegiis ditavit et auxit, nimirum quatuor per annum amplissimis jubilaeis, aliisque apostolicis per anni decursum gratiis. In hoc xenodochio *illud mirabile*, ita Gonzaga, *singulis diebus accidit, quod videlicet, cum nihil annui redditus habeat*, 200 *nihilominus utriusque sexus infirmos perpetuo sustentet. Quod sane divinae providentiae ac diligenti unius vel alterius fratris, qui ejus curam gerit, tribuendum venit. Nec illud silentio praetereundum est, quod scilicet hac patria medicamentorum penuria laborante, simplex frater laicus* (erat hic frater Joannes Clemens) *in tantam venerat ex naturali quodam instinctu superioribus hisce diebus herbarum cognitionem, ut exterarum medicinarum nihil penitus desiderari possit.* Aliud positum fuit a fratribus hoc anno valetudinarium in civitate Caesariensi, vulgo de Caceres in provincia de Camarinos, non absque ingenti animae corporumque infirmorum medela.

Xenodochium Maniliense. *Ann. min. ad an. 1578. num. 18.* *Gonzaga p. 1356.* *Ann. min. ad an. 1578. num. 18.* *Xenodochium Caesariense.* *Martinez p. 80.*

XXIII. Interim dum Romae versabatur Joannes Baptista Pisaurensis,

pluries Summi Pontificis cui olim familiaris fuerat inter minores conventuales, colloquio ac praesentia dignatus est. Virum conversioni gentium aptum apprehendens Sixtus, multis privilegiis et gratiis cumulavit, quibus facilius ejus studio aliorumque sodalium cura apud Indos et Sinenses catholica fides diffunderetur.

SIXTUS PAPA V.

Dilecto filio fratri Joanni Baptistae ordinis Sancti Francisci discalceatorum nuncupat. salutem et apost. benedictionem

Ex reg. Secret. Brev. in mense Septemb. p. 108.

Superni dispositione consilii in supereminente dignitatis apostolicae specula, meritis licet imparibus constituti, curis angimur assiduis, et debita meditatione pulsamur, ut charitatis et misericordiae opera ubique locorum exerceantur, ac christifidelium animarum salus cum divini cultus incremento procuretur; quod ut facilius succedat ipsos christifideles praesertim cum religiosorum virorum vota id expetunt, ad talia opera exercenda spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut per hujusmodi piorum operum exercitium, aeterna proemia valeant feliciter adipisci. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua, qui ad partes Indiarum et in regno Chinae diversas peregrinationes fecisti, inibique verbum Dei praedicasti, ac plura pietatis opera et ordinem S. Francisci ac custodiam Chinensem instituisti, ac multos ad fidem catholicam duxisti, petitio continebat, quod cum nonnullis locis ejusdem ordinis pia devotione ductis, ut christifidelium et praesertim Indorum animi ad verae fidei susceptae, et suscipiendae conservationem et augmentationem magis ac magis accendantur, in quibuscumque illarum partibus quascumque ecclesias etiam monialium sub regula S. Clarae, ac tertii ordinis S. Francisci sub obedientia fratrum praedictorum, donec Episcopi inibi sint constituti, ad Dei laudem et honorem aedificandi, et in eis quascumque confraternitates sub invocatione SS. Rosarii, nominis Dei, S. Crucis, SS. Corporis Christi, et aliis denominationibus sine alicujus praejudicio instituendi, ac altare portatile habendi, illoque in regno Chinae, et ubi habitaveris cum sociis utendi, ac verbum Dei ubique in Indiis praedicandi, ac poenitentiae et eucharistiae sacramenta in eisdem Indiis administrandi, licentiam et facultatem concedi plurimum desideres. Nos igitur qui pia charitatis opera ubique exerceri sincero desideramus affectu, te ac socios a quibusvis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi ac praedictis sociis in praefatis partibus, quascumque ecclesias etiam monialium sub regula S. Clarae ac tertii ordinis S. Francisci sub obedientia fratrum praedictorum, donec episcopi inibi sint constituti, et confraternitates, ut praefertur, aedificandi ac sine alicujus praejudicio instituendi, ac altare portatile habendi, illoque in regno Chinae, et ubi pro tempore habitaveris cum sociis utendi, ac verbum Dei ubique in Indiis praedicandi, necnon poenitentiae et eucharistiae sacramenta in eisdem Indiis administrandi, nullius licentia desuper requisita, et sine alicujus praejudicio auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Ac insuper cupientes, ut dictae ecclesiae, ac confraternitates confratrum nostro beneplacito in dies decorentur, ipsique confratres eo lubentius et elatius officii sui partes adim-

pleant, et ad hoc per amplius accendantur, quo majora coelestis gratiae dona exinde adipisci posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictas confraternitates de cetero ingredientur, die primi illorum ingressus, si SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, ipsisque confratribus in eorum mortis articulo nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, necnon tam ipsis confratribus, quam aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam a praepositis seu administratoribus eorumdem confraternitatum pro tempore statuendam et designandam uno die anni etiam ab ipsis statuendis, a primis vesperis usque ad occasum solis diei statuendi hujusmodi inclusive singulis annis devote visitaverint, et inibi pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, et inter christianos principes confovenda pace aliquas ad Deum preces fuderint, quo die statuendo id fecerint, si dictum SS. Sacramentum illo die etiam sumpserint, indulgentiam plenariam, et omnium peccatorum suorum remissionem quoad confratres perpetuo, quo vero ad alios non confratres, ut praefertur, visitantes ad decennium tantum duraturam, auctoritate et tenore praemissis concedimus et largimur. Praeterea eisdem confratribus quoties missae aut quibuscumque aliis divinis officiis intuitu dictarum confraternitatum celebrandis in eorum ecclesia seu cappella interfuerint, aut sibi mutuo in adversitatibus, seu necessitatibus, ac etiam aliis personis auxilium, consilium, vel favorem praestiterint, defunctorum cadavera ad sepulturam associaverint, aut impediti id facere, aliquas orationes pro anima defuncti, genibus flexis recitaverint, aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque pio, aut charitativo opere exercendo interfuerint, et blasphemantes, seu alias nomen Dei in vanum assumentes, et impatientes fraterne corripuerint, et ad poenitentiam hortati fuerint pacemve cum inimicis, seu alias inter se discordibus composuerint, et procuraverint, et verbi Dei praedicationi intuitu earumdem confraternitatum faciendae adfuerint, aut quodcumque aliud opus juxta earumdem confraternitatum consuetudinem exercuerint, pro quolibet praemissorum operum centum dies de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino etiam perpetuo relaxamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die XXVIII. *Septembris Pontificatus nostri anno II.* *M. Vestrius Barbianus.*

XXIV. Datis praeterea a Pontifice apostolicis litteris, universis christifidelibus eum commendatum voluit in sui itinere.

SIXTUS PAPA V.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Baptista Pisauren. ordinis fratrum S. Francisci de observantia discalceatorum nuncupat. qui studio reducendi infideles, et alias personas, qui in semita Domini non ambulant, illorumque animas Christo Deo Salvatori nostro sub vera et Ex reg. Secret. Brev. in mense Octobris pag. 254.

catholica fide et religione lucrifaciendi, regnum la China, ac illius provincias adire ad praedicandum verbum Dei, ubi alias cum magna animarum utilitate, posthabito omni sui capitis periculo, publice et palam illud denunciavit, vehementer cupit, Nos piam hanc ipsius Joannis Baptistae voluntatem, quantum cum Deo possumus, confovere volentes, vos omnes et singulos hortamur in Domino, ut eumdem Joannem Baptistam, et ejus socios tam ad dicta loca proficiscentem, et in illis commorantem, quam ex illis discedentem per dominia, ditiones, et loca absque ullo impedimento ire, transire, et ibi stare, et morari permittatis, eique de necessariis ad ejus vitae sustentationem pro hujusmodi suae peregrinationis itinere peragendo provideatis, seu providere faciatis, in quo rem pietati congruentem, et Nobis gratum praestabitis.

Datum Romae apud S. Marcum die 11. Octobris Pontificatus nostri anno II.

M. Vestrius Barbianus.

Franciscus de Galalarca. *Joan. Franciscus a S. Antonio tom. 2. pag. 222.*

XXV. Hoc anno in conventu S. Michaelis de Tabayas provinciae S. Gregorii Insularum Philippinarum Franciscus de Galalarca diaconus, antea a secretis Novae Hispaniae pro-regis, dum in choro genuflexus oraret, et crucifixi imaginem in ulnis haberet, inter dulcissimos amoris actus et oscula spiritum Deo reddidit. Tumulum nactus est eadem prorsus corporis compositione, eodemque loco; in conventu S. Mariae de Angelis Maniliae obiit Michael de Bastos sacerdos, initiatus in ordine minorum observantium in provincia S. Evangelii; enituit angelica puritate; ibidem decessit et Alphonsus de Jesu sacerdos in solandis afflictis singulari gratia exornatus; egit per plures annos infirmorum curam; item eo loci raptus est alter Alphonsus de Jesu devotissimus SS. Nominis Jesu, cujus agones meditatus, in lacrymas jugiter effluebat, et Joannes a Segura sacerdos, qui totius vitae cursu, licet a daemone varie lacessitus, austeritatibus, oratione, et fidei praesidio devicit.

Michael de Bastos. *Idem ibidem.*

Alphonsus de Jesu. *Idem ibid. p. 233.*

Alphonsus de Jesu. *Idem ibid. p. 239.*

Joannes a Segura. *Idem ibid. p. 240.*

Ann. min. ad an. 1584. num. 3. Monum prov.

XXVI. Haec apud Indos occiduos; franciscani vero Lusitani, qui Malaccae degebant, varias orientales in Insulas ad verbum Dei disseminandum sese contulerunt hoc anno. Eorum Didaco a Conceptione praeside in insulam Taprobanerbuni (Ceylan) positam in sinu Gangetico, Narsigae imperio adversam, novem distinctam regnis, ob felicem omnium rerum proventum ab incolis paradisi partem appellatam, missus fuit Petrus Manchos sacerdos cum socio ignoti nominis. Ut eo pervenerunt, comiter excepti fuerunt ab indigenis, quorum consilio et auctoritate cum libere Christi legem proponerent, quamplures infedeles Jesu Christo pepererunt. At inde a reipublicae gubernatoribus carceribus inclusi, magna pecuniarum vi pro eorum redemptione mulctantur. Verum illi paupertate solum divites, ultro sese vinculis offerentes, praetiosam justorum mortem ibidem oppetiere.

Monum. mss. prov. Portu, aliisq.

XXVII. Ad insulam Oceanicam regnumque de Macassar, quod inter Celebes, et Borneo insulas interjacet, destinati sunt quatuor alii franciscani, quorum nomina ignorantur, a Rege vocati, ut in sua ditione verbum fidei disseminarent. Sed illa regio erat adeo praeceps in peccato Sodomorum, ut ejus impudici habitatores vocibus etiam coeli obsurdescerent. Hinc illi, licet a sacris praeconibus mediis omnibus, ut ab eo sce-

lere avocarentur, expletis, obstinatiores effecti, eos imperscrutabili Dei judicio reliquerunt.

XXVIII. Fratri Cosmae ab Annuntiatione ejusque comiti commissa fuit evangelica infidelium messis in insula item Oceanica de Solor, una ex illis LX. et amplius, quae continetur inter Molucae insulas, quarum praecipua nuncupatur *del Timor*, olim vero de *Todor*. Hac illac discurrentes et evangelizantes, conversionis fructum quem de illis animo conceperant, cumulatissimum retulerunt. *Ibidem.*

XXIX. Camboyae regnum caeteris aliis opibus paullo inferius, regno Siami ad austrum conterminum, excepit hoc anno fratres ex eodem conventu de Malacca ab ipso Rege per litteras vocatos. Eorum nomina sunt Rodericus a Cruce, Gregorius a S. Francisco, Antonius de Magdalena, et Damianus de Turre sacerdotes. Ut accesserunt, diploma edixit suo sigillo Rex obsignatum, ut libere legem Christi praedicarent, eamque sine dignitatum et honorum jactura quisque amplecti valeret, sacerdotesque omnes franciscanos eadem veneratione, qua sacerdotes idolorum prosequerentur. Dum autem cum ingenti animarum foenore feliciter haec peragerent, Praetus rex Siami Camboyam civitatem invadens, qui aderant, principes, optimates, ac franciscanos vinculis constringens, maximo cum triumpho singulos Odia metropolim suam adduxit. Franciscani una cum aliis tenebricoso in carcere fuerunt inclusi; singulo tamen die bini insimul colligati, impositoque more boum eorum collo jugo ut plaustrum valde onustum traherent, crudeliter per civitatem circumferuntur. Quo in cruciatu unus ex illis cursum vitae feliciter consumavit. Invictam eorum mansuetudinem animique constantiam in iis perferendis demirans atque commendans inhumanus rex, ut Malaccam civitatem illi sese conferrent, imperavit. *Ibidem.* *Busching tom. 21. pag. 322.*

XXX. Ad Insulas Java in oceanico mari positas, quarum una major a Sumatra insula meridiem versus per fretum quod vulgo *Stretto di Sonda* dicitur, separatur, altera vero minor ad ortum posita, missi fuerunt tres sodales cum Hieronymo Valenti sacerdote, ubi mire operatus est in conversione paganorum. Ad regnum Balambuan, situm in extremitate orientali ejusdem Insulae, sese contulerunt Hieronymus et Emmanuel Elbenses, et Paschalis Conari, ubi facta super incolas manu Domini, Regis primogenitus, ac duo filii fratris Regis sacrum baptisma susceperunt. At cum filia Regis ob religionis catholicae odium fr. Paschalem de proditionis crimine apud patrem accusasset, ille sententiam mortis in eum dicens, telis in corde confossus, illo in vulnere spiritum Deo placidissime reddidit. Corpus ejus primum in Ecclesia cujusdem civitatis tumulatum, Malaccam postea translatum, in ara majori Ecclesiae Matris Dei summo honore repositum fuit. Hinc Rex ira percitus, reginam viduam catholicam morti addixit, fratresque omnes ac christifideles carceribus mancipati, vitam inter ludibria ac inediam patienter duxerunt. Verum fratrum innocentia cognita, eos in exilium Rex pellit, Malaccamque civitatem advenientes, fr. Hieronymus brevi post tempore dierum ac meritorum plenus supremum diem explevit. Eo loci, ut christifidelibus praesto esset, latenter permansit fr. Christophorus ab Annuntiatione cum altero sui instituti socio. *Cluverius p. 444.* *Monum. mss prov. Portogalliae.*

XXXI. Fratres observantes provinciae Burgensis recipiunt hoc anno con-

Conv. de Agreda. Monum. prov.

ventum titulo S. Juliani cl.p. a villa de Agreda dioecesis Tarraconensi dissitum, antea a quodam eremita inhabitatum. Tradunt hoc in loco sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus martyrio affectos fuisse lx. mille christianos, Daciano regionis Hispaniarum praefecto, inter quos celebris est memoria SS. Mm. Valerii et Eugraciae. Sancte ibidem decesserunt anno mdcxxx. Petrus Romero laicus; an mdcxlvi. Didacus Lopez; et an. mdcxlvii. Andreas de la Torre.

Conv. Hachingenii. Gonzaga in prov. Argentina conv. 8.

XXXII. In provincia Argentina extitit hoc anno pro iisdem fratribus conventus S. Lucii in oppido Hachingenii superioris Germaniae, in ducatu Wittembergensi, opibus constructus comitis Federici Hohenzolensis, ut adhortationibus fratrumque concionibus populi ab haeresi Lutheranorum continerentur. Locus incolitur a x. fratribus.

Conv. Windpassingensis. Idem in prov. Austriae p. 404.

Greiderer tom. 1. n. 213. p. 403.

XXXIII. Ad quatuor milliaria germanica a civitate Viennae initium sumpsit conventus pro eisdem fratribus, constructus facultatibus cujusdam nobilis viri Svevvii, curiae serenissimae Gallorum reginae Elisabeth Austriacae supremi praefecti, qui licet decrevisset illum infra quadriennium aedificare, illico tamen manus ad fabricae structuram admovit ex eo, quod ejus pientissima uxor saepius in somniis a seraphico P. Francisco praemonita fuit, ut quantocius illius fundamenta jacerentur. Vigilius Greiderer putat hunc conventum esse illum, quem vocant Windpassingensem inchoatum anno insequenti.

Conv. de Ordune.

Gonzaga in prov. Cantabriae conv. 13.

XXXIV. Canonicis Collegiatae Ecclesiae oppidi de Victoria Calagnritanae dioecesis datur facultas a Pontifice: *Piis supplicantium* idibus Martii, ob nimiam loci distantiam transferendi fratres observantes e conventu S. Marinae de Ordune intra moenia civitatis, ut praesto essent christifidelium confessionibus sacrisque praedicationibus. De hujusmodi translatione ne verbum quidem habet Gonzaga, licet de eodem veteri conventu historiam exhibeat.

Idem in pr. Franciae Parisien. con. 22.
Ann. min. ad an. 1358. num. 7.
Idem ib. monast. 7.

XXXV. Conventus Nivernensis ante hoc tempus subjectus provinciae Turoniae, hoc anno transiit ad regimen provinciae franciae Parisiensis, accedente summi Pontificis diplomate die xxv. Octobris lato ad preces Ludovici Gonzaga Nivernensium ducis. Huic provinciae subjecit etiam Summus Pontifex, opera et studio laudati ducis, monasterium monialium clarissarum Desirae edito breve: *Cum sicut* die iii. Octobris.

Conv. Morgiensis. Greiderer tom. 2. n. 63. pag. 615.

XXXVI. Hoc anno juxta Vigilium Greiderer jacturam passus est conventus Morgiensis minorum observantium in provincia S. Bonaventurae, quo tempore Bernates civitatem occuparunt, et eorum dominio adjunxerunt.

Conv. de Valtenas. Joann. a S. Maria tom. 1. p. 580.

Conv. Valentiae. Idem. ibid. p. 182.

Con. Salamanticae. Joan. a S. Antonio in chron. prov. S. Pauli p. 369.

XXXVII. In provincia S. Josephi discalceatis fratribus accesserunt haec coenobia; coenobium sub invocatione S. Annae prope Villam de Valtenas dioecesis Palentiae, instructum impensis Petri de Zuniga marchionis de Avilafuente; S. Bernardini prope civitatem Valentiae a fundamentis erectum a Petro Temino Episcopo Abulensi; idem Episcopus complevit hoc anno pro eisdem conventum S. Josephi Calvarii extra moenia urbis Salamanticae, ubi sepulchrum elegit et tumulo exceptus fuit cum hoc epitaphio: *Petrus Fernandez Temino Episcopus Abulensis hoc clauditur lapide. Obiit anno* mdxc. xxiii. *mensis Augusti. Anima ejus requiescat in pace.*

Conv. de Barajas. Joan. a S. Maria ibid. p. 182. Gonzaga p. 1151.

Opibus comitis Francisci de Zapata, senatus regii de Castella praesidis, constructum extitit etiam pro eis coenobium Conceptionis titulo in villa de Barajas, ad duas leucas a civitate Matritensi. Conventus S. Mariae Pacis

in oppido Montiscorvini provinciae Principatus traditus fuit ab observantibus patribus reformatis. Hoc praesenti anno fratres observantes incoluisse conventum S. Joannini de Urbe discimus ex diplomate Summi Pontificis: *Per multa* die xv. Octobris, quo iisdem fratribus donat mediam unciam aquae felicis. De hoc coenobio nullam mentionem facit Casimirus de Roma. Conv. Montiscorvini. *Monum. prov.*

XXXVIII. Circa hoc tempus in Vicaria Tartariae incolebant franciscani aliquot coenobia. De his sic Rodulphus: *Vicaria Tartariae — habet in Cepton duo loca; in Cambalech habent fratres locum in palatio magni Canis.* Postea subjungit: *eosdem fratres alterum coenobium incoluisse in Taurico Chersonesso, Gazaria dicta, terra Salutassi nominata intra limites Tartariae Europeae, sive Tartariae Minoris, in quo,* inquit, *in praesentia habitat frater Hercules de Speculo Apulus non sine labore proprii corporis, et fructu animarum, utpote qui callet Tartarorum et Circassorum linguam; locus autem est sub titulo S. Mariae, ubi (ut ferunt) est corpus B. Theodori, cujus festum celebratur ultima die Decembris non sine frequenti concursu christianorum, turcarum, et tartarorum.* An autem haec fratrum missio in iis locis continuata sit, et quo loco obdormierit in Domino laudatus Hercules de Speculo, monumentorum deficientia ignoramus. *Rodulphus p. 294.*

XXXIX. Conventus S. Nicolai Bytomiensis in provincia Silesiae anno mcclviii. extructus, traditusque observantibus an. mcdliii. suos incolas haeresi, bello, et peste amisit anno mdlxviii. Novos in eo locarunt fratres provinciae Bohemiae conventualium admiuistri; nam Rodulphus ejusdem memorat, qui etiam stetit ad annum usque mdlxxxix. Rodulphi II. Caesaris jussu anno mdcv. provinciae Poloniae obvenit; post celeberrimam litem ultra lx. annos productam, ex voluntate Benedicti Papae XIII. et Caroli VI. Caesaris, provinciae Bohemiae conventualium anno mdccxxv. die xv. Novembris concreditus est. Anno autem mdccliv. provinciae Silesiae adjudicatus fuit. Conv. Bytomiensis. *Greiderer tom. 1. n. 64 p. 843.* *Rodulphus p. 293.*

XL. In provincia Tyrolensi iidem fratres hoc anno incolebant conventum Montis S. Victoris dioecesis Curiensis in comitatu Veldkirchensi, a S. Victore Papa et martyre cujus sacrum veneratur caput, nomen adeptus. Aliqui putant scriptores apud Vigilium Greiderer eum excitatum fuisse anno mcdxxii. expensis Stephani comitis Montfortensis. Conv. Montis S. Victoris. *Greiderer tom. 2. n. 440. p. 238.*

XLI. Receperunt item in provincia Marchiae conventum S. Petri in loco Colmurani, uno milliario a civitate Tolentini, inter nemus positum. Suppressioni subjecit sub Innocentio XI.; item conventum oppidi S. Viti prope Pergulam sub invocatione B. Mariae Virginis. Ecclesia haec pene diruta, plurimum a christifidelibus frequentabatur; in custodia Pennensi provinciae S. Bernardini incoluerunt hoc anno conventum Nociani abbatiae Casaenovae, praeside Propertio Tagliacotio. Conv. Colmurani. *Benoffi monumen. mss. prov. Marchiae p. 203.* Conv. S. Viti. *Idem ibid. p. 208.* Conv. Nociani. *Rodulphus p. 277.*

XLII. Immissi sunt iidem fratres hoc tempore in locum Saponariae, titulo S. Catharinae V. et M. in custodia Messanae, provinciae Siciliae. Ibidem erecta est sodalitas Immaculatae Conceptionis Deiparae; in eadem custodia ab eisdem derelictus fuit hoc anno ob latrunculos et egenos quibus angebantur fratres, conventus S. Mariae Gratiarum Ramottae, in parietibus vetustia picturis exornatus. Eum reparavit anno mdcxxxvi. minister Paulinus Zuccarato ibidem nato, qui denuo fratres ibidem revocavit. Incolis exorantibus translati fuerunt anno mdcxliii. intra eumdem oppidum, Conv. Saponariae. *Cagliola p. 89.* Conv. Ramottae. *Idem ibid. p. 90.*

eis oblata sedes et ecclesia sub invocatione S. Mariae *della Giudeca*.

XLIII. Accesserunt fratribus reformatis conventualibus in provincia Romana conventus S. Priscae de Urbe, qui licet ejus Rodulphus non meminerit, conjicimus vel hoc ipso anno, vel initio sequentis eis fuisse concessum, cum Sixtus V. de Urbis conventu mentionem faciat in bulla vulgata anno insequenti pro ipsis reformatis; in eadem provincia conventus Ponzani S. Sebastiani titulo, antea inhabitatus a patribus conventualibus. Ab eo abierunt sub Clemente VIII. quem tamen incoluerunt reformati observantes ex voluntate Pauli V. Pontificis; postremo conventus S. Caeciliae V. et M. in suburbio Messanae, eis concessus sub Archiepiscopo Antonio Lombarbo die xxx Augusti hujusce anni MDLXXXVI. Anno MDCXXV. transiit ad patres conventuales.

Conv. Romae. *Sbaralea in suppl. mss. ad an. min.*

Conv. Ponzani. *Truli pag. 48.*

Conv. Messanae. *Cagliola ibid.*

XLIV. Missis anno mox transacto a Bernardo Auximensi vicario provinciae Parisiensis capucinorum Felice a Pedona Italo, Antonio Gandavensi, Joanne de Landen sacerdotibus, et Josepho Autuerpiensi laico in Belgium, Alexander Farnesius dux Parmae et totius regionis supremus praefectus eos benevole Autuerpiae excepit, domunculam conjunctam Xenodochio S. Joannis eis attribuens. Mox datis ad Sixtum Pontificem epistolis, eum exorat, ut eorumdem in Belgio incolatum sua auctoritate communiat. Suis votis satisfecit Pontifex edita hoc anno constitutione: *Accepimus* die VIII. Aprilis, non vero anno transacto juxta Michaelem a Tugio. Interim hoc eodem anno Julius Antonius Cardinalis Sanctorius ordinis protector mandat iisdem fratribus in Belgio commorantibus, ne absque speciali Sanctae Sedis licentia discedant. Postremo Alexander Damascenus Cardinalis de Montalto Felicem Pedonensem monet, ut oblatam a senatu Antuerpiae domum recipiat.

Bullar. capuc. t. 4. pag. 85.

XLV. Eorumdem fratrum coenobia notamus ex Michaele a Tugio, et ex Boverio. In provincia Neapolitana obtinuerunt conventum in oppido Caivani Aversanae dioecesis, et conventum Surrenti; in provincia Hydruntina conventum in civitate Ostunii; in provincia Aprutina conventum in civitate Ortonae; in provincia Romana conventum in civitate Balneoregii; in provincia Marchiae conventum in oppido Montis Georgii Firmanae dioecesis; in provincia Mediolanensi conventum in fortalitio Valentiae ultra Padum, Papiensis dioecesis; in provincia Brixiensi conventum in oppido Alimini Bergomensis dioecesis, et conventum in oppido Breni ejusdem diocesis; in provincia Genuae conventum Clavari; in provincia Helvetica conventum in oppido Sivitii Constansiensis dioecesis sub invocatione SS. Trinitatis; in provincia Normandiae conventum in civitate Andeliaci Rothomagensis dioecesis; in provincia Sabandiae conventum in civitate Montis Meliani dioecesis Gratianopolitanae; in provincia Lotharingiae conventum in oppido S. Michaelis Virodunensis dioecesis; in provincia Tolosana conventum in civitate Pradae dioecesis Perpinianensis.

Greiderer tom. 2. n. 123 p. 647.

XLVI. Moniales clarissae quae ex Flandria ob haereticorum incursiones venerant Ulyssiponam anno MDLXXXII. et incoluerant monasterium Dominae nostrae de Gloria, hoc anno translatae sunt in monasterium positum in suburbio ejusdem civitatis, titulo Dominae nostrae de Quietudine, aerario regio pro XXIV. virginibus continendis aedificatum. Hoc eodem anno duo moniales Agatha a S. Joseph, et Elisabeth de S. Bernardo exules e monasterio Herlemii in Hollandia, ab haereticis solo aequato, in hoc vir-

Monast. Ulyssipon. *Ann. min. ad an. 1582. n. 31.*

ginum collegium intrarunt. Meritis et virtutibus cumulatae ibidem prae caeteris decesserunt Clara de Angelis, Anna a S. Gabriele, Maria de Cruce, Geltrudis de Jesu, Joanna de Cruce, Clara de S. Francisco, Elisabeth de Sanctis, et Catharina de Spiritu Sancto.

XLVII. Recuperarunt sorores clarissae hoc anno monasterium Gandavense, ad quod attulerunt S. Coletae reliquias. De eo ita Henschenius et Papebrochius. *Hoc anno* xiv. *Januarii reversae ab exilio sorores* (*clarissae monasterii S. Clarae Gandavi*) *eodem quo ante, loco et modo reposuere reliquias* (*S. Coletae*) *instaurato, quod haeretici fuerant demoliti, sacello. Eaedem religiosae pallium et tunicam beatae reverenter asservant, quae praegnantibus et aegris ejusdem beneficio felicem partum sanitatemque sperantibus, imponere consueverunt. Servant quoque utensilia varia nonnulla, quibus fuit extremo in morbo usa, cereique benedicti, quem moriens manu tenuit frustum; necnon vela nigra duo, quae ipsi in usu fuere: uti et illius veli frustum, quod ipsa in extasin rapta, totum est ardere visum. Medii quoque digiti articulus longior, argentea in hierotheca majori decenter inclusus, ad osculum venerationemque servatur, tribusque minoribus in reliquiariis* (*qualia ad collum gestari possent*) *oculus ille in primi corporis refossione repertus in cranio, tres in partes divisus. Adest quoque annulus ejusdem signatorius ex nigro cornu, et sigillum minus aeneum duo longum pollices, latum unum, crucem insculptam habens, tribus transfixam clavis, cui corona appensa est spinea; alterum aliud sigillum, de quo superius facta mentio, videtur periisse; pari cum reverentia custoditur Agnus-Dei, quo usu dum viveret, circulo inclusum eburneo, et sacrae Scripturae textus integer ms. atque collectarium similiter manu exaratum, quod ipsa vivens sorori Agneti de Vaulx ad sui memoriam misit, prout ipsum virginis Beatae chirographum ad calcem libri expressum significat. Quae omnia an.* mdclxiii. *die* x. *Octobris nobis fuerunt exhibita, una cum tela argentea contexta filis, ulnarum facile septem, quae principissae Joannae Caroli V. Imperatoris matri propelo fuit, tunc cum ad B. sepulchrum supplex vitale se gestare foetum sensit; in cujus beneficii testimonium istud illic relinquere voluit; simulque damasceni panni albi ephippum sessorium, quo tunc vehebatur, equo instratum, totidem aut plures ulnas longum, latum unam, auro non inelegantem pictum.*

Monast. Gandavi.

Acta SS. ad diem 6 Martii.

XLVIII. Approbat Summus Pontifex: *Expositum nobis* die x. Februarii cessionem hospitalis S. Joannis, peractam a Senatu Duacensi monialibus de tertia regula, ubi se anno mdlxxx. receperunt, pulsae ab haereticis ex monasterio Velsikensi provinciae Flandriae, jubetque Episcopo Attrebaten. ut illud clausurae legibus communiat.

Monast. Duaci.

Ann. min. ad an. 1580. num. 39.

XLIX. Moniales monasterii Pacensis in Extremadura, quae a sui fundatione tertiariarum S. Francisci de poenitentia regulam absque clausura profitebantur, hoc anno mandante Pontifice: *Dilectae* die v. Martii, ad habitum et regularem clarissarum professionem admissae fuerunt, et monasterium ipsum clausura munitum. Pontificis voluntate, Cherubina monialis professa in monasterio clarissarum S. Nicolai Jadren. (*Zara*) mittitur in novum monasterium ejusdem ordinis constructum in civitate Ossaren. sive Auxeren. auctoritate collata Archiepiscopo Jadren. *Cum in civitate* die v. Augusti.

Monast. Pacense.

Monast. Auxeren.

L. Monasterium Immaculatae Conceptionis extra moenia civitatis Nu-

9*

Monast. de Soria. Monum. prov. mantiae, vulgo de Soria, dioecesis Uxamensis in provincia Conceptionis excepit hoc anno moniales clarissas, Aunam Diez de Almendarez, aliasque quatuor virgines clarissas eo translatas e monasterio Berlangae. Propriis impensis illud extruxerant pro xl. monialibus Franciscus de Barnuero, ejusque uxor Elvira Monzorzo. Non igitur juxta Gonzaga monasterium hoc est caeterorum hujus provinciae antiquissimum, nec oppidanorum sumptibus aedificatum. Flammis anno mdclxvii. absumptum, de novo reaedificatum fuit pro lx. monialibus, piorum incolarum eleemosynis. (Gonzaga in prov. Concept. mon. 17.)

LI. Licet hoc anno Pontificis oraculo die xxvi. Octobris a nobis frustra quaesito soror Maria Hispana, capucina appellata, et Paulus Massucci vir nobilis inter Recinetenses facultatem obtinuissent aedem Recineti pro xii. sororibus capucinis aedificandi, res tamen dilata fuit ad annum usque mdlxxxvii. primum lapidem ponente Rutilio Benzoni Romano Episcopo Laureti. Eo ad perfectionis culmen adducto, S. C. Episcoporum et Regularium decreto die ii. Martii mdxciv. ad illud in regulari disciplina erudiendum adductae fuerunt e monasterio capucinarum Perusiae, Margarita, ut abbatissae, et Agatha, ut vicariae munus obirent. (Monast. Recineti. Calcagni Memorie storiche di Recanati p. 356. Bullar. Capucin. tom. 2 pag. 188.)

LII. Franciscus eques Drake pirata Britannus, vir vaferrimus accessit hoc anno, pluribus stipatus copiis, in insulam hispanice S. *Domenco*, Americae septentrionalis, ubi profanatis, incensisque catholicorum Ecclesiis, disruptis sacris Imaginibus, et duo ex fratribus ordinis praedicatorum occisis, monasterium clarissarum bonis omnibus spoliavit. Ne fame perirent virgines, eleemosynam petebant ostiatim. Anno mdcx. Franciscus de Herrera commissarius generalis regni Peruani ad eam civitatem accedens, eorum necessitati aliquo modo occurrit; sed Philippus III. Hispaniarum rex, studio Joannis de Vivanco commissarii generalis Indiarum, aliquibus redditibus monasterium illud locupletavit. (Torrubia p. 186. et seq.)

LIII. Martyrii palmam consequutus est hoc anno Andreas de Puebla Hispanus sacerdos, qui ex provincia minorum observantium Castellae Mexicum advenerat, ut in gentes nuper detectas Jesu Christi nomen diffunderet. Inter fratres custodiae S. Francisci de Zacatecas cooptatus, custodis venia in Novum Mexicum commeavit. Cum Topiam versus se conferret, a Chichimecis comprehensus, primum flagellis caeditur, deinde cute capitis abstracta, arbori suspensus, sagittisque confossus, inter divinas laudes obdormivit in Domino. Dum populis fidem Christi annuntiaret in oppido de Carcas ejusdem custodiae Joannes del Rio sacerdos, tumultuarie eo acciti iidem Chichimecae, cum in ejus corpus sagittae ab iisdem immissae, ob cilicium quo ad instar vestis interius contectus erat, nihil valerent, in ejus caput deinde conjectae, crudelissime mactarunt. (Andreas de Puebla Martyr. Torquemada tom. 3. pag. 653. Joannes del Rio M. Idem ibidem pag. 654.)

LIV. Minorum reformatorum gloriam auxit etiam quorumdam venerabilium fratrum obitus; in provincia Romana ad astra migravit die xi. Februarii in conventu S. Francisci Transtyberim de Urbe Franciscus Gallus laicus xxx. annis natus. Mira in eo abstinentia prorsus enituit; semel enim in die sola aqua et pane reficiebatur, eoque tam modico, ut vix naturae viribus sustentandis sufficere videretur. A suo praeside coactus jusculum aliquando sumere, obedientiae merito protinus capiebat; in eo tamen aquam frigidam, cinerem, vel absynthium, ut nauseosum redderet, immiscebat. Solo habitu, eoque viliori et attrito utebatur. Ora- (Franciscus Gallus. Barezius part 4. lib. 8. cap 79.)

tioni, divinarumque rerum contemplationi, etiam dum officia coenobii peragebat, assidue vacabat, noctes vero insomnes saepius ducebat in Ecclesia, ut dilecti sui agones, vel ejusdem Deiparae matris meditaretur dolores. Pauperibus et egenis dum nihil auxilii praestare poterat, ex animo compatiebatur. Signis enituisse tradunt; pisces enim divina virtute multiplicavit, suaeque cordae qua precinctus erat, sospitatem infirmis contulit solo contactu. Praestans etiam fuit in virtutibus humilitatis, simplicitatis, puritatis, charitatis, ac patientiae. In eodem coenobio die x. ejusdem mensis sancte decessit Zacharias de Valcamonica; majoris perfectionis desiderio incensus, e provincia observantium Brixiae transiit ad fratres reformatos Romanae provinciae. Eximiis inde virtutibus exornatus, integerrimae perfectionis exemplar caeteris se praebuit. Licet octogenarius, cuncta tamen Ecclesiae, et regulae jejunia exactissime observabat; dicebat enim *se obligatum teneri in conscientia ad omne id boni operis, quod poterat adimplere. Nam verus religiosus*, inquiebat, *non solum obligationi intendere debet, sed Deo placere cupiens, illi ex intimo amore serviendum oportet, et omnia quae potest, totis viribus explere pro eo satagat*. Erat opprime peritus in jure canonico.

Zacharias de Valcamonica. *Idem, ibid. lib. 10. pag. 1275.*

LV. Melchior de Hierba prope Complutum de Henares anno MDXXVI. nobilibus parentibus ortus, seraphicum minorum observantium habitum suscepit aetatis suae anno xx. in conventu S. Joannis Regum Toleti in provincia Castellae. Tanto in scientiarum et virtutum genere profecit, ut ad diversa ordinis munia, licet invitus, guardiani nimirum, diffinitoris ac monasterii Matriti discalceatarum a sacris confessionibus obeunda fuerit destinatus. Angelica puritate enitescens, mulierem inverecundam ejus pudicitiam insidiantem, multa de praestantia castitatis proferens, devicit. Assiduis poenitentiae operibus membra macerabat; saepe incoenatus brevem carpebat somnum super mattam paleis contectam. Omnibus tum ecclesiae tum suae regulae jejuniis, pane et aqua reficiebatur. Saecularium consortium fugiebat; et si necessitas afforet cum eis diversandi, affabilis, benignus et pius erga omnes se praebebat. Officia SS. Nominis Jesu, B. Virginis Mariae, et defunctorum una cum septem poenitentialibus psalmis quotidie recitabat.

Melchior de Hierba. *Alphonsus Villegas supp. ad 3. part. florum sanctorum.*

LVI. Ingenti charitate erga proximum flagrans, tribulatis, afflictis, infirmis, egentibus, ac morti proximis praesens aderat, illos pro viribus consolaturus. Sacrum qualibet die summo devotionis affectu celebrabat; quo peracto, singulis qui aderant, praesertim pauperibus et rudibus sacramentum poenitentiae, instructione praemissa, administrabat. Spiritu prophetico ditatus, cum praesciret virum equestrem, qua cum una die loquebatur, certo loco et hora a sicariis fore interfecturum, ne id illi eveniret, ad noctem usque cum eo sermonem habuit, et ita illum a mortis discrimine eripuit. Quibus ab illo cognitis, plurimum viri Dei sanctitatem apud omnes commendabat. His aliisque virtutibus et meritis cumulatus, cum hydoprisi laboraret, optareique pro Christo majora adhuc pati, lecto decubans, levatis in coelum manibus dixit: *laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; postea de more susceptis SS. Ecclesiae sacramentis, spiritum Deo reddidit feria III. majoris hebdomadae, aetatis suae anno LX. sepulturae mandatus in eodem conventu S. Joannis Regum Toleti. Ad ejus funus ita magnus factus est

Sbaralea in suppl. ad Script. lit. M.

christifidelium concursus, ut vix tumulari potuerit, et ob abscissas particulas, totus fere habitus dilaceratus extiterit. Scripsit his pano idiomate librum, titulo partim latine partimque hispanico *Refugium infirmorum* pro juvandis infirmis et moribundis, Matriti apud Ludovicum Sanchez anno MDXCVI. editum, et *tractatum de passione Christi.* Extat ad calcem operis *refugii infirmorum* Matriti an. MDXCII. *typis commissi expositio alphabeti religiosi* S. *Bonaventurae.*

Emmanuel a Vimierio. *Agiologium Lusit. ad diem 11. Martii.*

LVII. Emmanuel a Vimierio, dictus etiam a S. Francisco, laicus, qui professus in conventu S. Bernardini in insula de Madera, eximiis virtutibus ibi aliquando floruit. Inde Ulyssiponam petens, in coenobio S. Francisci Civitatensis portarii munus viginti annis functus, pauperes sibi summa charitate et comitate devincebat. Nemo ab eo unquam repulsam accepit. Die misericordiae operibus, nocte orationi et mortificationi se dabat. Obiit die XI. Martii summo pauperum praesertim luctu.

Petrus Glabay. *Monum. prov.*

LVIII. Petrus Glabay provinciae Flandriae alumnus, vir praestans ingenio, ac sacrae theologiae doctor, meritis ac virtutibus consumatus, die mortis suae praescius, coenobii sui de Eremo Covinensis praesidem exoravit, ut sibi ministrarentur Ecclesiae sacramenta: dixit enim illi postera die se fore moriturum. Cum autem guardianus agnosceret eum perfecta sanitate gaudere, recusavit petitionem suam; repetitis tamen precibus obtinuit, quod optaverat. Flexis inde genibus confessionem emisit, sacram synaxim percepit, ac extrema unctione munitus fuit. Postera die, eadem qua praedixerat hora, iterum flexis genibus, manibus et oculis in coelum intentis, animam Deo reddidit. Ejus corpus ad chori gradum tumulatum, quampluribus miraculis coruscavit.

Thomas Bouchier. *Ann. min. ad an. 1558. num. 1.* *Ibidem ad annum 1583. num. 68.*

LIX. In aede Poenitentiariae S. Joannis Lateranensis de Urbe e vita migravit hoc anno Thomas Bouchier Anglus, doctor Parisiensis Sorbonicus, Elisabethae Angliae reginae decreto una cum Georgio Dionysio, Joanne Elstow, aliisque franciscanis pluribus, propter catholicam fidem in exilium pulsus. Plura, quae jam notavimus, in suo exilio scripsit. Diu Romae moram traxit, munus poenitentiarii gerens in patriarchali Basilica S. Joannis de Laterano ejusdem Urbis. De eo sic habet Pitsaeus apud fr. Angelum a S. Francisco in certamine seraphico provinciae Angliae: *fuit vir pietatis, eruditionis nominibus commendabilis, quique de suo ordine bene, de patria nostra non male, de ecclesia Christi optime meritus est, et mortuus est anno* MDLXXXVI.

Benedictus de Carinthia. *Greiderer tom 1. num. 305. pag. 446.*

LX. Scribit in suo menologio ad diem XII. Januarii Hueber sanctis operibus finem vitae hoc anno imposuisse, typographi vel calami mendo, Benedictum de Carinthia ex Austriae provincia, cum satis constet eum defunctum fuisse anno MDVI. Is nobilibus parentibus ortus, in laboribus pro salute animarum assiduus, conversationis exemplo, vitae et morum honestate, ac ardentissima verbi Dei praedicatione, cunctisque denique virtutibus mire resplenduit. Terrae Sanctae loca etiam lustrasse tradunt. Cum aliis christifidelibus ab Ottomanis in miseram captivitatem adductus, plurima opprobria, et verbera patienter pro Christi nomine longiori tempore pertulit. Solutus denique a vinculis, ac ad fratres suos reversus, in conventu Eggenburgensi vitam commutavit cum morte.

Alexius a Butrio.

LXI. Ex sacra capucinorum familia cum sanctimoniae opinione decesserunt in conventu de Urbe Alexius a Butrio laicus, vir mitissimus, ut

nemo eum unquam iratum, aut turbatum viderit; in eodem coenobio Antonius Bergomes laicus, quinto post susceptum institutum anno obiit sibi revelata die mortis suae. Vitam transegit asperam, humilem, et charitate erga Deum confectam; in coenobio Spoletano provinciae Umbriae Constantinus a Patricio laicus, animi simplicitate, et humilitate exornatus. Tanto amore erga Deiparam ferebatur, ut cum suam ei in oratione offerret vitam, illius aspectu ac colloquio recreari meruerit. Divina suae mortis revelatione nuntium accepit, et vitae cursum complevit.

De Arembergh tom. 2. pag. 569. Antonius Bergomensis. *Idem ibidem.* Constantinus a Patricio. *Idem ibid. p. 571.*

LXII. In conventu Asculano provinciae Marchiae Jacobus a Petra Rubia sacerdos, austeritate vitae spectabilis, qui vicarius provincialis electus, munus obivit virtutibus magis, quam auctoritate. Eo tantum cibo utebatur, quo illi satis esset ad vitae alimentum. Quadraginta annorum spatio, licet fructibus edendis allectus, ab illis sese tamen inviolate continuit. Paupertate, obedientia, ac mansuetudine plurimum commendabatur. Ejus post mortem gloria divinitus patefacta fuit altero sodali capucino oranti in Ecclesia ipsius coenobii; in conventu Tolentini Jacobus a Belfortio sacerdos. Omnimodae abstinentiae viam elegit in ipso religionis ingressu; unde a carnibus, caseo, ovis, herbis, leguminibus omnique pulmentarii genere abstinens, duris tantummodo panis frustulis, quae ferventi aqua madefaciebat, absque oleo et sale vescebatur. Saepe guardiani officium explevit, prudentia, charitate, ac mansuetudine summa. Plura prophetico spiritu praedixit, eventu deinde confirmata; in conventu Firmano Jacobus Reghiensis laicus, antea inter observantes professus, et inter eos per aliquot annos, ut inquit de Arembergh, cum laude diversatus. Factus capucinus, licet laicus, guardiani officium obivit. Ejus corpus diris fragris ac verberibus afflictabatur: charitate flagrabat erga aegrotos, quam fervens generabat oratio, quae hominem nocturno tempore saepe cum Deo deliciari, longasque vigilias ducere, die vero sylvam ad divinarum rerum meditationem quaerere compellebat. Iis in colestibus meditationibus constitutus, saepe, spectantibus fratribus, elevabatur. Divino amore ita aestuabat erga SS. Eucharistiae sacramentum, ut quando ad sacram hanc refectionem accedebat, totus in Deo absortus videretur, et in lacrymas efflueret; die S. P. Francisco sacro cum ingenti sanctitatis fama decessit; in eadem provincia coelestia petivit Gherardus Florentinus laicus, paupertatis, abstinentiae, carnisque maceratione eximius. Tanta in aegrotos charitate efferbuit, ut, provinciae ministro annuente, universa ipsius coenobia adierit sua opera infirmos juvaturus; item in conventu Sarnani Honorius a Sestino laicus, admirandae patientiae in injuriis et contumeliis sustinendis. Hinc a viro improbo colapho percussus, nullum perturbati animi signum edit. Obiit xc. aetatis suae anno.

Iacobus a Petra-Rubia. *Idem ibid p. 118.* Jacobus a Belfortio. *Idem ibid. p. 220.* Jacobus Reghiensis. *Idem ibid. pag. 564.* Gherardus Florentinus. *Idem ibid pag. 567.* Honorius a Sestino. *Idem ibid. pag. 568.*

LXIII. In conventu Faventiae provinciae Bononiensis ad astra migravit Joannes Baptista Prattensis, primum Bononiae legum studiis deditus, qui, omnibus suis bonis in pauperes erogatis, inter capucinos cooptatus, coelestem vitam instituit, arcta oculorum custodia, animi humilitate, regularique observantia. Illius provinciae vicarius renuntiatus, eam in regulari disciplina, et in virtutum genere summopere auxit. In coenobiorum visitatione infima quaeque praestare visus est, ut coquinaria vasa abluere, domus pavimenta verrere, fratrumque pedes lavare. Decessit in ea perlustranda, oculis lacrymis profusis, ac ad coelum elatis, manu tenens

Joannes Baptista Prattensis. *Idem ibid. p. 114.*

Isaias de Mediolano. Idem ibid. p. 222.

S. Francisci regulam; in conventu S. Victoris Mediolanensis Isaias de Mediolano sacerdos, ob sui vitae integritatem, morum disciplinam, paupertatis zelum, orationisque studium magister novitiorum et guardianus delectus. Christum spinis coronatum summo animi sensu meditabatur; in eadem provincia decessit pluribus virtutibus cumulatus Venturas Socinus laicus, mortis suae tempore a Deo praemonitus; item Matthias Anesinus Bergomensis clericus, qui in eodem instituto paucos annos, sed tamen magna cum vitae innocentia vixit. Eum vix mortuum coelum petiisse velut sidus corruscantem tradunt.

Venturas Socinus. Idem ibid. p. 595. Matthias Bergomensis. Idem ibid.

Jacobus de Forosarsino. Idem ibid. p. 28.

LXIV. In coenobio S. Barnabae provinciae Genuae, dum vicarius generalis eam provinciam collustrabat, beato fine cursum vitae complevit Jacobus de Forosarsino. Summa prudentia administraverat etiam provinciam Bononiensem, et ordinem universum procuratoris generalis munere. Iis in dignitatibus constitutus, eam semper vitae rationem tenuit, quam inter eos arripuerat adhuc tyro, assiduis jejuniis nimirum ac poenitentiae operibus vacans. Non sine animarum fructu verbum Dei annuntiavit in praecipuis illius provinciae civitatibus, ubi aliquando daemones exorcismis, jejuniis, et orationibus a corporibus expulit. Supremus ordinis administer renunciatus, tanta prudentia laude, tamque praeclaris vitae exemplis excelluit, *ut nominis*, inquit de Arembergh, *immortalitatem, ac perpetuae gloriae memoriam sua virtute, ac rebus sapientissime gestis adeptus fuerit*. Plura edidisse miracula ferunt, quae describunt laudatus de Arembergh et Boverius. Eodem anno, eodemque in coenobio abiit ad Dominum Bernardinus a Cherio laicus, magnae contemplationis vir, qui dum in mensa cum aliis se reficiebat, si forte vel de Christi passione, vel de coelesti gloria, aut de amore Dei lectio ab eo audiretur, mox in mentis excessum rapiebatur. Arcanas hominum cogitationes aliquando manifestavit, puerumque Jesum a Virgine Matre ei oblatum, humillime amplexari meruit, tantaque vero in ejus amplexu coelesti voluptate perfruebatur, ut totus in eo absortus, non sibi jam, sed Christo tantum vivere putaretur.

Boverius tom. 2. ad hunc annum. Bernardinus a Cherio. De Arembergh ibid. pag. 574.

Bernardinus a Cilento. Idem ibid. p. 174.

LXV. In conventu S. Euphebii Neapolis obiit Bernardinus a Cilento, antea vicarius provinciae Neapolitanae, quam prudentia et exemplo rexit. Tria esse religionis propugnacula dicebat, nimirum cultus divinus rite persolutus, silentium evangelicum, ac orationis studium. Dono lacrymarum ditatus erat, praesertim in sacrorum mysteriorum celebratione. Edidit italice *Enchiridion religiosae perfectionis, in quo agit de virtutibus omnibus religiosis necessariis*; in conventu Reghii ejusdem provinciae Antonius Rheginі laicus, spectaculum factus omnigenis virtutibus, et austeritatibus. In eo namque praestans fuit erga sacerdotes reverentia, charitas erga proximum, erga seipsum sensuum mortificatio, exstatica meditatio erga Jesu Christi passionem, potestas et victoria in daemones fugandos; in enarrandis vero futuris eventibus, et in sanandis infirmis mirabilis evasit. Miraculis in vita et post mortem item claruit; in conventu Frentani provinciae Messanae Constantinus a Salvatore sacerdos, novitiorum magister, et guardianus renunciatus, omnibus se praebuit exemplar abstinentiae, silentii, et humilitatis. Orationi ita deditus erat, ut persolutis de more matutinis horis, numquam ab oratione ad quietem rediret. Aliquando ipsius facies ex consortio Domini luce circumfusa apparuit. Quamplurimos infir-

Sbaralea in supp. ad Script. lit. B. Antonius Rheginі. De Arembergh ibid. pag. 579.

Constantinus a Salvatore. Idem ibid. p. 217.

mos, eis tradita in chartula illa verba inscripta, Jesuque nomine obsignata *super aegros manus imponent, et bene habebunt*, sanavit.

LXVI. Mortalem vitam complevit in coenobio patriae suae Michael a Forocornelii Barcinonensis provinciae sacerdos et concionator, humilitate, paupertate, simplicitateque dives. Commendabatur devotione erga Deiparam, cujus aspectu ac solatio in morte potitus est, a qua didicerat mortis suae tempus et horam; in provincia Cataloniae Sylvius ab Hostabrich hispanus, verbi Dei praeco strenuus, et perfectus in studio virtutum austeritatis, et paupertatis; item Gaspar a Baleare Majori sacerdos, et Juniperus a Samboy laicus spectatissimae virtutis viri.

Michael a Forocornelii. *Idem ibid. pag. 7.* Sylvius ab Hostabrich. *Idem ibid. p. 387.* Gaspar a Baleare Majori, et Juniperus a Samboy. *Idem ibid. p. 441. et 591.*

LXVII. Eorum instituto nomen dedit hoc anno Henricus de Joyosa, patre Guilielmo Joyosa Gallicorum castrorum praefecto, et Occitaniae pro-rege, ac matre Maria Botarnea, Buchagii comitissa, anno MDLXIII. natus. Anno X. vix expleto, studiorum causa Tolosam missus, cum bibliothecam conventus minorum observantium ejusdem civitatis quadam die perlustrasset, obviam S. Francisci regulam manu apprehendens, et intus in animo sibi ita loquentem audiens: *lege, et quae legeris, si potes, observa,* tunc in ea verba incurrit: *vita et regula fratrum minorum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum evangelium observare etc.* quibus perceptis, et animo jam commotus quorumdam nobilium adolescentum, qui anno elapso inter observantes cooptati fuerant, ad p. Robertum a Doque praesidem coenobii observantium Tolosae properat, ut conceptum suae religionis induendi habitum, desiderium significaret. Veritus tamen guardianus, ne in patris sui indignationem incurreret, per litteras filii propositum patri communicans, ejusdem patris jussu Parisios migrat, ut litteris in Navarraeo collegio incumberet. Tertium decimum suae etatis annum agens, ad aulam Henrici III. regis adducitur. Interim Rex, ut juvenis propositum, quod de capessendo franciscalium instituto subodoraverat, dimoveret, ei suadet ut Catharinam Nogaretiam pientissimam et nobilissimam virginem sibi in matrimonium copularet. Reluctavit ipse; at voluntati regis cedens, matrimonium cum ipsa iniit, qua cum sanctissime vixit. At illa defuncta, statim in capucinorum ordinem ingredi statuit; quare omnibus suis facultatibus unicae filiae suae, quam ex conjugio susceperat, relictis, noctu e domo aufugiens, capucinorum tunicam accepit die IV. Septembris, annos numerans XXIII. Henrici nomen in Angelum commutato. Religiosa professione emissa, aliis praeluxit sanctitatis exemplo. Caetera quae de viro hoc praestantissimo narrantur, suis in locis a nobis erunt expendenda.

Boverius tom. 2. pag 806.

LXVIII. Sponso Christo adhaesit in coelis hoc anno die V. Aprilis in monasterio S. Apolinaris Mediolani Maria Magdalena, nobilibus parentibus in ea civitate nata, quae angelicam in terris vitam ducens, et supernam patriam anhelans, velut alter Stephanus, dum orationi instaret, coelum apertum videre meruit; in monasterio S. Clarae Ubedae in provincia Granatensi die I. Februarii, dum in ecclesia decantabatur evangelium S. Joannis in secunda die Parasceves Domini, post illa verba, *et inclinato capite,* Deo spiritum reddidit Elvira de Castroviridi annos numerans CX. Tertio aetatis suae anno illuc ingressa, ita in virtutibus profecit, ut caeteris sororibus praefulgeret perfectionis exemplo. Assidue alta mente recolebat Christi Jesu passionem, et quotidie devotione summa integrum

Maria Magdalena a Mediolano. *Monum. mss. prov.*

Elvira de Castroviridi. *De Torres in prov. Granat. pag. 538.*

Anna Hidalgo. *Idem ibid. p. 537.*

officium recitabat ejusdem passionis Domini; hoc eodem anno ibidem decessit Anna Hidalgo. Eo vix ingressa, ut novit noam ex sororibus quotidie dimidiam panis sui partem egeno parenti erogare, haec inscia, et dimidiam sui panis partem quotidie sub cervicali ejus celabat. Quo a sorore cognito, et Annae revelato, illam exoravit Anna, ne id alicui aperiret; quod et praestitit. Arduam inde perfectionis semitam arripiens, ad tantam sanctitatem devenit, ut octiduo antea a Deo certior fieri meruerit de mortis suae die. Cum autem de more ejus virgineum corpus curaretur, inventum est totum flagellis ab ipsa caesum, ut in se experiretur Jesu Christi dolores quos pertulerat ab impiis columnae alligati; in monasterio S. Antonii de Baetia ejusdem provinciae item Elvira de Herrera, quae mortis suae tempus adhuc perfectis viribus praedixerat; in monasterio S. Elisabeth de Angelis Cordubae die xix. Septembris Ludovica de Pareja, egregiis virtutibus instructa, et magnae pietatis, sanctimoniaeque opinionis clara; in monasterio S. Clarae de Constantina provinciae Angelorum Maria de Spiritu Sancto. Asperum ad nudam carnem cilicium gerebat. Super nudam tabulam, ut praesto coelestibus meditationibus esset, cubabat. Obsonio, quod ad vitam vix sustinendam sufficeret, cinere immixto utebatur paucissimo. Post vesperas cruentis flagellis membra dilaniabat, ut quantum poterat, ad sacrum Christi corpus mane suscipiendum se disponeret.

Elvira de Herrera. *Idem ibid. p. 590.*
Ludovica de Pareja. *Ann. min ad an. 1483 num. 54.*
Maria de Spiritu Sancto. *De Guadalupe p. 583.*

LXIX. Vallisoleti in monasterio S. Clarae circa hoc tempus die xii. Januarii coelesti gloria potita est Joanna a Resurrectione, ciliciis revicta, jejuniisque dedita; in monasterio S. Mariae Magdalenae Alcazarii provinciae Carthaginensis die i. Septembris Catharina Alvarez, quae ab adolescentia sua usque ad senectum vias sequuta est humilitatis, charitatis, austeritatis, ac orationis.

Joanna a Resurrectione. *Hueber ad diem 12. Januarii.*
Catharina Alvarez. *Idem ad diem 1. Septembris.*

LXX. Inter minores observantes Franciscus. Panigarola Mediolanensis electus est Episcopus Chrysopolitanus in partibus infidelium, et suffraganeus Archiepiscopi Ferrariensis: *Cum nos* die v. Julii; Ecclesiae Bosanensis in Sardinia Joseph Angles Valentinus: *Apostolatus officium* calend. Octobris; inter minores conventuales inauguratus est die viii. Januarii Episcopus Alifiensis Henricus Cini Syracusanus; die xiii. Maii Franciscus Carusius Episcopus Sulmonensis et Valvensis; Clemens Bontadossius a Montefalco Umber magister generalis ordinis Episcopus Neocastrensis die xxxi. Junii. Ejus loco ordinis regimen suscepit Evangelista de Furce Picenus, Vicarii generalis titulo: *Quoniam* die v. Julii; Propertius Resta fit Episcopus Geruntinen. et Cariaten. *Apostolatus officium* nonis Novembris; Hannibal Santucci de Urbino fit inquisitor generalis Patavii: *De tua* die xii. Januarii. Hoc eodem anno idem munus adeptus est pro tota Pisana ditione Franciscus Laelius de Placentia sacrae theologiae magister.

LXXI. Viri litteris exculti hoc tempore in observantium instituto florebant. In primis Philippus Diez Lusitanus, vir pius et indefessus verbi Dei praeco. Eo usus est Episcopus Salamanticensis, ut illius accademiae adolescentes in deteriora lapsi ad meliorem frugem, quod et assequutus est, revocaret. Scripsit *conciones quadruplices Dominicarum a septuagesima usque ad resurrectionem* quae quotidie in Ecclesia habentur, Salamanticae an. mdlxxxiv. et mdlxxxv. typis Joannis Ferdinandi vulgatas,

Wadding. et Sbaralea de Script.

et Lugduni hoc anno, et alibi postea; *conciones quadruplices Dominicarum et festorum a Dominica prima Adventus usque ad septuagesimam* Lugduni editas hoc anno, et Salamanticae an. MDLXXXVIII. *conciones dominicales aestivas a Dominica in Albis usque ad Adventum* Venetiis hoc anno, Salamanticae et Lugduni impressas; *conciones quadruplices super evangelia Jesu Christi, B. Virginis, et Sanctorum omnium* Lugduni hoc anno, et Venetiis an. MDLXXXIX. typis commissas. Commendatur auctor a S. Francisco Salesio in suis epistolis, ac a Sixto Pontifice: *Religionis zelus* die VI. Septembris cui indulget, ut opera jam edita, et ab eo in futurum edenda, erogata pecunia pro consulenda suorum consanguineorum egestate, venalia exponeret. *Part. 1. cap. 5. pag. 60. Venezia 1760.*

LXXII. Andreas Cappella hispanus, a Sbaralea inter Carthusianos, a Waddingo inter minoritas observantes adscriptus, latina, graeca, et hebraica lingua peritus, edidit per Hubertum Gottardum *commentarium in Jeremiam Prophetam.* an. MDLXXVIII. vulgavit Compluti apud Joannem Gratianum *sermones quadragesimales, et sermones pro singulis dominicis totius anni*; hispanice scripsit *meditationes breves, sed graves in evangelia totius anni*; transtulit etiam e latino in hispanicum idioma *commentarium in passionem Domini, et librum ad fidelem animam Lanspergii Carthusiani.* Archangelus Romanus bonarum litterarum cultor prae caeteris scripsit italice *carmen de Francisco Assisiate* Matriti hoc, et anno MDCXLVIII. typis Ludovici Gragnani iterum editum. Petrus Rodulphus Tossinianeusis, qui hoc anno, ut paullo post dicemus, suam de Seraphica Religione historiam vulgavit, meminit Bonaventura a Cineribus, quin tempus quo scripserit, assignet, cujusque provinciae fuerit. Novimus a Waddingo Italum et inter minores observantes cooptatum scripsisse *epitomen operum S. Bonaventurae, et tabulam uberrimam in omnia ejusdem opera.* Callixtus Neapolitanus scripsit *libellum de triplici statu animae humanae juxta principia theologorum et philosophorum* hoc, et anno MDLXXXVIII. Romae typis Joannis Martinelli impressum. *Sbaralea in supp. ad Script. ord. lit. A. — Wadding. de Scriptoribus lit. A. — Sbaralea ibidem lit. A. — Waddingus ibid. lit. B.*

LXXIII. Gabriel item Molina, natus in Castro Arquato in provincia Mediolanensi italice vulgavit Mediolani praelo Petri Tini *regulam tertii ordinis S. Francisci cum caeremoniis, ac modo circa vestem ejusdem fratribus conferendam.* Ludovicus a S. Francisco patria Ulyssiponensis, ac provinciae S. Jacobi filius, sacrae theologiae doctor, juris utriusque interpres scripsit ad Ferdinandum Medicaeum tunc S. R. E. Cardinalem, et ordinis minorum protectorem, ac postea magnum Etruriae ducem, opus in X. libros divisum, editumque hoc anno Romae sic inscriptum *Globus et canon arcanorum linguae sanctae, ac divinae scripturae.* Waddingus *de hebraicae linguae origine* disserens, haec de eo sic habet: *Ludovicus Lusitanus minorita post publicam in accademia Salmantina imperatoriarum et pontificiarum legum interpretationem, et post theologiae professionem, inter minores quinquagenarius et ultra huic se adjunxit disciplinae* (linguae ebraicae) *ut ipse fatetur in prologo suarum institutionum hebraicarum; in qua tam doctus evasit, ut quaedam sui ingenii, et eruditionis in hoc argumento transmiserit ad posteros monumenta.* Habitam a se *orationem funebrem in obitu fr. Marci Valladarii* ibidem an. MDLXXXVII. publici juris fecit. Petrus Caponsaccus, vocatus a Joanne a S. Antonio non recte Caponsacchius, de Pontaneto, antea Aretinus patritius, edidit hoc anno *observationes in Cantica Canticorum et Apoca-* *Sbaralea ibidem lit. G. — Waddingus ibid. lit. L. — Sbaralea ibidem lit. P.*

Possevinus in apparatu sac. p. 43.

lypsim. Incertum est an fuerit adscriptus inter minoritas; nam Possevinus, omisso ejus regulari instituto, ita scribit: *Petri Caponsacchi de Pontaneto Aretini in Joannis Apostoli Apocalypsim observatio ad Selymum II. Turcarum imperatorem* Florentiae MDLXXII. Hinc patet hoc anno vulgatas ab eo fuisse observationes *in cantica canticorum.*

Staralea ibidem lit. P.

Wadding. de Script. lit. P.

LXXIV. Petrus Rodulphus a Tossiniano, Aemiliae oppido in ditione Imolensi ad Appennini radices natus, doctrina excultus evasit inter minores conventuales, quibus adhaesit adhuc juvenis. In suo ordine officia peregit *regentis* gymnasiorum Bononiae ac Venetiis, magistri provincialis in Marchia Anconitana, et procuratoria generalis. Anno MDLXXVIII. dum Bononiae conciones haberet in ecclesia principe, adscriptus fuit illius urbis collegio theologorum *tamquam vir famosus.* Scripsit hoc anno muncupavitque Sixto V. Pontifici opus Venetiis typis impressum apud Franciscum de Franciscis Senensem *Seraphicam historiam*, in quo compendiose de viris illustribus sanctitate, dignitate, doctrinaque, de piis sororibus franciscanis, de ministris, et comitiis generalibus, de variis instituti congregationibus, de Summia Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, de provinciis universis, et coenobiis ordinis minorum disseruit, additis iconibus et epigrammatibus; *in quibus tamen*, ita Waddingus, *colligendis majorem ind ginem, et scribendis majorem solertiam harum rerum periti requirunt.* Anno MDLXXVIII. Florentiae apud Juntas vulgatus fuit, opera fr. Ludovici Tiphernatis, *Catalogus universalis totius seraphici ordinis.* Prodierunt de eo an. MDLXXX. praelo Alexandri Benacci Bononiae *conciones* italice, variis temporibus ac locis habitae; *dictionarium latinum per alphabeti seriem de virtutibus et vitiis*, concionatoribus percommodum prodiit primum Bononiae laudato anno apud societatem typographicam, et Lugduni an. MDLXXXII. Ejusdem *pars prima concionum* vernaculo sermone prodiit an. MDLXXXIV. Venetiis typis laudati Francisci. Arimini vulgata fuit MDLXXXV. *vita B. Michelinae Pisaurensis* italico sermone. Scripsit praeterea *tractatum de passione Domini*, super *canticum Beatissimae Mariae* italice, *homilias centum in septem psalmos poenitentiales* latino idiomate, *ac vitam B. Margaritae Columnensis Romanae* ordinis S. Clarae. Praestans est ejus opus *de Christiano oratore* in tres libros partitum, quod vidi autographum penes Eminentissimum S. R. E. Cardinalem et Episcopum Auximanum Joannem Soglia, quem honoris gratia nomino. De caeteris operibus suo loco.

Gonzaga in prov. S. Andreae conv. 10.

LXXV. Refectis aedibus conventus Cartracensis minorum observantium in provincia S. Andreae, haereticorum indomita rabie dejectis, Ecclesiam S. Barbarae V. et M. consecravit Episcopus Sareptanus, Archiepiscopi Tornacensis suffraganeus. Memoria anniversariae consecrationis solemni ritu peragitur Dominica prima Augusti. Propertius Resta Episcopus Geruntin. et Cariaten. facultatem hoc anno accepit a Pontifice: *Devotionis tuae* die XXIII. Decembris consecrandi Ecclesiam minorum conventualium in loco de Taliacotio Marsicanae dioecesis patriae suae.

LXXVI. Hoc anno supra praecipuam templi Capitolini de Urbe januam a parte interiori inscriptum fuit, appositis vexillis, monumentum sequens

IESU. CHRISTO. HUMANAE. SALUTIS. AUCTORI. QUOD. PIUS. V. PONT. MAX ANIMI. CELSITUDINE CUM. PHILIPPO. II. HISPANIAR. REGE. S. Q. VENETO FOEDERE. INITO. SELYMUM TURCARUM. TYRANNUM. AD ECHINADAS. INSULAS. NAVALI. PRAELIO. POST. HOMINUM. MEMORIAM. MAXIMO. DEVICERIT
S P Q. R.
M. ANTONIO. COLUMNA. PONTIFICIAE CLASSIS. PRAEF. REDUCE. OVANTEQUE. OMNIUM. ORDINUM. ORATULATIONE. RECEPTO. AEDEM. HANC. AUREO LAQUEARII. VEXILLISQUE. HOSTIUM. EXORNAVIT
ANNO. SAL. CXO.D.LXXXVI.

Quoniam vero in utraque Waddingi annalium editione desiderantur nomina curatorum, ideo ea ad historiae integritatem subjicimus. *Ann. min. ad an. 1251. num. 56.*

ALEXANDRO. MUTIO	MARCO. ANTONIO. SPANNOCCHIA
DOMINICO. CAPRANICO. COP.	ANTONIO. CAMAIANO
IOANNI. BAPT. CORONATO	IONNE. BAPTISTA. ARGON. COP.
TIBERIO MAXIMO. PRIORE	HORATIO. BONIOAN. PRIORE

LXXVII. Corpus eximii viri Aloisii Cardinalis Estensis III. calendas Januarii Romae defuncti, illatum fuit ad Ecclesiam S. Francisci conventualium Tyburis, juxta patrui sui sepulcrum; cor ad Ecclesiam Augustae-Rusciorum; viscera vero ad Ecclesiam S. Ludovici de Urbe. De eo sic scribit Thuanus: Aloisium Estensem, *ut avo cognominem, sic magnitudinem animi parem : munificentia vero in omnes quibusvis principibus longe superiorem ; ita ut in ea urbe, in qua tamquam in publico christiani orbis theatro tot annos admiratione fuit, thesaurus pauperum, sacri collegii splendor, aulaeque romanae ornamentum dici meruerit.* *Thuanus lib. 84.*

LXXVIII. Philippus II. Hispaniarum Rex una cum principe filio suo Philippo, et infanta Isabella, Eugenia, Clara archiducissa Austriae et comitissa Flandriae item ejus filia veniens Valentiam, petiit coenobium S. Mariae de Jesu ejusdem civitatis ad colendum corpus B. Petri Nicolai Factoris, meritorum miraculorumque ejus gloria commotus. Efflagitantibus fratribus dedit hoc anno ipse Rex sub die XXVIII. Februarii ad Summum Pontificem supplices litteras, ut dignaretur commissionem instituere pro festinanda canonizatione Beati, anno MDLXXXIII. defuncti. Sub eadem die oratorem suum comitem de Olivares Romae degentem monuit, ut hanc rem apud Pontificem suo nomine ageret. Similia detulerunt vota ad Sixtum Hieronymus Artes, Onuphrius Martorello, Gaspar Santesereu, Michael Nofri de Cas, Joannes Baptista Sapena, et Vincentius Furio Ceriolo jurati Valentiae, et ad id deputati ab eadem civitate D. Franciscus Monacho Cisterciensis, D. Joseph Valles, Jacobus Rafes Perpinianensis, M. F. Didacus, Joannes Baptista Benedetti, et Nicolaus Dozlor. *Ex processu Valentino pag. 282.*

LXXIX. Opibus Dorotheae Thesonae monasterii monialium S. Benedicti Salerni sub invocatione S. Mariae Magdalenae, theca argentea occlusum fuit caput B. Luciae a Calatayerone clarissae, quod singulis annis die XXVI. Septembris christifidelibus venerandum ostenditur. *Acta SS. ad diem 26. Septembris.*

LXXX. Cum vel ex animi levitate, vel ex spiritu majoris perfectionis quamplurimi tam ex observantibus, quam ex recollectis, ac discalceatis Italiae non solum, verum etiam Cataloniae, Galliae, et Germaniae provinciarum fratres, nulla habita a majoribus facultate, ad minores capucinos se conferrent, ideo delatae fuerunt preces ad Summum Pontificem, ut de remedio opportuno providere dignaretur. Hinc Sixtus tum ex jam

suorum decessorum super hac re editis costitutionibus, quam ex consulto quorumdam S. R. E. Cardinalium, hujusmodi ad capucinos transitum sine speciali Apostolicae Sedis licentia interdixit hoc vulgato diplomate.

SIXTUS PAPA V.

ad perpetuam rei memoriam.

Franciscus Matritensis tom. 1. Bullarii pag. 289.

Pro ea, quam praecipuam gerimus erga S. Franciscum devotione, illius familiam universam paterno amore complectentes, ea studemus de medio tollere, quae dissidii inter ipsos religiosos ejus regulam sectantes, occasionem praebent, aut iis, qui levitate animi, minus constantes persistunt in obedientia, cui seipsos dicaverunt, ab ea se subtrahendi viam aperiunt. Sane jam pridem fel. record. Paulus Papa III. et Julius etiam III. Romani Pontifices praedecessores nostri, justis de causis adducti prohibuerunt, ne ullo modo fratres de observantia sine suorum generalium, vel provincialium licentia in scriptis habita ad congregationem capucinorum se transferre, sive ab ipsis capucinis recipi, aut in illorum domibus retineri possent, vel deberent, certis etiam gravioribus poenis adjectis, prout in illorum litteris plenius continetur.

§. I. Quare Nos quoque eorumdem praedecessorum exempla secuti, toto negotio cum quibusdam ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus communicato, ac diligenter considerato, litterarum hujusmodi tenores praesentibus pro expressis habentes, de eorumdem Cardinalium consilio, etiam de novo auctoritate apostolica, per praesentes districtius interdicimus, tam ipsis capucinis, ne quemquam eorumdem fratrum de observantia, post emissam professionem regularem, juxta instituta ejusdem ordinis de observantia, ad eos quovis habitu et quacumque de causa transeuntem sine Nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis licentia speciali, per litteras apostolicas expressam, et in specie, non autem per clausulas generales idem importantes praesentis prohibitionis mentionem et derogationem continentes, aut eorumdem generalis, vel provincialium ministrorum fratrum de observantia licentia in scriptis, ut praefertur, obtenta, admittere, recipere, et retinere: quam fratribus de observantia praedictis, ne quisquam eorum ad congregationem capucinorum sine hujusmodi licentia se transferre in futurum praesumant.

§. 2. In singulos vero capucinorum superiores, provinciales ministros, domorum guardianos, vicarios, seu praesides, necnon ipsos fratres de observantia, qui in praemissis quoquomodo contravenerint, excommunicationis sententia ferimus, eosque omnibus, et quibuscumque dignitatibus administrationibus et officiis, per eos pro tempore obtentis, auctoritate praesentium privamus, et ad futura, ac quoscumque actus legitimos exercendos, inhabiles esse volumus eo ipso: decernentes receptiones, admissiones, et retentiones, quascumque de illis ex quavis causa, sine dicta licentia faciendas, nulla omnino firmitate subsistere; neminemque penitus ulli voto, aut promissioni, etiam juramento, aliave solemnitate roboratis obligare posse, praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari, seu impugnari, aut sub praetextu, quod contra alias apostolicas, ac canonicas sanctiones, jam

pridem usu receptas (quod scilicet unicuique regulari ad arctiorem regulam , et religionem transeundi , petita dumtaxat , ac etiam non obtenta licentia superiorum transitus libere et licite permittantur) aut alias quovis praetextu , seu quaesito colore in jus et controversiam revocari , aut invalidari , ac ad terminos juris reduci non posse , sed semper validas , et efficaces existere : sicque in praemissis universis et singulis per quoscumque judices et commissarios etc. necnon irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. *Mandantes universis et singulis locorum ordinariis , ut quando, ubi , et quoties opus fuerit , ac pro parte alicujus ex fratribus de observantia hujusmodi fuerint requisiti , praesentes litteras solemniter publicantes , eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes , non permittant quemquam ex praedictis, si qui forsan in posterum se de facto transferre praesumpserint , contra earumdem praesentium continentiam et tenorem in aliqua domo , seu loco ipsorum capucinorum admitti , recipi , et retineri.*

§. 4. *Contradictores quoslibet , et rebelles , eisque auxilium , consilium , vel favorem directe vel indirecte quomodolibet praestantes per censuras etc. invocato etiam ad hoc , si opus fuerit , auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.*

§. 5. *Quae omnia , ac desuper confectas litteras , processusque habitos per easdem, quatenus praemissis in aliquo adversantur, abrogamus, cassamus , et annullamus ; aut si ipsis capucinis, eorumque praelatis et superioribus , vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum , quod litteris revocatoriis sub quacumque forma editis , nullatenus , vel nisi modis et formis in hujusmodi indultis contentis parere, et ob non paritionem aliquas sententias , censuras, et poenas incurrere , aut alias interdici , suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam , ac de verbo ad verbum de indultu hujusmodi mentionem , etiam quibuslibet aliis privilegiis , indulgentiis , exemptionibus , et litteris apostolicis generalibus , vel specialibus , et etiam motu , scientia , et potestatis plenitudine similibus , concessis, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa , vel totaliter non inserta , effectus earum impediri valeat quomodolibet , vel differri , et de quibus, quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Quae omnia volumus etc.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. *Januarii Pontificatus nostri anno II.*

M. Vestrius Barbianus.

LXXXI. Lata sunt hoc eodem anno aliqnot decreta pro fratribus mendicantibus a S. Congregatione regularium die x. Octobris , quae proferimus.

» Lecto in Sacra Congregatione Regularium memoriali , oblatn nomine » totius familiae fratrum mendicantium quarumcumque provinciarum re» gni Neapolis conquerentium , qualiter formam suorum privilegiorum , » sacrorum canonum , concilii Tridentini, et ordinationum apostolicarum, » in quam pluribus ab Ordinariis locorum gravantur, prout ejusdem me» morialis series continebat , Illustrissimi Domini Cardinales his mature » consideratis , statuerunt et decreverunt infrascripta ab eisdem locorum » Ordinariis perpetuo et inviolabiliter observari debere ».

Bremond in bull. ord praedicat. t. 7. pag 203.

1. » Quod circa saecularium confessiones ab ipsis fratribus mendicantibus audiendas, servetur decisio (*inferius a nobis apponenda*) congregationum sacri Concilii, et Episcoporum, corripiauturque ordinarii, qui in articulo mortis id fieri prohibent, vel in licentiis concessis id excipiunt ».

2. » Fratres mendicantes nullatenus a quaestuatione, quae de licentia suorum superiorum fit, et iu dies fieri continget, prohibeantur ».

3. » Ordinarii non impediant fratres pulsare campanas ad matutinum, horas, et ad missam, antequam pulsetur campana majoris ecclesiae, praeterquam in die Sabbati Sancti. »

4. » Ordinarii in congregationibus causarum fratrum mendicantium tam civilium, quam criminalium minime sese ingerant; pariter nec in visitatione eorumdam fratrum, vel ecclesiarum suarum, nisi quatenus eis per concilii Tridentini decreta conceditur »

5. » Quo autem ad quartam funeralem servetur decretum sacri concilii Tridentini ».

» Fr. Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus.
» Gregorius Palearius Secretarius.

LXXXII. Decretum etiam a S. Congregatione Concilii super Sess. xxIII. Cap. v. vulgatum subjicimus.

Idem ibidem. » Congregatio Concilii censuit, regulares ad audiendas in civitate et dioecesi saecularium confessiones, semel ab Episcopo praevio examine approbatos, iterum ab eodem episcopo non esse examinandos. Ceterum a successore posse utique examinari justa constitutionem sanctae memoriae Pii V. dat. VIII. idus Augusti, pontificatus illius anno VI. quae a fel. record. Gregorio XIII. non est revocata per reductionem privilegiorum regularium ad terminos Concilii Tridentini ».

» A. Cardinalis Caraffa.

LXXXIII. Hungariae regnum, antea pietate ac fide florentissimum, cum hoc aevo ob turcarum et haereticorum saevitiam evangelicis cultoribus, qui verbo sacramentorumque pabulo reliquos christifideles nutrirent, esset imminutum, ut si de solis franciscanis loquatur, licet adhuc retinerent LIII. religiosorum aedes, ac clarissarum unum monasterium, eorum tamen plures, teste Gonzaga scriptore coevo, ab uno, vel ab altero tantum fratre ac nonnisi ad tempus incolebatur. Huic malo occurrere volens Georgius de Salina inter observantes provinciae Bosniae Argentinae professus, veniam illuc adeundi a Pontifice obtinuit, quamplurimis cumulatus gratiis ac beneficiis. (Gonzaga p. 517.)

SIXTUS PAPA V.

Dilecto filio Georgio de Salina ordinis fratrum minorum de observantia provinciae Bosnae Argentinae salut. et Apost. benedictionem.

(Ex reg. Secret. Brev. in mense Martii pag. 136.) *Cum sicut Nobis exposuisti, in provinciis Possaviae et Possemiae et adjacentibus locis positis in partibus regni Hungariae, seu finitimarum regionum, Turcarum tantum dominio subjectis reperiantur plurimae plebes, et copiosus numerus christianorum, qui inter alias ingentes calamitates quibus assidue in tyrannica infidelium servitute premuntur, sacerdotibus, clericis, et religiosis personis, a quibus salutis sacramenta percipi-*

ant, et Dei verbum, sacras missas, et alia divina officia audiant, careant, ac tu propterea christianae fidei et pietatis studio permotus, et animarum christifidelium illic commorantium salutis zelo succensus, ad eas partes cum aliquot presbyteris sociis de tuorum superiorum licentia, et cum nostra benedictione te conferre desideres, ut una cum illis valeas eisdem fidelibus divinum verbum praedicare, sacramenta ministrare, divina officia, et alia ecclesiastica munia praestare; socios autem hujusmodi sine nostra licentia, aut mandato facile habere non possis, idcirco Nos salutare hoc tuum propositum et devotionem in Domino commendantes in primis tibi et sociis qui tecum venient, paternam nostram benedictionem impertimur: deinde piis tuis in hac parte votis libenter annuentes, ut commodius praemissa ad omnipotentis Dei gloriam et honorem implere et exequi possis, quo majori fueris facultate suffultus, tibi ut aliquot presbyteros viros idoneos et probatos tam saeculares, quam tui fratrum minoribus de observantia, et cujusvis alterius ordinis regulares, de suorum tamen licentia superiorum, in socios ad hujusmodi munus exequendum assumere et tecum adducere.

1. *Ac ut tu, et socii tui presbyteri praedicti missas et alia divina officia in partibus illis tam in ecclesiis et cappellis, quam etiam in oratoriis et aedibus privatis, ubi vobis propter periculum, aut aliam necessariam vel rationabilem causam visum fuerit expedire, in loco tamen honesto, et decenti celebrare.*

2. *Necnon ut tam tu, quam socii tui presbyteri in locis praedictis, si parochus non adfuerit, quoscumque fidelium natos infantes, et filios aut alios quoscumque ad veritatem fidei venire cupientes recipere, et baptizare.*

3. *Tu quoque et socii tui presbyteri in baptismo ministrando sacro chrismate et oleo cathecumenorum veteribus, seu eo anno non benedictis, si nova commode habere non poteritis, respective uti.*

4. *Insuper et vos utriusque sexus christifidelium etiam presbyterorum peccatorum confessiones audire, eosque ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, casibus, sententiis, et censuris, tam episcopis et locorum ordinariis, quam Sedi Apostolicae etiam in bulla in die Coenae Domini legi consueta, aut aliis Nobis et eidem Sedi quomodolibet reservatis, praeterquam homicidii, vel mutilationis membrorum personae episcopi, vel praelati, injuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis quae de jure fuerint injungenda, absolvere.*

5. *Ac quoscumque a fide catholica aberrantes apostatas, haereticos, et schismaticos ad gremium S. R. Ecclesiae humiliter redire volentes, postquam errores suos publice vel secreto, prout vobis magis expedire visum fuerit, abjuraverint, ab apostasia, haeresi, schismate et erroribus suis ac censuris, in quas praemissorum occasione incurrerint, in foro dumtaxat conscientiae absolvere, et liberare, ac eidem gremio et unitati fidelium reconciliare et aggregare, injuncta eis pro modo excessuum poenitentia salutari.*

6. *Atque ut praedictis christifidelibus sacrosanctae Eucharistiae et alia sacramenta ministrare, quae sacerdotes parochi conferre possunt, et nuptiis per eos legitime contrahendis, in locis in quibus copia proprii parochi commode haberi non possit, tamquam proprii parochi interesse, ac illis*

sacerdotalem benedictionem impendere libere et licite possitis et valeatis.

7. *Praeterea saluti fidelium illarum partium consulere volentes, ut omnibus et singulis christifidelibus in praedictis partibus commorantibus, vere poenitentibus, qui vobis, aut aliis sacerdotibus saecularibus vel regularibus, ab eorum ordinariis, seu superioribus approbatis, seu alias quomodolibet deputatis peccata sua confessi fuerint, et sacram si poterunt eucharistiam susceperint, et juxta ordinationem per vos desuper faciendam, aliquod jejunium, aut pietatis opus praestiterint, ac pro fidei catholicae exultatione, et populi christiani salute pias ad Deum preces effuderint, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate nostra concedere et impartiri similiter libere et licite possitis, et valeatis auct. apost. ten. praesentium concedimus, committimus, et indulgemus, ac plenam et liberam desuper facultatem et potestatem damus et impartimur. Non obstantibus etc.*

8. *Decernimus autem, volumus, et declaramus hujusmodi facultates in praesentibus nostris litteris contentas tibi, tuisque sociis conjunctim concessas, insolidum tibi et eis ac cuilibet vestrum esse concessas, atque ad triennium tantum duraturas, vobis in dictis dumtaxat partibus commorantibus suffragari, nisi a Nobis aliud expresse mandari contingat.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xiii. *Martii Pontificatus nostri anno II.* *M. Vestrius Barbianus.*

LXXXIV. Plura jubet et indulget Summus Pontifex. Edit constitutionem contra exercentes artem astrologiae judiciariae, et alia quaecumque divinationum genera, librosque legentes, vel retinentes: *Coeli et terrae* nonis Januarii; jubet, ut celebretur festum S. Antonii Patavini die xiii. Junii: *Immensa* xix. calend. Februarii; prohibet, ut de cetero nulla defunctorum corpora, praeterquam regalia, in choro et aliis locis intra septa et clausuram monasteriorum monialium in regnis Hispaniarum sepeliri valeant: *Circa pastoralis* nonis Maii; jubet, ne fratres observantes cohibeantur ad solvenda vectigalia in civitate Avenionen. *Delatum est* die x. Aprilis; inhibet commissario generali Hispaniarum, ne iterum in abbatissam monasterii S. Clarae oppidi de Madrid dioecesis Toletanae eligat Joannem de Ayala illic professam: *Dudum* die xxvi. Novembris; interdicit regularibus quibusvis ordinis accessum ad monasteria monialium ducatus Ferrariensis: *Regimen* die ultima Maii; taxat pensionem ct. ducatorum super fructibus monasterii S. Archangeli ordinis S. Benedicti Barensis pro necessitatibus conventus SS. XII. Apostolorum de Urbe, et pro sustentatione Joannis Francisci de Monte Alto conventualis: *Pastoralis officii* v. idus Junii; confirmat cessionem conventus SS. Annunciationis Genuae olim peractam a Paulo III. fratribus observantibus: *Sacrae religionis* calendis Januarii; statuit, ut observantes licite retineant Ecclesias ac coenobia a decem annis ab eis possessa, datis litteris ad Franciscum Gonzaga: *Cum sicut nobis* die iii. Septembris; vetat monialibus monasterii de Albacete Carthaginensis dioecesis, ne in eo recipiantur ad insimul convivendum mulieres saeculares: *Ut nulla* die xxv. Julii; approbat quaedam statuta pro bono regimine monasterii de Sacaven. *Exposuit* die xx. Augusti; providet quibusdam eleemosynis necessitati monasterii S. Clarae Dertusiu. *Exponi nobis* die xxvii. Septembris, et monasterii S. Clarae Interamnae: *Expositum nobis* die xxv. Septembris; subjicit Ordinario monasterium S. Clarae Perusiae: *Cum*

sicut die xxiii. Julii ; firmat concordiam initam inter ministrum provinciae Portugalliae minorum observantium, et Mariam de Mendoza circa quaedam legata : *Pro parte* xiv. Julii ; componit litem inter fratres observantes conventus S. Francisci de Vinea, et confratres confraternitatis B. Mariae Virginis erectae in oratorio Federici Carilli : *Inter caetera* die xxx. Augusti ; unit bona et Ecclesiam parochialem coenobio fratrum conventualium in oppido Apognani dioecesis Asculanae : *Ad exequendum* ix. calendas Augusti ; eximit eosdem fratres conventus SS. XII. Apostolorum, et S. Salvatoris in Unda de Urbe a quibusvis vectigalibus: *Sedes Apostolica* die viii. Augusti.

LXXXV. Indulget, ut Octavius a Parma professus inter observantes vulgare valeat opus inscriptum *Rosarium Domini nostri Jesu Christi* : *Cum sicut* die xv. Junii ; ut Sebastianus Episcopus S. Marthae secum retineat aliquot religiosos minores observantes : *Constantis* die xviii. Julii; ut Clemens Bentadossi Episcopus Neocastrensis, jam magister generalis minorum conventualium decem juvenibus magisterii gradus conferat : *Ut istius ordinis* die xiii. Octobris ; indulget ut moniales clarissae de Hierusalem dioecesis Caesaraugustanae recitent officium S. Margaritae V. et M. *Exponi nobis* die xii. Januarii ; ut semel in anno Rosa de Caulet, uxor Stephani Durantis parlamenti Tolosani praesidis, ingrediatur in monasterium S. Cypriani ejusdem civitatis: *Piae consolationis* die viii. Februarii ; ut Aldonca Nina nobilis Toletana remanere possit in habitu regulari, quin professionem emittat, in monasterio discalceatarum de Cuerva ejusdem dioecesis : *Facit gratissimum* die xx. Aprilis ; ut praeter numerum assignatum recipiatur ad habitum regularem in monasterio S. Clarae de Spe Ulyssiponen. Isabella virgo ejusdem civitatis : *Exponi nobis* die xii. Maii ; ut Joanna Auquillara Mediolanensis ingredi possit in monasterium S. Barbarae ejusdem civitatis a suis fundatum, in triduo hebdomadae sanctae : *Eximio* die xvi. Maii ; ut Leonora de Velasco professa in monasterio S. Clarae de Medina de Pomar dioecesis Burgensis munus abbatissae gerat, non obstante defectu natalium : *Romani Pontificis* die vii. Julii ; ut Joannes de Zuniga comes de Miranda, quatuor filias educationis gratia immittat in monasterium S. Clarae oppidi de Penarada in provincia Conceptionis : *Cum sicut* die xxix Julii ; ut Hieronyma de Olivado professa in monasterio tertii ordinis Spiritus Sancti Civitatensis eat ad alterum monasterium S. Clarae Zimoren. *Cum sicut* die xxiii. Augusti ; ut, licet ex aetatis defectu, professionem emittat in monasterio Miraculorum Venetiis Remigia virgo : *Cum sicut* die xii. Decembris ; ut Maria de Attaide comitissa de Vidiguera vidua, permanere possit cum duabus ancillis in monasterio B. Mariae de Castanheira dioecesis Ulyssiponen. *Permittimus* die xxx. Octobris ; ut Aloisia de Abula professa in monasterio Conceptionis oppidi de Oropesa Abulensis dioecesis una simul cum alia sorore se conferat ad regimen monasterii Placentin. sub cura fratrum Praedicatorum : *Ex injuncto* vi. calendas Aprilis ; ut Isabella de Aragona professa in monasterio de Pietate oppidi de Guadalajara Toletan. dioecesis ordinis S. Clarae se transferat pro salubri directione in alterum ejusdem oppidi B. Mariae de Remedio ordinis eremitarum S. Hieronymi : *Cum sicut* die xxv. Junii ; ut moniales capucinae e monasterio Mediolanen. Perusium redeant, ac secum transferant aliquot SS. reliquias : *Pro parte*

die xiv. Julii; ut Anna de Aragon et Gusman, ducissa de Frias, ingrediatur in monasterium Conceptionistarum oppidi de Berlanga dioecesis Segontin. in triduo hebdomadae sanctae: *Meretur* die xxiv. Julii.

Ex monumentis provinciarum. LXXXVI. Quaedam altaria privilegiata declarat Summus Pontifex: altare Conceptionis in Ecclesia observantium oppidi de Ispruch dioecesis Brixinen. precibus Ferdinandi archiducis Austriae: *Omnium saluti* calendis Junii; altare transfigurationis Domini in Ecclesia S. Francisci ejusdem ordinis Vilnae, exorante Georgio Cardinali Vilnen. *Omnium saluti* iv. idus Julii; altare dolorum B. Mariae Virginis in Ecclesia S. Annae Varsaviae: *Omnium saluti* x. calend. Augusti; altare a guardiano loci eligendum in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani discalceatorum Mexici, postulante Philippo II. Hispaniarum rege: *De omnium salute* iii. calendas Novembris.

LXXXVII. Largitur indulgentiam plenariam in die Annuntiationis B. Mariae Virginis in Ecclesia S. Francisci conventualium oppidi Rocchae Contratae Senogallien dioecesis: *Ad augendam* die x. Maii; in die S. Joannis Evangelistae ad decem annos in Ecclesia monialium S. Barbarae Mediolanen. *Ad augendam* die xvi. Junii; in die cinerum, prima Maii, et in tribus diebus Pentecosten in Ecclesia S. Francisci Ulyssiponen. *Ad augendam* die xxvii. Aprilis; in die prima Maii in Ecclesia observantium terrae S. Boni Theatin. dioecesis: *Ad augendam* die xxvi. Martii; in die Immaculatae Conceptionis Deiparae in Ecclesiis totius ordinis Seraphici: *Expositum nobis* die xxviii. Octobris; Margaritae a Sabaudia comitissae a Lynejo precibus, idem Pontifex impertitur omnibus chrisfidelibus indulgentiam plenariam perpetuam visitantibus Ecclesiam capucinorum Lynei dioecesis Tullensis in dominica Palmarum, in Assumptione B. Mariae Virginis, ac ad pulsum campanae ejusdem Ecclesiae vespertinum, salutationem angelicam flexis genibus recitantibus xl. annos, ac totidem quadragenas etc. *Salvator noster* die ix. Octobris; in die S. Sebastiani in Ecclesia capucinorum Apiri dioecesis Camerinen. *Cum sicut* die xii. Novembris. Conventus hujus oppidi perfectionis culmen accepit anno insequenti.

LXXXVIII. Institutam chordigerorum archiconfraternitatem etiam ad alias ordinis Ecclesias hoc anno extendit Summus Pontifex: *Divinae charitatis* nonis Maii. Cum autem in hac constitutione generalis fratrum minorum conventualium nuncupatus sit generalis minister, ideo ipsi fratres vulgarunt, Sixtum mox edito diplomate, generalibus ac provincialibus ejusdem ordinis ministrorum titulum detulisse. At in primis sciendum in eo haud factam fuisse revocationem Bullae Leonis X. *Omnipotens* pridie idus Junii anno mdxvii; neque concordiae inter ministrum generalem totius ordinis fratrum minorum, et magistrum generalem fratrum conventualium initae eodem anno die viii. Julii, in quibus sancitum est, ut futuris temporibus generalis conventualium, magister, generalis vero observantium totius ordinis fratrum minorum minister vocaretur. Fatendum igitur est ex abbreviatorum mendo ministri titulum collatum fuisse supremo moderatori fratrum conventualium. Interim accedit, eumdem Pontificem rata voluisse anno insequenti: *Etsi mendicantium* die iii. Octobris omnia suorum decessorum statuta ac indulta fratribus minoribus de observantia collata, nulla habita revocatione laudatae Bullae, ac concordiae sub Leone X. editae. Ceterum hac in re desideratur aliquod Summi Pontificis de-

cretum, quo ministri generalis titulus eis fuerit denuo restitutus. *Nullibi tamen*, ita p. Dominicus de Gubernatis, *apparet, quod mihi alias sincere confiteri non est veritus ipsemet p. Franchinus procurator generalis* (anno MDCLXXX.) *ordinis sui, dum ipsum privilegium, si extaret, in meo de conventualibus tractatu inserendum ex mutuae benevolentiae confidentia postulavi; et si de novo producatur* (ita et ego ingenue fateor) *memet exhibeo ad haec corrigenda paratissimum*. Quae cum ita sint, miramur sane Franciscum Antonium Benoffi in compendio suae historiae minoriticae, ut imperitis fucum faceret, scripsisse: *è da osservarsi che nel diploma*, (Divinae charitatis) *il quale non sarà mai dimenticato dai padri Osservanti, volle* (Pontifex) *che il superiore dei conventuali fosse nominato minister generalis, come prima di Leone X.* Haec tamen non ad partium studium fovendum, sed ad historiae seraphicae integritatem aperiendam unice explevi.

Orbis Seraphicus t. 2. pag. 215.

Benoffi pag. 274.

LXXXIX. Erigit in archiconfraternitatem sodalitium SS. XII. Apostolorum institutum in Ecclesia ejusdem nominis minorum conventualium de Urbe: *Praeclara* die XV. Julii: concedit annuum reditum archiconfraternitati B. Mariae Gonfalonis de Urbe cum facultate ubique colligendi eleemosynam pro christifidelium redemptione: *Cum ad benigna* die XII. Martii; statuit jurisdictionem protectoris et judicis hujusmodi archiconfraternitatis: *Cum sicut* die XIX. Augusti.

XC. Ardens pietatis studium serenissimae reginae Poloniae Annae Stephani Barthorei regis uxor erga S. Annae matris genetricis Dei Mariae effecit, ut in Ecclesia minorum observantium Varsaviae erigeretur confraternitas, S. Annae titulo. Ut autem spiritualibus gratiis et favoribus ditaretur, Georgius Radzyivillus S. R. Ecclesiae Cardinalis, et Episcopus Varsavien. et Joannes Demetrius Solikowski archiepiscopus Leopoliensis apud Pontificem egerunt, ut de novo erecta sodalitas apostolicae confirmationis robore stabiliretur. Piis conatibus non defuit Pontifex edito breve: *Ex incumbenti* VIII. calendas Octobris. In quo quidem diplomate Sanctitas Sua inter caetera Ecclesiae Varsaviensis fratrum minorum de observantia praeconis illud quoque tribuit, quod ibidem adservetur B. Ladislai corpus, cujus intercessione Deus mirabilia in dies operatur.

Monum. mss. provinciae.

ARGUMENTUM

Mira hoc anno operatur Sixtus in exornanda Urbe et in consulendis pauperum necessitatibus. Vulgat versionem latinam LXX. Interpretum. Creat S. R. Ecclesiae Cardinales. Decedit S. Felix a Cantalicio capucinus, cujus acta notantur, et alii quamplurimi ex eadem familia beate obeunt. Provinciarum specimen totius ordinis fratrum minorum de observantia, discalceatorum, reformatorum, ac monialium exhibetur. Viri docti inclarent. Capucini, conventuales, et observantes habent generale comitium. Pro minoribus conventualibus excitantur coenobia. Confirmatur congregatio fratrum reformatorum conventualium. Martyres, confessores, ac virgines occumbunt. SS. Felicis et sociorum Mm. corpora detecta in Ecclesia S. Francisci Spalati. B. Jacobi a Bitecto vita describitur. Elevantur ossa B. Jacobi de Oldo tertiarii. Quaedam prodigia B. Ladislai, et B. Seraphinae de Pisauro recensentur. Eliguntur Episcopi, et commissarii in provincias amandantur. Aliqua jubet, et indulget Summus Pontifex.

I. Sixti Pontificis munificentia item hoc anno in Urbe catholicorum principe vulgata fuit, elato in acclivitate Montis Esquilini prope Basilicam Liberianam septentrionem versus obelisco. Hic unus ex duobus a Smarre et Efre Aegypti regibus confectis, a Claudio Imperatore Romam translatus fuit, et positus in mansoleo Augusti magnificentissime instructo in valle Martia, in cujus summitate extabat ex aere Caesaris Augusti simulacrum. Sub ruderibus in via publica ante Ecclesiam S. Rochi in quatuor frustra diffractus, e quibus Sixtus extraxit, latebat. Ejus a terra ad crucem altitudo centum duobus est palmis. Architecti Fontana studio quamcelerrime erectus fuit. In eo haec verba, ipsomet Sixto auctore, incisa leguntur.

Ciaconius ibid. column. 117.

Zoega p. 696.

In parte meridionali

CHRISTVS
PER INVICTAM
CRVCEM
POPVLO PACEM
PRAEBEAT
QVI
AVGVSTI PACE
IN PRAESEPE NASCI
VOLVIT.

Orientem versus

CHRISTI DEI
IN AETERNVM VIVENTIS
CVNABVLA
LAETISSIME COLO
QVI MORTVI
SEPVLCHRO AVGVSTI
TRISTIS
SERVIEBAM.

Boream versus

CHRISTVM DOMINVM
QVEM AVGVSTVS
DE VIRGINE
NASCITVRVM
VIVENS ADORAVIT
SEQ. DEINCEPS
DOMINVM
DICI VETVIT
ADORO.

Ex parte occidentali

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM
AEGYPTO ADVECTVM
AVGVSTO
IN EIVS MAVSOLEO
DICATVM
EVERSVM DEINDE ET
IN PLVRES CONFRACTVM
PARTES
IN VIA AD S. ROCHVM
IACENTEM
IN PRISTINAM FACIEM
RESTITVTVM
SALVTIFERAE CRVCI
FELICIVS
HIC ERIGI IVSSIT AN. D.
M. D. LXXXVII. PONT. III.

II. Ornatissimam aedem sacelli ad Praesepe Domini, quam magnis sumptibus jam compleverat, hoc anno dato diplomate: *Gloriosae* v. idus Junii, amplo censu ditavit, constitutis proposito, quatuor cappellanis, totidemque clericis, qui Deo in divinis rebus inservirent. In interiori ejus fornice haec leguntur: SIXTVS QVINTVS PONTIFEX MAX. IESV CHRISTO DEI FILIO DE VIRGINE NATO.

III. Cum autem Romae haud modica pauperum mendicantium copia esset, eaque stipem quaerente, importunitate vocum in Basilicis dum sacra fiebant, sacerdotes ac christifideles admodum interturbarentur, per id hominum genus hospitium paravit Pontifex ad Pontem Sixtum in via Julia, ubi commode inhabitarent, et pie ad virtutis usum, more christiano, ac disciplinam instruerentur, constitutione lata: *Quamvis infirma* idibus Maii. In hujus aedificii fronte hoc prostrat monumentum. *Idem colum. 124.*

SIXTUS V. PONT. MAX.
PICENVS
PAVPERIBVS PIE ALENDIS
NE PANE VERBOQ. CARRANT
MVLTO SVO COEMPTAS AERE
HAS AEDES EXTRVXIT
APTAVIT AMPLIAVIT
PERPETVO CENSV DOTAVIT
A. D. MDLXXXVII. PONT. II.

Anno Christi 1587.	Sixti V. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 11.	Religionis Minorum anno 380.

Tempesti lib. 18. num. 23. p. 288.
Idem lib. 2. num. 3. pag. 24.

IV. Sodalitium de Pietate antea erectum in Urbe a Joanne Tagliere Societatis Jesu presbytero, ut pauperibus aere alieno gravatis, carceribusque detentis consuleretur, duorum millium nummorum onere pressum liberavit, censuque annuo aliorum duorum aureorum millium ditavit. In monasterio S. Clarae in regione S. Eustachii, quod Conservatorium Pium appellant, erecto pro pauperibus virginibus, vel nubendis, vel claustra petentibus, Ecclesiam eodem sub titulo aedificavit, et duorum millium aureorum debito gravatum sublevavit. Licet haec et alia praestiterit Sixtus, hoc tamen anno vulgata constitutione: *Anno superiore* viii. idus Novembris in pontificia S. Angeli arce decies centena nummum aureorum millia reposuit.

V. Ad conservanda interim antiquae pietatis ac religionis christianae monumenta animo intendit Pontifex. Cum enim quamplurima Templa in Urbe extarent, antiquitate ipsa veneranda, olim in titulos et diaconias assignata, quae tum diuturnitate et injuria temporum, tum antiquis direptionibus, incendiis, et ruinis ferme erant collapsa, ideo Pontifex maximis impensis ea instauravit, refecit, exornavitque, restitutis iis in Basilicis priscis titulis S. R. E. Cardinalium, aliisque in aliis Ecclesiis de novo erectis: *Religiosa* idibus Aprilis. Hoc eodem anno: *Cum in unaquaque* x. calendas Januarii solicite et occurrit immoderatis sumptibus, qui circa vestes, dotes, ornamenta, indumenta, et connubia ea in Urbe inoleverant, refractariis, nullo habito respectu gradus, conditionis, et praeminentiae, prepositis severissimis poenis.

VI. Absoluta a praestantissimo viro Antonio Carafa Cardinali ac Sanctae Sedis Apostolicae bibliothecario versione latina LXX. Interpretum, cui commissa fuerat a Pontifice, hoc eodem anno laudatus Cardinalis sequentem ei epistolam dedit editioni ipsae latinae praefixam.

SIXTO V. PONT. MAX.

Antonius Carafa Cardinalis S. Sedis Apostolicae Bibliothecarius.

Superiore anno sacrosancta LXX. Interpretum graeca Biblia ad vetustissimorum, probatissimorumque codicum fidem ab eruditissimis viris ad id munus delectis accurrate recognita, jussu Sanctitatis Vestrae in lucem prodierunt. Eodem nunc iisdem (quantum fieri potuit) verbis, quibus usi sunt latini Patres auctoritate S. V. latine reddita, et Flaminii nobilis viri utriusque linguae peritia, multiplicique eruditione excellentis notationibus illustrata sub felicissimo ejusdem S. V. nomine emittuntur, eo videlicet consilio, ut perpetuo testatum sit, cujus providentia utraque interpretatio graecis aeque ac latinis prompta tandem fuerit, et cujus beneficio Sacrarum Litterarum studiosi tanto bono perfruantur. Etenim spero fore, ut inter coeteras eximias S. V. virtutes, excelsam illam nullis difficultatibus retardatam animi magnitudinem tum ad maxima quaeque pro utilitate Ecclesia capessenda, tum ad sacras potissimum litteras, quibus plane vivimus, illustrandas (quarum sane gratia nuper magnificentissimam, et omnibus ad optimos libros imprimendos adjumentis ornatissimam in Vaticanis aedibus instituit typographiam) non aetas tantum nostra, sed omnis etiam posteritas maximis semper laudibus prosequatur;

tum vero Sanctitati Vestrae gratiam immortalem habeat, quod ejus nutu atque imperio praeclara Sanctorum Patrum monumenta longe facilius fructuosiusque intelligi, tractarique jam possint. Quod quidem ad ipsorumet Patrum gloriam amplificandam, ad ornandam ecclesiam, ad animas Dei verbo nutriendas, ed ad Jesu Christi nomen propagandum mirifice valet. Tali igitur spe tantopere delector, ut qui nihil unquam facio libentius, quam ut Sanctitati Vestrae omnibus in rebus inserviam; in hac equidem re praecipuo ab ipsa beneficio me affectum putem, quae non indignum me existimarit, cui ejusmodi provinciam committeret. Deum immortalem supplex oro, ut ad Ecclesiae amplificationem, et magna quae Sanctitas Vestra in dies facit, et majora quae cogitat, suo Sancto Spiritu secundet.

VII. Acceptis his litteris, indulsit Pontifex: *Cum dilectus* die IX. Maii, ut opus typis Vaticanis ederetur, studio Georgii de Ferrariis bibliopolae Cremonensis, civisque romani, quod absolutum fuit anno insequenti, hoc apposito titulo: *Vetus Testamentum secundum LXX. Interpretum latine redditum, et ex auctoritate Sixti V. Pont. Max. editum Romae* MDLXXXVIII.

VIII. Truculentissimam Mariae Stuartae Reginae Scotiae mortem die XVIII. Februarii inflictam ab Elisabeth Angliae Regina, quum modis omnibus adhibitis revocare haud valuisset, et necem duorum millium catholicorum militum in pugna Cutracensi ab haereticis Hugonottis Galliae, rege Navariae duce iulatam, deflevit Pontifex. At vero nihil studii ad religionem catholicam tutandam remittens, Varsaviam amandavit Hannibalem a Capua archiepiscopum Neapolitanum legatum suum, ut ibidem apud electores aliorumque principum oratores ageret pro novo deligendo rege in locum Stephani Barthorei anno transacto defuncti, cui avita fides cordi foret defendenda; quod et evenit, Poloniae rege inaugurato Sigismundo hujus nominis III., Joannis III. Sueciae filio, catholicae religionis studiosissimo. Pontificis mandato Octavius Frangipani Episcopus Calatinus Coloniae nuncius, Lovanium se contulit, ut aliquorum theologorum illius academiae petulantiam retunderet, qui Michaelis Baii doctrinam sequuti, Christi fidem impune maculabant.

Spondanus ad an. 1587. num. 1. et seq.

Tempesti lib. 20. num. 4. p. 516.

Spondanus ibidem num. 9.

Fleury ad hunc ann. num. 26.

IX. Praestantissimos viros hoc anno cooptavit Sixtus inter Purpuratos Ecclesiae Patres. Primus sese offert Guilielmus Alanus Anglus VII. idus Augusti electus, de fide catholica optime meritus, qui extorris a patria multa collegia Anglis ob religionem exulibus instruxit, doctrinamque orthodoxam scriptis doctissimis propugnavit; die XVIII. Decembris Scipio Gonzaga Mantuanus, Patriarcha Hierosolymitanus, vitae integritate, litterarum peritia, rerum usu atque elegantia singulari non minus, quam sanguinis nobilitate conspicuus; eadem die Antonius Maria Saulinus, nobilis Genuensis, jam urbis suae archiepiscopus; item Joannes Evangelista Pallotta Picenus, Calderolae in dioecesi Camerinensi natus, paullo ante Archiepiscopus Consentinus electus; Petrus Gondius comes Juniacensis, Lingonum primo, tum Parisiorum Episcopus; Stephanus Bonuccius Tuscus olim Tridentini concilii theologus, et instituti servorum B. Mariae Virginis supremus moderator, Alatrensis primo, deinde Aretinen. episcopus; Joannes de Mendoca Hispanus, nobili prosapia genitus, Toletanae Ecclesiae canonicus, et Talaverae archidiaconus; Hugo Verdala de Lonbeux

Ciaconius colum. 172.

Idem colum. 176. et seq.

Narbonensis, ordinis S. Joannis Hierosolymitani magnus magister; Federicus Borromaeus Mediolanensis, S. Caroli Borromaei nepos, virtutumque ipsius emulator eximius, inde Mediolani Archiepiscopus.

X. Vulgatis constitutionibus: *Cathedram militantis* nonis Octobris, et: *Inter caetera* xv. calendas Decembris, Bononiae pro Piceni agri, nimirum Montis Alti, Parculae, Patrignoni, Montis Novem, de Monte Alto a patria sua nuncupatum, collegium adolescentibus erexit ac dotavit, collatis privilegiis et exemptionibus. In illo de tanto Pontifice haec est memoria.

SIXTVS V. PONT. MAX.
AD PROVINCIAE ALTRICIS SVAE VSVM PATRIAE DECVS ET ACADEMIAE
BONON. ORNATVM
COLLEGIVM HOC MONTIS ALTI
IN QVO DELECTI AB EIVS VRBIS COMMVNI EX AGRO PICENO ADOLESCENTES
AD PIETATEM ET BONAS ARTES INSTRVANTVR INSTITVIT
ANNVO CENSV STABILIVIT
DECRETIS AMPLISSIMIS COMMVNIVIT
HENRICO CARDINALI CAETANO LEGATO
ANNO D. MDLXXXVII.
PONTIFIC. III.

XI. Camertes publicis impensis erexerunt hoc anno in foro cathedralis Ecclesiae aeneum simulacrum Sixti Pontificis, ut perenne extaret monumentum Mariannae Pierbenedetti Camerini ortae, ac ejusdem Pontificis pientissimae matris. Haec in eo obviant.

SIXTO V. PONT. MAX.
CAMERTES
VNDE MATERNAM ORIGINEM
DVXIT
IVRE OPTIMO POSVERVNT
PONT. AN. II.
M.D.LXXXVII.

XII. Singula egregia Sixti facinora, quae nos per summa capita hucusque descripsimus, complexus est pulcherrimo carmine eucharistico Guilielmus Blanc Junior Albiensis J. E. Romae hoc anno edito.

XIII. Nondum ad superos evolaverat Felix de Cantalicio capucinus, Sixto Pontifici familiaris « sed jam, ita Benedictus XIV. novissimum vitae » suae tempus instare . . . . agnovit: quo quidem splendidiora sunt, » quae ipse edidit, exempla virtutum ac signa sanctitatis. Obitum enim » suum ante praescitum, jam jam futurum his praenuntiavit: et in aedibus Olgiatorum, cum se non amplius ad petendas eleemosynas illuc » accessurum dixit; et in aedibus pariter Caesarinorum, ubi datis praeter » morem ad osculandum manibus, se quantocius hanc vitam relicturum » illosque praesentiae suae copiam haud iterum habituros, adstantibus » quamplurimis auditus est affirmare. Et sane non diu post lethali morbo » vexatus decubuit. Quapropter sanctae obedientiae virtute, ut iis uteretur commodis, quae fratribus infirmis permittuntur, superiores praeceperunt. Ipse vero, quamdiu per vires licuit, e lectulo surgens ad » ecclesiam Deum oraturus convolabat; donec id quoque eadem obedien-

Benedict. XIV. de Serv. Dei beatif. et Beat. canonizat. t. 1. app. 3. p. 324.

» tiae lege ipsi interdictum fuit. Denique novissimo mortis agone singu-
» lari constantia tolerato, ecclesiae sacramenta, ut petiit, summo pietatis
» ac religionis fervore suscepit; visaque coelorum Regina angelicis choris
» comitata, extremum vitae spiritum suaviter exhalavit.

XIV. » Sic igitur, exactis inter fratres capucinos annis fere quatuor
» et quadraginta, B. Felix die xviii. Maii an. mdlxxxvii. plenus dierum
» et meritorum ex hac laboriosa vita ad aeternae quietis stationem mi-
» gravit. Ita vero sanctitatis ejus fama, dum inter vivos ageret, longe
» lateque percrebuerat, ut statim ac illius obitus innotuit, innumera ro-
» mani populi multitudo ad ecclesiam divi Bonaventurae turmatim ac-
» currens, nonnisi difficillime Beati cadaver ad templum e coenobio tran-
» sferendum permiserit ».

XV. » At medis in ecclesia locato tandem corpore, sensim longe fre-
» quentior invaluit concursus. Osculari pedes, discindere vestes, capillos,
» pilosque e mento, ac capite certatim divellere pia turba satagebat. Quare
» cadaver e medio sublatum, intra arae majoris cancellos, atque ut a
» singulis commode conspici posset, eminentiori situ locare necesse fuit.
» Quo in loco Marianus Perbenedictus Urbis Gubernator prudenti consilio
» curiae ministros adstare jussit. Verum populi fervor in aediculam quam
» B. Felix, dum viveret, incoluerat, summa vi irrumpens, quidquid
» in ea reperit, tamquam pietatis monumentum abstulit, distraxitque.

XVI. » Interea Cardinalis Sanctae Severinae ordinis capucinorum eo tem-
» pore protector, praeter morem a fratribus hacteaus servatum, plum-
» beam propriis expensis arcam faciendam, atque in ea positum B. Fe-
» licis corpus in coemeterio, quod erat fratrum sepulturae destinatum,
» sepeliendum curavit. Cum vero in dies frequentior devotus populus ad
» coemeterium ventitaret, sive B. Felicis intercessionem divinam opem
» imploraturus, sive pro acceptis beneficiis Deo gratias acturus, pretio-
» sum corpus e coemeterio in templum transferre, atque in dextera parte
» sacelli Jesu Christo Crucifixo dicati, Cardinalibus Sanctae Severinae or-
» dinis protectore, ac Rusticuccio Sanctissimi Domini Papae Vicario prae-
» sentibus, sepulturae mandare visum est opportunum ».

XVII. » Tantum vero abfuit, ut inde populorum concursus deferbue-
» rit, ut valentiores postea vires (Deus enim hujus servi sui precibus
» quamplurima miraculorum dona impartiri dignabatur) per tempus ac-
» quisierit. Porro Sixtus V. Pontifex Maximus, cujus auctoritate corporis
» translatio e coemeterio ad ecclesiam peracta creditur, duodecim comi-
» tantibus S. R. E. Cardinalibus, postquam Eucharistiae sacramentum
» in ecclesia patrum capucinorum adoravit, sacellum SS. Crucifixi, ac
» B. Felicis sepulchrum genuflexus invisit ejusque precibus sese commen-
» davit. Idem praestitit Gregorius XV. qui singulares a Deo gratias hu-
» jusce servi Dei intercessione testatus est accepisse. B. Felicis imaginem
» Paulus V. imprimi permisit, addita epigraphe, quae illius sanctitatem
» indicaret »

XVIII. » Porro cum multos super virtutibus et miraculis B. Felicis
» compilassent processus ordinarii simul, et apostolici delegati, contigit
» ut antequam de praedictis agendi locus datus fuisset, Urbani VIII. de-
» creta evulgarentur, quibus remotio, ac suspensio cultus praescribitur
» quorumcumque Dei servorum quos nondum Romana Sedes aut inter bea-

» tos, aut inter sanctos recensendos dixisset. Quare exorto dubio an » horum decretorum vigore B. Felici cultus denegandus esset, idem Pon» tifex Urbanus VIII. quod B. Felici pontificiae auctoritatis interventione » fuerat jam cultus exhibitus, eumdem cultum interrompi nec posse, nec » debere, minimeque hujusmodi casum legibus ab eo latis obnoxium esse » declaravit. Quamobrem ex more, qui tunc temporis obtinuerat, tri» bus antiquioribus Romanae Rotae Auditoribus Beatificationis, et Cano» nizationis B. Felicis causa est demandata, qui validitatem actorum, » virtutes in gradu heroico, et miracula, facta omnium praedictorum » relatione, approbaverunt ».

XIX. » Tum Sacra Rituum Congregatio, iisdem sedulo perpensis, de » virtutibus in gradu heroico, et de quatuor miraculis plene constare » pronunciavit, ac Summus Pontifex congregationis judicium confirmavit. » Fuerunt autem probata miracula quae sequuntur ».

XX. » Clarix Guarneria mulier romana, molestissimo pedum tumore, » tanta doloris vehementia, ut e lecto surgere minime posset, laborabat. » Tertius annus erat, ex quo vi morbi ita afflictabatur, ut viribus macie » pene consumptis, vix ipsi per lectulum sese movere concederetur. Ita» que post adhibita incassum pharmaca, B. Felicis opem expetitura ad » ecclesiam capucinorum advehitur; ibique inunctis a viro religioso ae» grotae pedibus oleo lampadis ad sepulchrum B. Felicis accensae, statim » et dolor, et tumor evanuit, ut incolumis domum repetere potuerit, » ac si nullo umquam morbo affecta fuisset ».

XXI. » Saulus item Tiburtinus capucini ordinis professor, romano in » coenobio degens, articulari morbo correptus (cujus tanta vis erat, ut » non solum ei motum, incessumque, verum etiam, ne manum ori » admovere posset, prohiberet) quadraginta dierum spatio miserum in » morem pene desperatus jacuerat. At B. Felicis implorato praesidio, » has sibi visus est audire voces: *meum pete sepulchrum*. Quare cum e » lecto surgere conanti morbi violentia impedimento esset, denuo B. Fe» licem oravit aegrotus. Praesens statim adfuit Beatus, mirisque irradiata » splendoribus cella, jussit, ut oleum e sua lampade sumptum acciperet, » efficax in eo adversus morbi violentiam praesidium habiturus. Credidit » dictis aegrotus, oleoque inunctus, statim convaluit pristinae sanitati » restitutus ».

XXII. » Dominicus Floronus ex agro Tiburtino oriundus, acuta, con» tinuaque febri divexatus, apoplexia, paralysi, aliisque hujusmodi sym» ptomatis supervenientibus, miserandum in modum jacebat aegrotus. » Et jam cancer latus ejus corrodere, tumor praeterea caput, ac quasi » totum corpus extendere coeperat: unde frustra omni medicorum ope » advocata, menses excurrerant quatuor, ex quo immobilis, veluti ca» daver, in proximo moriturus existimabatur. Uxor igitur Romam ac» cedens, in B. Felicis intercessione omni posita fiducia, eiusdem lam» padis oleum domum reversa attulit. Aegroti corpus unxit, et illico » omnem illam morborum congeriem abscessisse comperit, ac summa lae» titia maritum integram corporis sanitatem consecutum fuisse, mirata est ».

XXIII. » Puer annorum quatuor a variolis male habitus, oculorum » lumen penitus amiserat, ut nec quod ei comedendum porrigebatur agno» scere, nec nummorum valorem discernere, nec, nisi adhibito viae duce,

» incedere posset. Quapropter cum nulla medicamentorum subsidia pro- » futura viderent moestissimi parentes, uni Deo quem, B. Felice interce- » dente, quamplurima patrare miracula non ignorabant, filii sanitatem com- » mendandam putarunt. Inunctis igitur saepe laudatae lampadis oleo pueri » oculis ante Servi Dei sepulchrum, statim videndi usum filio restitutum » mirabiliter agnoverunt. ».

XXIV. » His itaque miraculis ac virtutibus luculenter probatis, Felix » beatorum fastis adscriptus est; nam Urbanus VIII. Pontifex Maximus » dato apostolico diplomate: *In specula* calendis Octobris anno MDCXXV. » ut Felix beati nomine insigniretur, atque ut officium ac missa in ejus » honorem quibusdam in locis celebrari possent, indulsit. Quod postea » ab ipsomet Pontifice: *Nuper nomine* die IX. Aprilis anno MDCXXVI. ad » singulas capucinorum ecclesias extensum fuit ».

XXV. » Jamque ab anno MDCXXX. B. Felicis nomen Romano Marty- » rologio fuit adscriptum ». Post annum MDCXXVIII. sacrae B. exuviae translatae fuerunt ab ecclesia S. Bonaventurae de Urbe ad novam titulo Immaculatae Conceptionis ejusdem urbis, ubi fratres capucini nunc degunt. » Ut vero a Beatificatione ad solemnem Canonizationem jure suo » pateret iter, novam Innocentius X. facultatem commisit. Unde con- » fectis denuo apostolica auctoritate processibus, eorumque expensa ac » probata validitate, perseverare et sanctitatis famam, et venerationem, » et cultum, et populorum erga B. Felicem devotionem, patres decla- » rarunt. Item praehabito S. R. Congregationis consilio, idem Innocen- » tius X. unum ex miraculis, quae post indultam Beatificationem super- » venerant, approbavit. Etenim Carolus a Tuderto laicus capucinus tu- » more quodam, eoque pertinaci afflictus sinistri poplitis liberum usum » taliter amiserat, ut nonnisi ligneis fulcris innixus, viam carpere posset. » Hic B. Felicis adjutorium expetens, ejusdem lampadis oleo poplitem un- » xit. Quo peracto, apparuit aegroto B. Felix, et die Purificationi B. » Mariae Virginis sacro se pristinae incolumitati restituendum fore prae- » dixit. Et sane ita accidit; nam eo ipso die convaluit, etsi die prae- » cedenti insanabilem Caroli morbum medici pronunciassent ».

XXVI. » Haec inter plurima selecta fuere miracula, relictis iis, quo- » rum non satis plena allata probatio. Demum aliis super caeteris mi- » raculis, quae patrata dicebantur, confectis processibus, generalique Ri- » tuum Congregatione coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente XI. » die XXXI. Januarii celebrata, aliud ex iis, quae post Beatificationem » contigerant, miraculum approbatum, instantanea nimirum Leopoldi » Francisci de Tozzis mirabilisque curatio. Hic siquidem adhuc puer in » peracutam, malignamque febrim inciderat, e pulmonum inflammatione » prognatam, cuius vi vehementissime perculsus, amissis motu ac lo- » quela, oculisque jam clausis, veluti mortuus existimabatur. Quare » hujus mater, B. Felicis auxilium ut imploraret, vix ad templum ca- » pucinorum processerat, cum illico puer ipse convaluit ».

XXVII. » Firmato igitur a Sanctitate Sua sacrae congregationis judicio, » alteroque indicto consessu, ac in eo proposito dubio: *an tuto deve- » niendum foret ad B. Felicis canonizationem*, Patres unanimes affirma- » runt. Sanctitas vero Sua, dilata ad tempus deliberatione, post suas, » aliorumque fusas ad Deum preces, coelestis adjutorii lumen enixe ex-

» petens Sacrae Congregationis secretario, ac Promotore Fidei coram se vocatis, die viii. Maii anni mdccix. decretum solemnia canonizationis B. Felicis pronuntiavit ».

Michael a Tugio in bullar. capucin. t. 1. pag. 145.

XXVIII. « Cum in causa *Beati Felicis* a Cantalicio, referente bon. mem. D. Cardinali Lenio, super dubiis virtutum et miraculorum a Sacror. Rituum Congregatione resolutiones prodierint die xxx. Augusti anni mdcxxv. constare de virtutibus in genere, et in specie, et die xiii. Septembris ejusdem anni de quatuor miraculis, et posse Beatum nuncupari necnon san. mem. Urbanus Papa VIII. de consilio tunc existentium S. Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, ut praefatus Felix a Cantalicio Beatus nuncupari posset, et valeret, per litteras apostolicas in forma brevis expeditas die prima Octobris dicti anni mdcxxv. benigne indulserit: hinc ad probandum non solum ea, quae postea evenerunt, verum etiam et quae praecesserunt praedictam beatificationem constructis pluribus processibus, nempe in regno Siciliae, in civitatibus Placentina provinciae Bononiensis, Salernitana, Civitatis Ducalis, et praecipue in Urbe coram Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali ejusdem Vicario, eisdemque auper dubio miraculorum diligenter examinatis ac discussis, san. mem. Innocentius Papa X. in congregatione generali pariter coram Sanctitate Sua habita die xxxi. Januarii mdccviii. primum in ordine, nempe instantaneae sanationis pueri Leopoldi Francisci de Tozzis a febri acuta et maligna cum pulmonis inflammatione approbarunt, et deinde ab Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Barberino in locum bon. mem. D. Cardinalis Colloredi defuncti relatore subrogato, juxta praescriptum decretorum generalium facta die xviii. mensis Martii mdccix. plena ac distincta relatione de omnibus, quae in processibus, ac aliis scripturis continentur, de sanctitatis fama, de heroicis hujus Beati virtutibus, miraculisque ab eo patratis, et de iis, quae post indultam venerationem evenerunt, ac proposito dubio: *An stantibus praemissis posset ad ejus solemnem canonizationem deveniri?* Sacra Congregatio posse, annuente Sanctissimo, juxta ritum S. R. Ecclesiae, et Sacrorum canonum dispositionem ad solemnem ejusdem Beati canonizationem quandocumque procedi, unanimi consensu declaravit. Verum ad implorandam divinam opem a Sanctitate Sua dilata resolutione, tandem, ut dicti Beati praesidio capucinorum ordo, qui eximiae illius virtutis fulgore coruscat, imminentibus praecipue generalibus comitiis, ejusdem proficiat exemplo, ac in caeteris omnibus religiosis ordinibus regularis observantiae, animarum zelus, Deique amor magis magisque augeatur, idem Sanctissimus D. N. Clemens Papa XI. enixe antea fusis, et indictis ad Deum precibus, Secretario et Vice-promotore fidei auditis, praesens canonizationis decretum expediri mandavit. Hac die viii. Maii mdccix. »

C. Car. Carpineus.

Locus ✠ Sigilli

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secret.

XXIX. Hanc B. Felicis canonizationem jam peractam a laudato Pontifice Clemente XI. Benedictus XIII. vulgavit hoc dato diplomate.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut quae Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tamen consequantur effectum. Recolendae memoriae antecessor noster Clemens Papa XI. ut frigescentem christianorum pietatem ad Domini cultum accenderet, servorum Dei exempla, qui virtutum magnitudine olim claruerant, in summo Romanae Ecclesiae candelabro lucentia, pro sua pastorali sollicitudine exponere statuit, Beatique Felicis a Cantalicio ordinis fratrum minorum B. Francisci, qui capucini appellantur, gestis omni praeconio memorandis, et signis quae Deus ob ejus merita ediderat, in examen vocatis, de illo Sanctorum fastis adscribendo provide cogitavit. Felix ineunte saeculo XVI. *circa annum Christi Domini* MDXIII. *in finibus Raetinorum humili loco natus, ab ipsa adolescentia futurae virtutis argumenta in dies animum ejus ad summum Dei cultum excitantia, manifestavit. Litterarum plane rudis, agrisque colendis deditus, ex sibi praelectis veterum patrum gestis, austerioris vitae, qua illi excelluerant, amore captus, institutum eorumdem fratrum minorum Beati Francisci, qui capucini appellantur, voto suo complendo aptissimum censuit, cui plurimo gaudio, in laicorum ordine nomen daturus, Romam ex patria sua Cantalicio profectus est. Hic religionem ingressus anno* MDXLIII. *toti Urbi per quadraginta et eo amplius annos summe christiana morum innocentia, et simplicitate, asperrimaeque poenitentiae et vitae genere se admirandum exhibuit. Rigidum sui ordinis institutum per omnia observasse nequaquam contentus, plurima alia ultro sibi servanda pro Dei amore quo flagrabat, diu noctuque proposuit. Conscientiae viri Dei moderatores, dominici corporis sumptionem ter illi singulis hebdomadis peragere solito, per totos quindecim ante dormitionem annos, ob ejus ardentissimum charitatis fervorem, quotidianam divinae mensae perceptionem concedere, sanctum existimarunt; ad quam sine uberrimo lacrymarum imbre numquam accessit. Lasso corpori nullam requiem indulsit, illud jejuniis praeter suam regulam, supraque communem usum sibi praescriptis, durisque flagellis castigans, nudis pedibus per Urbem eleemosynas pro fratribus reficiendis quotidie corrogaturus, incedere; ferreis quoque annulis ad lumbos praecinctus celebriores Urbis Basilicas obire consuevit; palam etiam visus cum B. confessore Philippo Nerio sui contemptu et humilitate certare. Vitae suae termino semel atque iterum praenunciato, visaque inter coelitum choros Deipara Virgine, plenus dierum et meritorum in coenobio ad radices Quirinalis sancte, suaviterque spiritum Deo reddidit* XV. *calendas Junias anni* MDLXXXVII. *tota Urbe ad servi Dei cadaver in sacra aede expositum confluente, per ejus preces divinam opem imploratura, vel ob jam acceptam per ejus merita, Deo grates actura. Ipsi quoque sanctae mem.* Idem ibidem pag. 164.

antecessores nostri Romani Pontifices Sixtus V. et Gregorius XV. ut Beati viri precibus se apud Deum commendarent, ad ejus sepulchrum invisendum palam accedere visi sunt. Tantae sanctitatis fama Dei nutu in dies magis prodeunte, piae recordat. antecessor noster Urbanus Papa VIII. qui novam disciplinam ob Dei servos in Beatorum et Sanctorum canonem referendos veteri addiderat, B. Felicem novae subesse noluit, ejusque virtutes ad receptam sanctionum apostolicarum normam cum miraculis, ob ejus invocationem patefactis, rite probavit, servique Dei nomen in sacras tabulas Martyrologii Romani pontificio diplomate relatum est, missa pariter et officio in Felicis honorem celebrari permissis. Postmodum per alios felicis mem. Romanos Pontifices antecessores nostros Innocentium X. et Clementem XI. novis miraculis, quae post Felicem Beatorum numero adscriptum, contigerant, comprobatis, idem Papa Clemens Beatum virum in Sanctorum canonem, statuta die referendum, apostolica auctoritate pronunciavit. Quare universis, quae ex S. R. C. constitutionibus, ritibus, canonibus, et decretis, in B. Felicis virtutum et miraculorum examine, et approbatione agenda erant, sancte peractis, idem Clemens magnae solemnitatis diem dominicam SS. Trinitatis sacram, xi. calendas Junias anni Dominicae Incarnationis MDCCXII. *sui Pontificatus* XII. *tanto actui et caeremoniae perficiendiae futuram esse voluit: quem actum, omnium maxime solemnem, regum et Principum obsecrationes ab Apostolica Sede obsequentissime tanto antea poposcerant. Itaque Clemens praestita die in sanctam BB. Petri et Pauli Basilicam magno apparatu et celebritate processit: ubi in plenario S. R. E. Cardinalium Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum conventu, repetitis pro B. Felice in Sanctorum canonem referendo humillimis ad Deum precibus, et Paracliti Spiritus gratia enixe invocata, ad honorem SS. et Individuae Trinitatis, fideique et religionis catholicae amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, et Spiritus Sancti, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum, toto eodem conventu uno ore approbante et consentiente, beatae memoriae Felicem a Cantalicio, de cujus sanctitate, virtutumque christianarum, et signorum magnitudinem cumulate constiterat, una cum Confessore et Pontifice Pio Papa V.; Confessore non Pontifice Andrea Avellino, Virgineque non Martyre Catharina a Bononia, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum esse definivit; eumdem Felicem sanctorum confessorum canoni adscriptum deinceps ab universis christifidelibus, ut vere Sanctum, ubique colendum, honorandum, invocandumque decrevit; in ejus honorem sacras aedes, et altaria, ubi incruentum sacrificium Deo offeratur, construi et dicari; et quotannis* XV. *calendas Junias, quo die obdormivit in Domino, solemnem ejus memoriam, ut Sancti Confessoris, pie recoli posse sancivit. Denique gratiis Deo cum exultatione actis, quod sanctum confessorem Felicem cum caeteris jam memoratis in conspectu omnium gentium honorificari, et militantem Ecclesiam tam insigni gloria decorari voluisset, in ejusdem confessoris, et caeterorum laudem solemni oratione cantata, in ara maxima supra confessionem B. Petri Apostolorum Principis, una cum eorumdem Sanctorum commemoratione, Missae sacrificium celebravit, singulisque catholicis qui tantae caeremoniae intererant, plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem largitus est. Ne vero de hujusmodi solemni*

definitione, et sanctione apostolica, caeterisque praemissis, propterea quod de illis per eumdem Clementem, aut ejus successorem fel. mem. Innocentium XIII. praedecessores nostros litterae decretales conscriptae non fuerint, unquam possit inposterum quomodolibet haesitari; Nos qui utrique, disponente Domino, licet immeriti, in cathedram B. Petri successimus, volumus, et apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, definitio, adscriptio, relatio, concessio, caeteraque hactenus memorata, a jam dicta die XI. *calendas Junias anni* MDCCXII. *suum consequantur effectum, ac si de illis ab eodem Clemente revera litterae decretales eadem die conscriptae, et promulgatae fuissent, ut superius enarratur. Volumus etiam, ut praesentes litterae nostrae ad probandum decretum, sanctionem, et definitionem, adscriptionem, relationem, concessionem, caeteraque praemissa undequaque sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis, et solemnitatis adminiculum ad id amplius requiratur. Ceterum, quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus, ut eorumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contigeret. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXXIV. *pridie nonas Junias, Pontificatus nostri anno I.*

✠ *Ego* BENEDICTUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS

※
※ *Ego Franciscus Episcopus Praenestinus Cardinalis Barberinus.*
※
※ *Ego Petrus Episc. Sabinen. Card. Otthobonus S. R. E. Vice Cancel.*
※ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
※
※ *Ego Joseph tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.*
※
※ *Ego Thomas tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Rufus.*
※ *Ego Philippus Antonius tit. S. Caeciliae Presbyter Card. Gualterius.*
※
※
※
※ *Ego Hannibal tit. S. Clementis Presb. C. Albanus S. R. E. Camer.*
※ *Ego Ludovicus tit. S. Silvestri in Capite Presb. C. Picus de Mirandula.*
※ *Ego Joannes Antonius tit. S. Callixti Presbyter Card. de Via.*
※
※ *Ego Antonius Felix tit. S. Balbinae Presbyter Card. Zondadarius.*
※
※ *Ego P. Marcellinus tit. S. Jo. ante Port. Lat. Presb. C. Corradinus*
※
※

✠
✠ *Ego Melchior tit. S. Mariae Angelorum Presb. Card. de Polignac.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Bernardinus tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. Scottus.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus tit. SS. Nerei et Achilei Presb. Card. Spinula.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Georgius tit. S. Agnetis Presb. Cardinalis Spinula.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Ludovicus tit. S. Priscae Presb. Card. Belluga et Moncada.*
✠ *Ego Joseph tit. S. Susannae Presb. Card. Peregra de la Cerda.*
✠
✠ *Ego Joan. Bapt. tit. S. Steph. in Monte Coelio Presb. Card. Salernus.*
✠
✠ *Ego Alvarus tit. S. Bartholomaei in Insula Presb. Card. Cienfuegos.*
✠
✠ *Ego Joan. Bapt. tit. S. Matthaei in Merulana Presb. C. de Alteriis.*
✠ *Ego Vincentius tit. S. Onuphrii Presb. Card. Petra.*
✠ *Ego Prosper tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Marefuscus*
✠
✠ *Ego Nicolaus tit. S. Mariae in Domnica Presb. Card. Coscia.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Benedictus S. Mariae in Via Lata Diaconus Card. Pamphilius.*
✠ *Ego Joseph Renatus S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Imperialis.*
✠ *Ego Laurentius S. Agathae ad Montes Diaconus Card. de Alteriis.*
✠ *Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*
✠ *Ego Curtius S. Eustachii Diaconus Cardinalis Origus.*
✠ *Ego Fabius SS. Viti et Modesti Diaconus Card. de Abbatibus Oliverius.*
✠ *Ego Carolus S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. de Marinis.*
✠ *Ego Julius S. Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*
✠ *Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin Diaconus Card. Albanus.*
✠ *Ego Alexander S. Mariae de Scala Diaconus Card. Falconerius.*
✠
✠
✠
✠

XXX. Hoc eodem anno ad astra migrarunt et alii ex sacra capucinorum familia; in conventu Spoletano provinciae Umbriae dives coelestibus donis decessit Ambrosius a Civitate Ducali, jam illius provinciae vicarius, quam nudis pedibus lustrabat, suos subditos ad virtutes alliciens vitae austeritate, perfectione, ac zelo. Mulierem morti proximam, divina virtute ad pristinam sanitatem reduxit; in conventu Montis Ulmi provinciae Marchiae Petrus de Macerata sacerdos ac concionator, plnries recreatus praesentia S. Felicis a Cantalicio mox defuncti, S. P. Francisci, ac B. Mariae Virginis, a qua nuncium futurae suae mortis accepit. Dum in conventu Corinaldi degebat, quadam die habitu exutus, solisque femoralibus retentis, per oppidi plateam nudatos humeros diris verberibus flagellavit; in eadem provincia obiit Cherubinus a Pescaria item sacerdos et concionator, qui sua oratione impetravit a Deo annonam suorum sodalium in conventu Forosempronii; in provincia Bononiensi Thaddaeus Lucensis laicus, castimoniae virtute clarus; in provincia Mediolanensi Ruffinus Galleratensis laicus, vir sanctimonia, prophetiae spiritu, ac miraculis ditatus. Adhuc puer, ab adventante lupo perterritus, salutatione angelica recitata, eum repulit. Inter minores conventuales adscriptus antea fuerat; postea capucinorum habitu indutus, totius perfectionis viam alacriter arripuit. Orans tandem genuflexus, spiritum Deo reddidit; in provincia Etruriae Vincentius a Perusio laicus, abstinentia, austeritate, ac oratione clarus; in conventu Aletii provinciae Hydruntinae Thomas Aletinus sacerdos, regularis observantiae zelator eximius, et charitate erga pauperes effusus; obitus sui diem praenunciavit; item et Matthaeus Calaber sacerdos inculpatae vitae. Ante ejus mortem splendidus fulgor in ipsius cubiculo erumpere visus fuit; in conventu Tursi provinciae Lucaniae Ludovicus a Juvenacio, ex illustri Merulorum familia ortus, jam diffinitor generalis, ac in diversis provinciis vicarius provincialis. Adolescentiam transegit inter eximias castitatis, orationis, et abstinentiae virtutes. Inter capucinos adscriptus, ad omnia virtutum studia, praesertim voluntatis suae abnegationem paratus evasit. Saeculares nonnullos in ejus necem non semel conspirantes, verbis illis Psalmi xxvi. usus: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Dum appropriant super me nocentes, ut edant carnes meas; qui tribulant me inimici Dei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt*, ab iniquo scelere absterruit. In verbi Dei ministerio, solo pane et aqua, quibus crudas aliquando herbas addebat, vescebatur. Noctes insomnes in oratione transigebat, raptus et extases passus. Die quam praedixerat, sancte occubuit; Panormi diem extremum clausit Christophorus Panormitanus laicus, qui a conventualibus reformatis inter capucinos adscriptus, totius vitae suae tempore paupertatis, humilitatis, patientiae, obedientiae, ac charitatis semitam prosecutus est ita, ut caeteris esset virtutis exemplar. Puerum porrigine in capite laborantem oleo lampadis B. Mariae Virginis inunctum, incolumem reddidit, renatis extemplo capillis; in provincia Cataloniae Benedictus Valentinus Neapolitanus et Gregorius a Prato Regum sacerdotes, uterque commendati prae vitae integritate, oratione, ac regulari observantia.

Ambrosius a Civitate Ducali. *De Arembergh tom. 2. pag. 420.*

Petrus de Macerata. *Idem p. 388.*

Cherubinus a Pescaria. *Idem ibidem.*

Thaddaeus Lucensis. *Idem pag. 637.*

Ruffinus Galleratensis. *Idem pag. 630.*

Vincentius a Perusio. *Idem pag. 637.*

Thomas Aletinus. *Idem pag. 442.*

Matthaeus Calabar. *Idem ibidem.*

Ludovicus a Juvenacio. *Idem pag. 47.*

Christophorus Panormitanus. *Idem pag. 303.*

Benedictus Valentinus et Gregorius a Prato Regum. *Idem pag. 442.*

XXXI. Pro eisdem fratribus instruuntur conventus; in provincia Romana conventus in abbatia Sublaci Terracinensis dioecesis; in provincia

Ex catalogo Michaelis a Tugio, et ex Boverio

S. Francisci conventus in pago Canariae; in provincia Picena conventus in oppido Apiri Camerinensis dioecesis; in provincia Lombardiae conventus in civitate Buxeti dioecesis Burgi S. Sepulchri; In provinciae Mediolanensi conventus in pago Castrinovi Tortonensis dioecesis; in provincia Tusciae conventus in oppido Puppi dioecesis Aretinae, et conventus in oppido Radicophani Clusinae dioecesis; in provincia Basilicatae conventus in civitate Muri; in provincia Rhegiensi conventus in civitate Trium Tabernarum Cathacensis dioecesis; in provincia Consentiae conventus in oppido Sciliani dioecesis Martoronensis; in provincia Barensi conventus in oppido Spinae Aureae Venusinae dioecesis; in provincia Messanensi conventus in oppido Petraliae Messanae dioecesis; in provincia Helvetica conventus in oppido Abbatiscellae dioecesis Constantiensis; in provincia Flandro-Belgica conventus in civitate Bruxellae dioecesis Mechlinensis; in provincia Burgundiae conventus in civitate Dolae Bisuntinensis dioecesis; in provincia S. Ludovici conventus in oppido Salonae dioecesis Arelatensis; Bituricia etiam concessus fuit conventus extructus extra urbem, liberalitate viri cl. Jacobi Bochetel sacri consistorii consiliarii, ac Bernardini Bochetel Episcopi Nannatensis.

Ex Gallia Christiana tom. 2. pag. 102.

XXXII. Antequam totius ordinis praefecturam expleret Franciscus Gonzaga, typis Dominici Basae hoc anno Romae edidit opus, quod Sixto Pontifici nuncupavit, quatuor partibus distinctum, cuius titulus: *De origine seraphicae religionis franciscanae ejusque progressibus, de regulari observantiae institutione, forma administrationis, legibus, ejusque ordinis propagatione.* Opus illustratur pulcherrimis iconibus; adjecta est copia martyrum, confessorum, ac virginum in coelo regnantium, item fratrum numerus, qui vel Pontificia, vel Cardinalitia, vel Patriarchali, vel Episcopali dignitate, ac doctrina inclaruere.

XXXIII. Quoniam vero in eo notantur fratrum coenobia, et monialium monasteria, quae hoc aevo a supremis ejusdem Ordinis administris moderabantur, ideo, quibusdam emendatis, et additis per hoc signum (*), ea exscribimus ut uno velut intuitu seraphica minorum observantium, discalceatorum, reformatorum ac monialium familia quae ubique patet, omnibus innotescat.

CUSTODIAE TERRAE SANCTAE CONVENTUS.

XXXIV. 1. Montis Sion
2. S. Sepulchri
3. S. Praesepis Christi Bethlehem
4. Vallis Josaphat
5. S. Salvatoris Baruth
6. S. Mariae Perae prope Constantinopolim
Hospitium in Rama
(*) Hospitium in civitate Gazae

PROVINCIAE S. FRANCISCI CONVENTUS.

XXXV. 1. S. Mariae Angelorum prope Assisium
2. S. Damiani prope Assisium
3. Carceris S. Francisci in Monte Subasio
4. S. Francisci de Monte Perusiae
5. S. Hieronymi ibidem
6. S. Pauli } Spoleti
7. S. Francisci in Monte Luco } Spoleti
8. S. Francisci } Spoleti
9. S. Bartholomaei prope Fulgineum
10. S. Joannis Tiberni
11. S. Crucis Bonae Quietis ibid.
12. S. Mariae Magdalenae Biturgiae
13. S. Mariae de Gratiis Interamnae
14. SS. Annunciationis Nursiae
15. S. Mariae de Monte Sancto Tuderti
16. S. Martini Trevii
17. S. Mariae de Plano Narniae
18. S. Hieronymi ibidem
19. S. Joannis Baptistae Ameriae
20. SS. Annunciationis ibidem
21. S. Hieronymi Eugubii
22. SS. Crucifixi Citernae
23. S. Mariae de Pietate Sepis (Fratta)
24. S. Mariae de Gratiis Casciae
25. S. Bartholomaei prope Montem Floridum
26. S. Joan. Baptistae Nuceriae
27. SS. Annunciationis Gualdi
28. S. Antonii de Padua Betonii
29. S. Fortunati Montis Falci
30. S. Francisci Stronconii
31. S. Simeonis ibidem
32. S. Francisci prope Luniauum
33. S. Francisci prope Sumenum Lacum
34. S. Hieronymi Spolii
35. S. Catharinae ibidem
36. SS. Annunciationis Bevaniae
37. S. Bernardini ad Montem Francum
38. S. Mariae de Spineto
39. S. Angeli de Pantanellis
40. S. Mariae de Farneto
41. S. Bartholomaei prope Cibottolam
42. S. Angeli de Monte in Castro Plebia
43. S. Antonii Pacciani
44. S. Mariae de Scarzola
45. S. Antonii prope Pisciniaunm
46. S. Mariae de Monte Sancto Nursiae

XXXVI. Conventus custodiae reformatorum.
1. S. Francisci de Specu apud Castrum S. Urbani
2. S. Jacobi Tuderti
3. SS. Annuntiationis in Caesiensi deserto
4. Mariae de Auro Interamnae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Mariae Montis Lucis Perusiae
2. S. Antonii de Padua ibidem
3. S. Pontiani Spoleti
4. S. Mariae Transtiberinae Tipherni
5. Paradisi ibidem
6. S. Caeciliae ibidem
7. S. Luciae } Fulginei
8. S. Claudii } Fulginei
9. S. Agnetis } Fulginei
10. S. Annae } Fulginei
11. S. Catharinae Biturgiae
12. SS. Trinitatis Eugubii
13. S. Proculi Interamnae
14. S. Crucis Narniae
15. Montis Christi Tuderti
16. Pacis Nursiae
17. S. Clarae ibidem
18. Conceptionis Assisii
19. S. Andreae ibidem
20. S. Leonardi in Monte Falco
21. S. Catharinae Betonii
22. S. Clarae Castri Lugnani
23. (*) S. Catharinae in oppido S. Gemini

PROVINCIAE ROMANAE CONVENTUS.

XXXVII. 1. S. Mariae de Ara-coeli
2. S. Petri in Monte Aureo
3. S. Bartholomaei
} Romae
4. S. Mariae de Paradiso Viterbii
5. SS. Trinitatis apud Urbemveterem
6. S. Mariae Majoris Tiburis
7. S. Laurentii Velitris
8. S. Antonii de Padua in Monte Reatis
9. S. Francisci Praenestis
10. S. Francisci Corae
11. S. Martini Verularum
12. S. Francisci Sermonetae
13. S. Francisci Sublaci
14. S. Francisci Civitellae
15. S. Angeli Vallis Montonae
16. S. Mariae Palatioli
17. S. Francisci Palumbariae
18. S. Pauli Podii Donadei
19. S. Jacobi Podii Busconis
20. S. Mariae de Prato Campaniani.
21. S. Mariae Secundae Morlupi.
22. S. Mariae de Lilio Manleani
23. S. Bernardini Hortarum
24. S. Francisci Corneti
25. S. Francisci Canini
26. SS. Jacobi Apostoli et Christophori mart. in Insula Bisantina
27. S. Francisci Pitiliani
28. S. Petri Scansani
29. S. Rochi Farnesii
30. S. Mariae de Consolatione Caprarolae
31. S. Antonii Cisternae
32. S. Mariae Forestae Reatis
33. S. Silvestri Montis Soractis
34. S. Liberatae apud Sanctum Angelum
35. S. Mariae de Gratiis Scandriliae
36. (*) S. Joannis de Laterano Urbis

XXXVIII. Conventus custodiae reformatorum.
1. S. Francisci Transtyberim
2. S. Francisci Natiani
3. S. Antonii Patavini Arcis Antiquae
4. S. Francisci Fontis Columbae
5. S. Francisci Graecii
6. S. Mariae Gratiarum Ponticellorum.

MONASTERIA MONIALIUM.

1. SS. Cosmae et Damiani
2. S. Laurentii Panis Pernae
3. S. Silvestri in Capite
4. S. Apolloniae de Oliva
5. S. Margaritae de Scala
6. S. Jacobi Moractae
7. S. Bernardini
8. S. Crucis Montis Citorii
} Romae
9. S. Bernardini Viterbii
10. SS. Simonis et Judae ibidem
11. S. Michaelis Archangeli Tiburis
12. S. Elisabeth ibidem
13. S. Clarae Reatis
14. S. Clarae Urbisveteris
15. (*) S. Clarae Piperni.

PROVINCIAE MARCHIAE CONVENTUS.

XXXIX. 1. S. Francisci ad Altum Anconae
2. SS. Annuntiationis
3. S. Sabini
4. S. Georgii
} Asculi
5. S. Mariae Gratiarum Montis Brandonis
6. S. Francisci Ophidae
7. S. Mariae Magdal. Ripae Transonis
8. SS. Annuntiationis Firmi
9. S. Mariae de Jesu apud S. Lupidium

10. S. Mariae de Monte Civitatis Novae
11. S. Antonii de Padua Montis Sancti
12. S. Francisci Siroli
13. SS. Annuntiationis Auximi
14. S. Mariae de Varano Recineti
15. S. Francisci Murrovallium
16. Puritatis apud S. Justum
17. Dominae nostrae Montis Ulmi
18. S. Columbae Moleani
19. S. Francisci Massae
20. Dominae nostrae Serviliani
21. S. Mariae Montis Fortini
22. S. Mariae Amandulae
23. S. Mariae Gratiarum Gualdi Firmi
24. S. Liberati apud S. Liberatum
25. S. Mariae Magdalenae de Specu prope flumen Fiastrae
26. S. Francisci Colfani
27. B. Mariae Cessoloni apud Tolentinum
28. S. Mariae de Gratiis apud Sanctum Severinum
29. S. Francisci Camerini
30. S. Francisci Experimenti prope eamdem civitatem
31. S. Francisci Matilicae
32. S. Joannis ibidem
33. S. Mariae de Valle Fabriani
34. SS. Annuntiationis ibidem
35. S. Francisci Aesii
36. S. Jacobi Cinguli
37. S. Mariae Monticuli (Treja)
38. S. Crucis Maceratae
39. S. Mariae de Populo Montisbodii
40. S. Mariae de Gratiis Senogalliae
41. S. Francisci Corinaldi
42. S. Mariae de Misericordia Podii
43. S. Mariae Novae Fani
44. S. Joan. Baptistae Pisauri
45. S. Mariae de Scotaneto Montis Barochii
46. SS. Annuntiationis Forosempronii
47. S. Georgii Montis Rubii
48. S. Martini Rocchae Contrata
49. S. Mariae de Pace Sentini
50. S. Bernardini Urbini
51. S. Mariae S. Angeli in Vado
52. S. Francisci Montis Florentini
53. S. Mariae de Oliva Maciani
54. S. Antonii Montis Madii
55. (*) S. Francisci Castri Aemilii

XL. Conventus custodiae reformatorum.

1. S. Francisci Forani
2. S. Jacobi Eremitae Massacii
3. S. Jo.Bapt. de Saxo Montisfalconis
4. S. Joan.Baptistae Castri Durantii, sive Urbaniae.

MONASTERIA MONIALIUM

1. S. Mariae Novae Anconae
2. S. Margaritae Asculi
3. S. Francisci Ripae Transonis
4. S. Mariae de Gratiis Firmi
5. S. Stephani Recineti
6. S. Nicolai Auximi
7. Annuntiationis S. Severini
8. S. Clarae Camerini
9. S. Elisabeth ibidem
10. B. Mathiae Matilicae
11. S. Honufrii Fabriani
12. S. Bernardini Forosempronii
13. Corporis Christi Pisauri
14. S. Clarae Urbini
15. S. Bernardini S. Angeli in Vado
16. (*) S. Joan.Baptistae Montis Cassiani
17. (*) S. Clarae Montis Feretri

PROVINCIAE TUSCIAE CONVENTUS.

XLI. 1. S. Francisci Fesularum
2. S. Margaritae Cortonae
3. SS. Annuntiationis Columbarii
4. S. Bernardini Capriolae
5. S. Joannis Aretii
6. S. Luchesii prope Podium Bonitium
7. S. Laurentii Bibienae
8. S. Francisci Pistorii
9. S. Salvatoris Florentiae
10. Omnium Sanctorum ibidem
11. S. Francisci Montis Muri prope Scarlinum
12. S. Benedicti Navis
13. S. Crucis prope Pisas
14. S. Francisci Mugelli prope Scarpariam
15. S. Francisci Montis Carolis
16. S. Christophori Castellionis Aretini
17. Sacri Montis Alverniae
18. S. Francisci Carfaniani
19. S. Mariae de Gratiis prope Bargam
20. S. Francisci de Palco prope Pratum
21. S. Cerbonii extra Lucam
22. S. Francisci prope Citonium
23. S. Hieronymi prope Volaterram
24. S. Bernardini prope Massam
25. S. Bernardini prope Senam Longam
26. S. Francisci Lucae
27. S. Mariae prope Montem Politianum
28. S. Ludovici prope Pisciam
29. S. Francisci Sartiani
30. S. Francisci Massae
31. S. Vivaldi in Antrorotundo
32. Nativit. B. Virginis Grosseti
33. Assumpt. B. Virginis prope Empolim
34. S Michaelis prope Fesulas
35. S. Francisci propre Fivizanum
36. SS. Trinitatis apud S. Floram
37. S. Crucis prope S. Cassianum
38. S. Francisci Fluviani
39. S. Francisci prope Radicodolim
40. S. Mariae de Gratiis prope Petram Sanctam
41. S. Francisci Villae Francae
42. SS. Cosmae et Damiani Aximae
43. S. Mariae juxta Montopolim
44. S. Mariae a Cerbariolo
45. S. . . . Montis Cellonici
46. S. Francisci Pontis Sevae
47. S. Mariae de Saxo
48. S. Francisci Burgi Lucensis
49. S. Salvatoris Ilbensis Insulae
50. S. Petri in Balueo
51. S. Crucis Anglarii
52. (*) S. . . . Montis Alcinoi

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Volaterrae
2. S. Michaelis Lucae
3. S. Hieronymi Montis Politiani
4. S. Clarae Pisciae
5. S. Clarae Massae
6. S. Clarae prope Codipontem
7. S. Leonis Petrae Sanctae
8. S. Clarae Parochiae S. Stephani
9. S. Clarae } Florentiae
10. S. Georgii } Florentiae
11. S. Ursulae } Florentiae
12. S. . . Fulginei } Florentiae
13. S. Clarae Cortonae
14. S. Clarae ibidem
15. S. Clarae Aretii
16. S. Georgii Prati
17. S. Clarae Sartiani
18. S. Clarae Vallis Arni
19. S. Bernardini Castri Novi
20. S. Bernardini Bargae
21. S. Hieronymi Castillionis
22. S. Michaelis Archangeli Cianciani

PROVINCIAE BONONIAE CONVENTUS.

XLII. 1. S. Francisci Verucoli
2. S. Pauli de Monte Bononiae
3. S. Francisci Bobii
4. S. Spiritus Ferrariae
5. S. Mariae Gratiarum Arimini
6. S. Hieronymi Forolivii
7. SS. Annuntiationis Parmae
8. S. Angeli Cremonae
9. S. Spiritus Regii Lepidi
10. S. Hieronymi Faventiae
11. SS. Annuntiationis Caesenae
12. S. Nicolai Carpi
13. S. Bernardini Burgi Novi
14. S. Mariae Montis Oliveti Arquati
15. S. Franciaci Plebis
16. S. Francisci Mirandulae
17. SS. Annuntiationis Bononiae
18. S. Mariae de Angelis Buxeti
19. SS. Caeciliae et Margaritae Mutinae
20. S. Apollinaria Ravennae
21. S. Mariae de Gratiia Imolae
22. S. Francisci Cotiniolae
23. S. Mariae de Gratiis apud Catum Lauri
24. S. Francisci Vitelliani
25. S. Mariae de Campo Placentiae
26. S. Francisci Brexilli
27. S. Sebastiani Sabiniani
28. S. Rochi Meldulae
29. S. Mariae de Gratiis Montis Clericuli
30. S. Petri Centi
31. S. Lucae Cremonae
32. S. Mariae de Gratiia prope S. Secundum
33. S. Francisci Guastallae
34. (*) B. Mariae Sabioncelli

MONASTERIA MONIALIUM.

1. Corporis Christi Bononiae
2. S. Guilielmi Ferrariae
3. Corporis Christi ibidem
4. S. Bernardini ibidem
5. S. M. Magdalenae Placentiae
6. S. Bernardini Bononiae
7. S. Mariae de Gratiis Parmae
8. Corporis Christi Cremonae
9. Pacis ibidem
10. Corporia Christi Ravennae
11. Misericordiae Regii Lepidi
12. S. Mariae de Ripa Forolivii
13. Angelorum Arimini
14. S. Clarae Bobii
15. S. Clarae Carpi
16. S. Ludovici Mirandulae
17. S. Clarae Buxeti
18. (*)S. . . . . . . Imolae anno MDLXXXVII. constructum: *Cum sicut* die VII. Februarii

PROVINCIAE S. ANTONII VENETIARUM CONVENTUS.

XLIII. 1. S. Francisci de Vinea Venetiis
2. S. Francisci Patavii
3. S. Francisci Mantuae
4. S. Bernardini Veronae
5. S. Basilii apud Vicentiam
6. S. Francisci Utini
7. S. Job Venetiis
8. B. Mariae de Gratiis prope Mantuam
9. S. Mariae de Jesu Tarvisii
10. S. Mariae de Gratiis Arcaeruptae Veronae
11. S. Bernardini Tridenti
12. S. Spiritus Feltriae
13. S. Georgii Cividatis in Foro Julii
14. S. Francisci Fossae Clodiae
15. S. Joan. Baptistae Campi S. Petri
16. S. Francisci Scledi
17. S. Ursulae prope Patavium

18. S. Danielis Leonici
19. S. Ludovici Riperii
20. S. Petri Viminarii
21. S. Francisci iu deserto extra Venetias
22. S. Spiritus Mantnae
23. S. Crucis Cittadellae
24. S. Agnetis Portus Gruarii
25. S. Maria de Gratiis Archi
26. S. Antonii Liniaci
27. S. Sebastiani Marosticae
28. S. Mariae de Gratiis Plebis Sacci
29. S. Mariae de Gratiis Arzignani
30. S. Mariae de Gratiis Glemonae
31. S. Mariae de Gratiis Montagnanae
32. S. Mariae de Angelis Mothae
33. S. Mariae de Gratiis Coneliani
34. S. Mariae de Consolatione in oppido Atestini
35. S. Mariae de Gratiis Vallis Agni
36. S. Mariae Magdalenae Insulae Scalarum
37. S. Hieronymi Asilli
38. S. Mariae de Gratiis Colloniae
39. S. Pancratii Barbariani
40. S. Sebastiani ad S. Martinum ab Aggerre

MONASTERIA MONIALIUM.

1. Corporis Christi, sive S. Paulae Mantuae
2. S. Clarae Veronae
3. S. Bernardini Vicentiae
4. S. Clarae de Muriano } Venetiis
5. S. Francisci de Cruce } Venetiis
6. S. Clarae } Venetiis
7. S. Clarae Mantuae
8. S. Clarae Tarvisii
9. S. Mariae Majoris Venetiis
10. S. Bernardini Patavii
11. S. Luciae Mantuae
12. S. Mariae de Angelis Feltrii
13. S. Sepulchri Venetiis
14. S. Mariae de Miraculis ibidem
15. S. Elisabeth Mantuae
16. S. Francisci Vicentiae
17. S. Bernardini Utini
18. S. Mariae Leonici
19. SS. Trinitatis Tridenti

PROVINCIAE GENUAE CONVENTUS.

XLIV. 1. S. Mariae de Monte apud Genuam
2. SS. Annuntiationis ibidem
3. S. Mariae de Pace ibidem
4. S. Francisci Sarzanae
5. S. Francisci Spediae
6. SS. Annuntiationis Levanti
7. S. Francisci Moneliae
8. S. Francisci Clavaris
9. S. Francisci Rapalli
10. S. Mariae de Angelis Rechi
11. S. Antonii Pellii
12. S. Jacobi Savonae
13. S. Mariae de Angelis Vulturniae
14. S. Bernardini Albingae
15. S. Mariae de Angelis Alassi
16. SS. Annuntiationis ad Portum Mauritium
17. S. Mariae de Consolatione prope S. Romulum
18. Eremitorium S. Romuli
19. SS. Annuntiationis Intimelii
20. Observantiae Suspitelli
21. S. Thomae Taurini
22. S. Mariae Gratiarum Montis Regalis
23. S. Mariae de Angelis, sive S. Antonii de Cuneo
24. S. Mariae de Angelis Buscae
25. SS. Annuntiationis Fossani
26. S. Francisci Bennarii
27. S. Francisci Saviliani
28. S. Mariae de Angelis Pinaroli
29. SS. Annuntiationis Vigoniae
30. S. Mariae de Angelis Villae Novae
31. S. Georgii Cherii
32. S. Bernardini Clavasii
33. S. Mariae Gratiarum Crescentini

34. S. Bernardini Astae
35. S. Bernardini Salutiarum
36. SS. Annuntiationis Carmaniolae
37. S. Mariae de Angelis Casalis
38. S. Bernardini Tridini
39. S. Mauritii Conzani
40. S. Bernardini prope Montem Calvum
41. S. Bernardini Albae Pompejae
42. S. Mariae de Gratiis Niceae
43. S. Mariae de Jesu Montis Barrutii
44. S. Mariae Septebrii
45. S. Francisci Aquis
46. S. Francisci Charii
47. S. Jacobi, sive S. Bernardini Papiae
48. S. Crucis ibidem
49. S. Mariae de Campo Binaschi
50. S. Mariae de Angelis Durni
51. S. Mariae de Angelis Belgiojosi
52. S. Francisci Novarum
53. S. Mariae de Angelis Clastigii
54. S. Francisci Ripae
55. S. Mariae de Gratiis Vigueriae
56. S. Mariae de Pace Castrinovi
57. S. Bernardini Salarum
58. S. Pauli Basinianae
59. S. Bernardini Alexandriae
60. SS. Annuntiationis ibidem
61. SS. Annuntiationis Vezani
62. S. Mariae de Fonte Feliciani

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Pauli } Genuae
2. S. Nicolai } Genuae
3. S. Clarae } Genuae
4. S. Clarae Sarzanae
5. S. Clarae Clavaris
6. S. Clarae Savonae
7. S. Caloceri Albinganae
8. S. Clarae apud Portum Mauritium
9. S. Clarae apud Montem Regalem
10. S. Clarae Saviliani
11. S. Clarae Cunei
12. S. Clarae Salutiarum
13. S. Clarae Clavasii
14. S. Clarae Tridini
15. S. Clarae Casalis
16. S. Clarae Astae
17. S. Clarae Alexandriae
18. S. Clarae Novarii
19. S. Clarae Salis
20. S. Clarae Vigueriae
21. S. Clarae Clastigii
22. S. Clarae Papiae

PROVINCIAE MEDIOLANI CONVENTUS.

XLV. 1. S. Angeli Mediolani
2. S. Mariae de Pace ibidem
3. S. Crucis Comi
4. S. Nazarii Navariae
5. S. Mariae de Bethlehem Vercellarum
6. S. Francisci Laudae
7. S. Mariae de Gratiis Viglevani
8. S. Bernardini Hyporediae
9. S. Mariae de Gratiis Modoetiae
10. S. Jacobi Leuci
11. S. Bernardini Mortarii
12. SS. Annuntiationis Trivilii
13. S. Bernardini Palantiae
14. S. Angeli Legnani
15. SS. Annuntiationis Varisii
16. SS. Annuntiationis Abbiatae
17. SS. Annuntiationis Soncini
18. S. Francisci apud S. Agatham
19. B. Mariae de Misericordia Melegnani
20. S. Bernardini Caravagii
21. S. Mariae de Gratiis Varalli
22. S. Mariae de Angelis Herbae
23. S. Mariae de Misericordia Briantii
24. S. Mariae de Gratiis Belinzonae
25. S. Mariae de Gratiis penes oppidum S. Georgii

26. S. Mariae de Gratiis Maleti
27. S. Mariae de Gratiis Lugani
28. S. Mariae de Gratiis Antignati
29. S. Martini Clarellae
30. S. Mariae Sabioncelli
31. S. Mariae in Campo
32. S. Francisci Trecati
33. S. Mariae de Misericordia Romanengi
34. S. Victoris Montis Baronum. Reformati in eo degunt.
35. S. Viridarii Mediolani

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae
2. Jesu
3. S. Ursulae
4. S. Bernardini
5. S. Antonii
6. S. Apollinaris

(1–6: Mediolani)

7. S. Clarae Comi
8. S. Clarae Novariae
9. S. Clarae Vercellarum
10. S. Clarae Gatinarae
11. S. Clarae Laudae
12. S. Clarae Mortarii
13. S. Petri Trivilii
14. S. Clarae Legnani
15. S. Clarae Abbiatae

PROVINCIAE PRINCIPATUS CONVENTUS.

XLVI. 1. S. Joachimi, seu Xenodochioli Neapolis
2. S. Francisci Sarni
3. S. Mariae a Chieja Vici
4. S. Francisci Ajerolae
5. S. Francisci Majoris
6. S. Francisci Tramorvi
7. S. Francisci prope Cavam
8. SS. Trinitatis prope Septempedam
9. S. Nicolai de Palma Salerni
10. SS. Trinitatis Eboli
11. S. Antonii de Padua Polae
12. S. Francisci Padulae fundatus non ut ait Gonzaga an. MCCCLX. verum an. MCDXXII.
13. Pietatis Diani
14. S. Francisci Joii
15. S. Francisci Pesciottae
16. SS. Annuntiationis Lazaroli
17. S. Francisci Cilenti
18. S. Francisci Castellutii
19. S. Francisci Altevillae
20. (*) S. Antonii Patavini Acerni

XLVII. Conventus custodiae reformatorum.
1. S. Mariae Aviliani
2. S. Mariae de Paradiso Oliveti
3. S. Mariae de Gratiis Boccini
4. S. Francisci Stabiarum
5. S. Mariae Pacis Montiscorvini

MONASTERIA MONIALIUM.

1. B. Mariae de Pietate Majoris
2. S. Jacobi tertiariarum Jolii
3. Duo monasteria tertiariarum Salerni.

PROVINCIAE SEPTEM MARTYRUM CONVENTUS.

XLVIII. 1. Annuntiationis B. M. Virginis Rhegii
2. B. Mariae de Succursu Scyllae
3. S. Francisci Sinopolis
4. B. Mariae de Angelis Seminariae
5. Conceptionis B. M. V. Oppidi
6. B. Mariae de Angelis apud S. Christinam

7. B. Mariae de Jesu Bovolini
8. S. Francisci Terrae Novae
9. Conceptionis Polestinae
10. S. Philippi Quinquefrondibus
11. B. Mariae de Gratiis Medamae
12. S. Sergii Tropeae
13. SS. Annuntiationis ibidem
14. S. Mariae de Jesu Montis Leonis
15. S. Antonii Cacuminis sive del Pizzo
16. S. Antonii de Padua Squillaci
17. B. Mariae de Gratiis Catanzari
18 S. Francisci Neocastri
19. B. Mariae de Musciminis Jotrinoli
20. S. Nicolai Insulae
21. S. Francisci prope oppidum Quinquefrondibus
22. B. Mariae de Gratiis prope Drusium

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. . . . . . Medamae
2. (*) Omnium Sanctorum Squillaci

PROVINCIAE SICILIAE CONVENTUS.

XLIX. 1. S. Mariae de Jesu Messanae
2. S. Mariae de Jesu ibidem
3. S. Nicolai Agrigenti
4. S. Mariae de Jesu Camari
5. S. Mariae de Jesu Calatahieronis
6. S. Mariae de Jesu Syracusis
7. S. Francisci Saccae
8. S. Francisci Tauromini
9. S. Mariae de Jesu Plateae
10. S. Mariae de Jesu Ferulae
11. S. Mariae de Jesu Castri Regalis
12. S. Mariae de Jesu Corleonis
13. S. Mariae de Jesu Neeti
14. S. Mariae de Jesu Herbitae
15. S. Mariae de Jesu Adernionis
16. S. Mariae de Jesu Bizinii
17. S. Mariae de Jesu Trioclae
18. S. Mariae de Jesu Thermis
19. S. Mariae de Jesu Drepani
20. S. Mariae de Jesu Leontini
21. S. Mariae de Jesu Selinis
22. S. Mariae de Jesu Alcami
23. S. Mariae de Jesu Modicae
24. S. Mariae de Jesu Nasi
25. S. Mariae de Jesu Pactarum
26. S. Mariae de Jesu Nari
27. S. Mariae de Jesu Politii
28. S. Mariae de Jesu apud veterem civitatem Melitae
29. S. Mariae de Jesu apud novam civitatem Melitae
30. S. Mariae de Jesu oppidi S. Petri
31. S. Mariae de Jesu Bisbonae
32. S. Mariae de Jesu Ficarrae
33. S. Mariae de Jesu Aulae
34. S. Angeli Panormi
35. S. Mariae de Jesu Palatioli
36. S. Mariae de Jesu oppidi S. Luciae
37. S. Mariae de Jesu Clusarum
38. S. Mariae de Jesu prope S. Angelum
39. S. Mariae de Jesu Inspicefundi
40. S. Mariae de Jesu Carini
41. S. Mariae de Jesu Raccudiae
42. S. Mariae de Jesu Castri Joannis
43. S. Mariae de Jesu Capitii
44. S. Mariae de Jesu Summatini
45. S. Mariae de Jesu Mililli
46. S. Nicolai Cephalediae
47. (*) S. Mariae de Jesu Villae Franchae

L. Conventus custodiae reformatorum.
1. S. Mariae de Jesu Cataniae
2. S. Viti prope Agrigentum
3. S. Petri Apostoli Plateae
4. S. Annae Juliani
5. S. Mariae de Jesu Panormi

MONASTERIA MONIALIUM.

1. Montis Virginum Messanae
2. Montis Virginum Cataniae
3. S. Clarae ibidem
4. S. Clarae oppidi S. Angeli
5. (*) Immaculatae Conceptionis Panormi

PROVINCIAE S. NICOLAI CONVENTUS.

LI. 1. S. Catharinae in oppido S. Petri in Galatina
2. S. Francisci Gallipolis
3. S. Francisci Petiliae
4. S. Maria de Pace Venusiae
5. S. Mariae de Columna Trani
6. S. Francisci Minerbini
7. S. Mariae de Pietate Uxenti
8. S. Mariae de Chivisa Bitunti
9. S. Francisci Bitecti
10. S. Mariae Veteris Andriae
11. S. Mariae de Angelis Atellae
12. S. Mariae de Templo Litii
13. Omnium Sanctorum Melfiae
14. S. Antonii de Padua Tarenti
15. S. Angeli Rubi
16. S. Joannis Hydrunti
17. S. Sebastiani Gravinae
18. S. Bernardini Melficti
19. S. Mariae Novae Raclae
20. S. Mariae de Insula Conversanae
21. S. Petri Barii
22. S. Mariae de Angelis Cassani
23. S. Francisci Castellanettae
24. S. Francisci Casalisnovi
25. S. Francisci Spinae Aurae
26. S. Laurentii Vigiliae
27. S. Cataldi prope Coraltum
28. S. Mariae de Gratia Monopolis
29. S. Antonii de Padua Neritoni
30. S. Stephani Martinae
31. SS. Annuntiationis Hostumi
32. S. Mariae Novae Terlitii
33. S. Mariae de Passu Molae
34. S. Mariae de Loreto Labelli
35. S. Mariae de Casolis Cupertini
36. S. Catharinae Forentiae
37. S. Mariae Majoris Aquaevivae
38. S. Andrea Barolis
39. S. Mariae de Gratia Marrubii
40. S. Mariae de Angelis Acajae
41. S. Antoni de Padua Litii
42. S. Mariae de Cassali Brundusii
43. S. Mariae de Constantinopoli Massafrae
44. S. Joannis Baptistae Turi
45. S. Mariae de Cruce Francavillae
46. S. Mariae de Fonteovina Rapollae
47. S. Mariae de Constantinopoli Poliniani
48. S. Mariae de Gratiis Liverani
49. (*) S. Mariae de Laureto Messapiae
50. (*) S. Mariae de Gratia in oppido S. Viti

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Ludovici Vigiliae
2. S. . . . Barolis
3. (*) S. Mariae Casamaximae

PROVINCIAE S. BERNARDINI CONVENTUS.

LII. 1. S. Bernardini Aquilae
2. S. Juliani ibidem
3. S. Andreae Theatis
4. S. Mariae Pennae
5. S. Joannis de Rupe Montisplani
6. S. Angeli de Pace Ansani
7. S. Mariae de Gratiis Ortonae

8. S. Nicolai Sulmonae
9. S. Antonii de Padua Adris
10. S. Mariae de Gratiis Terami
11. SS. Annuntiationis Ursuniae
12. S. Bernardini Civitatis S. Angeli
13. S. Angeli Ocrae
14. S. Bernardini Camplis
15. S. Francisci Caramanici
16. S. Francisci Capistrani
17. S. Mariae de Cumis Civitellae
18. S. Mariae Paradisi Tocci
19. S. Mariae de Jesu Francavillae
20. S. Mariae de Valleviridi Celani
21. S. Mariae de Pietate Loreti
22. S. Mariae de Cona Tussiciae
23. S. Mariae a Pezzano Montorii
24. S. Mariae Propitiani
25. S. Nicolai Pepuli
26. S. Antonii de Padua Palenae
27. (*) S. Mariae de Paradiso Pizzuli

MONASTERIA MONIALIUM.

1. Corporis Christi Aquilae
2. S. Clarae Adris
3. S. Antonii de Padua Sulmonia

PROVINCIAE S. ANGELI CONVENTUS.

LIII. 1. S. Onuphrii prope Calenam
2. S. Nazarii Moroni
3. S. Bernardini Montisrisi
4. S. Mariae de Velleaspera ad Tessam
5. S. Onuphrii Histonii
6. S. Joannis Campibassi
7. S. Salvatoris Luceriae
8. S. Bernardini Agoni
9. S. Bernardini oppidi S. Severi
10. S. Joannis, sive S. Eremi Gulionisii
11. S. Antonii de Padua Viscarii
12. S. Angeli Serrae
13. S. Francisci Ischitellae
14. S. Francisci Trojae
15 S. Petri Coelestini Ripae Limosani
16. S. Mariae de Gratiis Campibassi
17. S. Sebastiani Calitri
18. S. Mariae de Jesu prope oppidum S. Martini
19. S. Mariae de Gratiis Sergni
20. S. Antonii prope pagum S. Boni
21. S. Mariae de Gratiis Apenestis
22. S. M. Magdalenae Sangri
23. S. Mariae a Laureto Curi
24. S. Mariae de Gratiis Forolivii
25. S. Mariae de Stignano
26. S. Francisci Celentiae
27. S. Antonii de Padua Illiciti
28. SS. Trinitatis Supini
29. S. Mariae de Jesu Foggiae
30. S. Joannis in Lamis
31. (*) S. Mariae Magdalenae Castrinovi
32. (*) S. Mariae de Plano Tolsi
23. (*) S. Mariae de Laureto Toci

PROVINCIAE DALMATIAE CONVENTUS.

LIV. 1. S. Annae Justinopolis
2. S. Bernardini Pirani
3. SS. Conceptionis Montonae
4. S. Andreae Rubini
5. S. Mariae de Gratiis Orsanis
6. S. Francisci Absoris
7. S. Mariae de Castiglione Veglae
8. S. Euphemiae Arbae
9. Dominae nostrae de pago Curici
10. S. Hieronymi Ugliani, sive Oleani
11. S. Dumni, sive Doimi Pasmani
12. S. Francisci Jaderae
13. S. Crucis Crapanii
14. S. Mariae Spalati
15. S. Mariae de Gratiis Phariae

16. S. Mariae Corsolarum
17. S. Bernardini Cathari
18. S. Mariae de Gratiis Scopuli
19. S. Mariae de Gratiis Budnae
20. (*) S. . . . Brachiensis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Antonii Arbae
2. S. Clarae Spalati
3. S. Mariae de Angelis Cathari
4, S. Crucis ibidem

PROVINCIAE CANDIAE CONVENTUS.

LV. 1. S. Frrncisci Cytei
2. S. Joannis ibidem
3. S. Antonii de Padua ibidem
4. S. Mariae de Agelis Gnossi
5. S. Athanasii Rethymii
6. S. Francisci ibidem
7. S. Francisci } Cydonis
8. S. Salvatoris } Cydonis
9. S. Georgi } Cydonis
10. S. Mariae Zacynti (Zante)
11. S. Antonii de Padua in Insula Chii
12. S. Rochi Corcyrae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Hieronymi Cytei
2. S. . . . Rethymii

PROVINCIAE BOSNIAE CROATIAE CONVENTUS.

LVI. 1. S. Mariae Gratiarum Tersactensis
2. S. Francisci Segniensia
3. S. Leonardi in Sylvis
4. Visitationis B. Mariae Pisiniensis
5. (*) S. Mariae Gratiarum Montis Sancti
6. (*) S. Leonardi Neostadiensis
7. (*) Visitationis B. Mariae Berdovicensis. Haec ex Vigilio Greiderer tom. 1.

Monasterium B. Virginis Mnnchendorffense.

PROVINCIAE AUSTRIAE CONVENTUS.

LVII. 1. Assumptionis B. V. Windpassingensis
2. S Hieronymi Viennae
3. Assumptionis Graecensis
4. SS. Trinitatis Hippolytani
5. S. Jacobi Majoris Claustro Neoburgensis
6. S. Bernardini Loysensis
7. S. Joannis Baptistae Jundenburgensis
8. S. Nicolai Viennae
9. (*) B. Mariae de Candellariis Egenburgensis.

MONASTERIA MONIALIUM.

1. (*) Ad Reginam Viennae
2. Assumptionis Jundenburgensis

PROVINCIAE BOHEMIAE CONVENTUS.

LVIII. 1. SS. M. Magdalenae et Elisabeth Tachoviensis
2. SS. XIV. Auxiliatorum Cadanensis

3. S. Catharinae Novo-Domensis
4. S. . . . . Saavensis
5. (*) Assumptionis B. Virginis Zaoymensis
6. (*) Assumptionis Plsnensis
7. (*) Assumptionis B. Virginis Bechinensis
8. (*) S. Mariae Magdalenae Bnenensis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. (*) Assumptionis B. Virginis Zaoymense
2. (*) S. Josephi Brunenso
3. (*) S. . . . Teinicense

PROVINCIAE POLONIAE CONVENTUS.

LIX. 1. S. Bernardini Cracoviae
2. S. Annae Varsaviae
3. S. Francisci, seu Immaculatae Virginis Posnaniae
4. Assumptionis B. Virginis Kostensis, seu de Kosciam
5. S. Annae, vel S. Joseph Franstadiensis, seu Uschoevensis
6. S. Mariae ad Praesepe Cobilinii
7. B. Mariae ad Nives Tarnoviae
8. S. Pauli Conversi, seu S. Bernardini Lublini
9. S. Andreae Leopolis, seu de Lembourg
10. S. Barbarae Prevorsei in Russia
11. S. Mariae Visitantis, seu S. Annae Calissii
12. S. Mariae Visitantis et Divisionis SS. Apostolorum Coli, seu Rotopolis
13. Assumptionis, seu Nativitatis B. M. V. Warthae
14. S. Francisci Wilnae
15. S. Bartholomaei Lovicii
16. S. Catharinae Radomiae
17. S. Georgii mart. alias B. M. Virginis Caunae
18. Assumptionis B. V. Opatoni
19. Assumptionis B. Virginis, et S. Catharinae Samboriae
20. S. Catharinae in Eremo
21. S. Mariae Visitatae, seu XII. Apostolorum Tykoczini
22. SS. Trinitatis Bidgostiae
23. Annuntiationis Skempensis
24. SS. Quinque Martyrum Casimiriae
25 (*) S. . . . Lubaviae

PROVINCIAE CORSICAE CONVENTUS.

LX. 1. S. Francisci Nuntiae
2. S. Francisci Biguliae
3. S. Francisci Casinchiae
4. S. Francisci Alexiani
5. S. Francisci Ornani
6. S. Francisci Nebiensis
7. S. Francisci Marianae
8. S. Francisci Aregnani
9. S. Francisci Curtis
10. S. Francisci Brandi
11. S. Francisci Vici
12. S. Francisci Orezzae
13. S. Francisci Pini
14. S. Francisci Tuvani
15. S. Francisci Cannaris
16. S. Francisci Tallae
17. S. Francisci Campilauri
18. S. Francisci Alciprati
19. S. Francisci Cedianae
20. S. Francisci Bastitae
21. S. Francisci Cacciae
22. S. Francisci Aroliani
23. SS. Trinitatis Basteriae
24. S. Francisci Serrae

PROVINCIAE RAGUSIAE CONVENTUS.

LXI. 1. S. Francisci Ragusii
2. S. Nicolai Stamni
3. S. Sabinae Dassae
4. S. Francisci Umblaeni
5. S. Hieronymi Slani
6. S. Blasii Canalium
7. S. Mariae Gursolarum
8. S. Mariae Insulae Mediae
9. S. Mariae ad Nives Epidauri

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Ragusii
2. S. Petri ibidem

PROVINCIAE BRIXIAE CONVENTUS.

LXII. 1. S. Josephi Brixiae
2. S. Mariae de Gratiis Bergomi
3. S. Mariae Coronatae Martinengi
4. S. Mariae Endennae
5. S. Mariae de Pace Alsani
6. B. Mariae Gandini
7. S. Mauritii prope Ischium
8. S. Mariae Lucris
9. S. Bernardini Cremae
10. S. Mariae Planengi
11. S. Francisci de Pace Urcei
12. S. Mariae de Aguzano
13. S. Bernardini Clararum
14. S. Bernardini Herbusci
15. SS. Annuntiationis Burni
16. S. Mariae de Brixianore Castrueli
17. S. Mariae de Angelis Pratalbuini
18. S. Mariae de Gratiis Quintiani
19. S. Mariae de Curtemilia Rebecei
20. S. Bernardini Insulae Dovarensinm
21. S. Mariae de Populo Riparoli
22. S. Mariae Calvatoni
23. S. Francisci Asulae
24. S. Francisci Ischii
25. S. Pauli Insulae Ischii
26. S. Mariae de Jesu Insulae Gardae
27. S. Bernardini Balodii
28. S. Mariae Gavardi
29. S. Mariae Fraxino Pisceriae
30. SS. Annuntiationis Lonati
31. S. Mariae a Laureto Castilonis
32. S. Mariae Gaidi
33. S. Mariae de Angelis Gardoni

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Novae Brixiae
2. S. Marthae ibidem
3. S. Mariae de Rosis Bergomi
4. S. Clarae Martinengi
5. S. Clarae Lucris
6. S. Clarae Cremae
7. S. Clarae Urcei
8. S. Clarae Casalis Majoris
9. S. Clarae Asulae
10. S. Mariae ad Elisabeth Clusoni

PROVINCIAE BASILICATAE CONVENTUS.

LXIII. 1. S. Antonii de Padua Tricarici
2. S. Mariae de Sepulchro Potentiae
3. S. Francisci Buxenti
4. S. Francisci Milionici
5. S. Mariae de Jesu Vigiani
6. S. Francisci Tursii

Anno Christi 1587.	Sixti V. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 11.	Religionis Minorum anno 380.

7. S. Mariae de Jesu Oppidi
8. S. Francisci apud S. Martinum
9. S. Mariae ad Nives Laurentiani
10. S. Francisci Petraepretiatae
11. S. Antonii de Padua Hostiliani
12. S. Mariae de Ursuleo
13. S. Antonii de Padua Titi
14. S. Francisci Pistitii
15. S. Bernardini Laureae
16. S. Antonii de Padua Rivellii
17. S. Francisci Salandriae
18. S. Francisci Ajetae
19. Annuntiationis Carbonii
20. Annuntiationis Burgentii
21. S. Mariae de Gratiis Arcis Imperialis
22. S. Mariae de Consolatione Maratheae
23. Nativitatis B. M. Virginis Castellutii
24. S. Mariae de Marsici Veteris
25. Annuntiat. Castelli Turturini
26. (*) S. Mariae Magdalenae Acherontii

Monasterium S. Lucae Potentiae

PROVINCIAE HUNGARIAE S. SALVATORIS CONVENTUS.

LXIV. 1. S. . . . . Giungiensis
2. S. . . . . . . Szegediensis
3. S. . . . . Zacholensis
4. S. . . . . Csichiensis

PROVINCIAE BOSNIAE ARGENTINAE CONVENTUS.

LXV. 1. S. Mariae Argentinae
2. S. Joannis Baptistae Banni
3. S. Spiritus Foinizae
4. S. Mariae Plumbi
5. S. Nicolai Visochii
6. S. Catharinae Crescevi
7. S. Mariae Salinarum Superiorum
8. S. Mariae, sive S. Petri Salinarum Inferiorum
9. S. Eliae Modrizae
10. S. Pauli Visovachii
11. S. Mariae Macharschae
12. S. Mariae Sastrugi
13. S. Petri Ramae
14. S. Christophori prope Velicam

PROVINCIAE HUNGARIAE S. MARIAE CONVENTUS.

LXVI. 1. S. Joan. Evangelistae Budensis
2. S. . . . . Insulae Leporum prope Budam
3. S. Mariae Strigoniensis
4. S. . . . . Albensis
5. Annuntiationis Posoniensis
6. S. . . . . Segusdiensis
7. S. . . . . Orbonachensis
8. S. . . . . Sicambriensis
9. S. . . . . Quinqueecclesiensis
10. S. . . . . Bachiensis
11. S. . . . . Banensis
12. S. . . . . Zegediensis
13. S. . . . . Varadiensis
14. SS. Petri et Pauli Nitriensis
15. S. . . . . Trinciensis
16. S. Stephani Fanriensis
17. S. . . . . Lippensis
18. S. . . . . Bistriciensis
19. S. . . . . Robreciminicus
20. S. . . . . Sopronìensis
21. S. . . . . Zemenichius
22. S. . . . . Berechsasiensis
23. S. . . . . Varasdiensis
24. S. . . . . Nechsenius
25. S. . . . . Lubreganus
26. S. . . . . Chestelianus
27. S. . . . . Chanisinus
28. S. . . . . Forisiculorum
29. S. . . . . Pothocsiensis
30. S. . . . . Zechenius
31. S. Francisci Zagrabiensis
32. S. . . . . Zudlachius

33. S. . . . . Zinchius
34. S. . . . . Pochafalvius
35. S. . . . . Chapronschius
36. S. . . . . Proseganns
37. S. . . . . Castaniensis
38. S. . . . . Vereocsianus
39. S. . . . . Arachiensis
40. S. . . . . Zasuarensis
41. S. . . . . Cibiniensis
42. S. . . . . Telegdiensis
43. S. . . . . Zachmaricus
44. S. . . . . Cassoviensis
45. S. . . . . Varanensis
46. S. . . . . Leuchoviensis
47. S. . . . . Agriensis
48. S. . . . . Lyruaviensis
49. S. . . . . Lipichianus
50. S. . . . . Lejochensis
51. S. . . . . Ferriensis
52. S. Elisabeth Sabariensis

PROVINCIAE TERRAE LABORIS CONVENTUS.

LXVII. 1. S. Mariae Novae (Neapolis)
2. SS. Trinitatis (Neapolis)
3. S. Mariae de Montecalvario (Neapolis)
4. S. Francisci Fundorum
5. S. Francisci Cajetae
6. S. Agathae prope Cajetam
7. S. Francisci Minturnarum
8. S. Francisci Mondragonii
9. S. Francisci Aruncae
10. S. Mariae de fontibus Arcis Monfinicae
11. S. Francisci Castelli Pratensis
12. S. Catharinae Capuae
13. S. M. Magdalenae Atellae
14. S. Joan. Baptistae Puteolis
15. S. Francisci Surrenti
16. S. Mariae de Puteo Sussuvii
17. S. Viti Mariliani
18. S. Angeli Nolae
19. S. Joannis de Parco Lauri
20. SS. Annunciationis Avellae
21. S. Mariae in jugo prope Arpajam
22. S. Mariae de Gratiis Montis Sarchii
23. Annuntiationis B. M. Virginis Vitulani
24. S. Laurentii Beneventi
25. S. Francisci Ariani
26. (*) S. Mariae Massae Lubrensis

LXVIII. Conventus custodiae reformatorum.
1. S. Antonii Theani
2. S. Mariae de Gratiis Cajatii
3. S. Francisci Carinolae, sive Caleni
4. S. Crucis Neapolis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Mariae de Jesu (Neapolis)
2. S. Francisci (Neapolis)
3. S. Hieronymi (Neapolis)
4. S. Antonii (Neapolis)
5. Conceptionis (Neapolis)
6. S. Hieronymi Aversae
7. S. Spiritus Nolae
8. S. Annae Aruncae
9. S. Montani tertiariarum Cajetae
10. (*) B. Mariae de Consolatione in Insula Hischiae hoc anno erectum

PROVINCIAE TYROLENSIS CONVENTUS.

LXIX. 1. S. Crucis Oenipontis
2. S. Francisci Suazensis
3. Sacrarum Stigmatum Bulsanensis
4. S. Martini Friburgensis
5. Residentia posita juxta monasterium clarissarum Brixinensis
6. S. Joannis Baptistae Bernstainensis

Anno Christi 1587.	Sixti V. an. 2. et 3.	Rudolphi II. anno 11.	Religionis Minorum anno 380.

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Elisabeth Brixinensis
2. S. Clarae Friburgi

DOMUS SORORUM TERTII ORDINIS.

1. S. . . . . Nordstettensis
2. S. Josephi Horbensis Superioris
3. S. . . . . Horbensis Inferioris
4. S. . . . . Eitingensis
5. S. Annae Rottenburgensis
6. S. . . . . Silchensis
7. S. Elisabeth pagi Oglspiri in Suevia
8. S. Mariae Angelorum in pago Warthusii Sueviae
9. S. Francisci Ehinganae
10. S. Annae Munderkingae
11. S. . . . . Giinzburgensis
12. S. . . . . Weldensis
13. B. V. Lauretanae Waldseae
14. SS. Trinitatis Seggingae

PROVINCIAE CALABRIAE CITERIORIS CONVENTUS.

LXX. 1. SS. Annnnciationis apud S. Nocitum
2. S. Francisci apud S. Marcum, sive Marcopolis
3. S. Francisci Beretrae
4. S. Fransisci prope Agellum
5. B. Mariae de Gratiis Mesuracae
6. B. Mariae de Gratiis Buxenti
7. S. Francisci Cosentiae
8. S. Bernardini Manteae
9. S. Francisci Cariati
10. S. Bernardini Rossiani
11. S. Bernardini Morani
12. B. M. Virginis de Gratiis Citrarii
13. Annuntiationis B. M. V. Cassoboni
14. Observantiae Cotroni
15. Observantiae Tabernae
16. Observantiae Coprani
17. B. Mariae de Gratiis Rendae
18. S. Francisci Sturnorum
19. B. M. V. de Gratiis Cassani
20. B. Mariae de Gratiis Ruliani
21. SS. Annunciationis Dipiniani
22. S. Francisci Fluviifrigidi

Monasterium S. Catharinae Tabernae

CUSTODIAE ALBANIAE CONVENTUS.

LXXI. 1. S. Mariae Sebastae
2. S. Mariae Alessiae
3. S. Salvatoris Rubici
4. S. Petri Memellii
5. S. Mariae Rhodonii

PROVINCIAE FRANCIAE CONVENTUS.

LXXII. 1. S. Mariae Magdalenae Parisiis
2. SS. Joan. Evangelistae et S. M. Magdalenae Trecis
3. S. Catharinae Altissiodori
4. S. Joan Baptistae Senonensis.
5. S. Crucis Vezeliaci
6. S. Michaelis Sezanii
7. S. Annae juxta Jonivillam
8. S. Margharitae Pruvini
9. S. Joannis Baptistae Rhemis
10. SS. Petri et Pauli Metis
11. S. Lamberti Virduni
12. S. Bonaventurae Suessionis
13. SS. Pauli Apostoli, et Laurentii Martyris Cathalauni
14. S. Joan. Baptistae Compendii
15. S. Mariae, et SS. Apost. Petri et Pauli Lauduni
16. S. Catharinae Carnoti

17. Jacobi Silvanecti
18. S. M. Magdalenae Meldis
19. S. Joan. Baptistae Stampis
20. S. Bonaventurae Meduntae
21. S. . . . . Ennetensis
22. SS. Apost. Petri et Pauli Bajocii
23. S. Joan. Baptistae Ebroicis
24. S. Joan. Baptistae Cadomi
25. S. Joan. Baptistae Bernai
26. S. Eligii Vernoni
27. S. Andreae Apost. Vernolii
28. S. M. Magdalenae Faletii
29. S. . . . . Bellovaci
30. S. Mariae de Gardia
31. SS. Apost. Andreae et Joannis Ambiani
32. S. Mariae Magdalenae Abbatisvillae
33. S. Catharinae Mediaecuriae
34. S. Mariae de Angelis Royae
35. S. . . . . Noviomensis
36. S. Francisci Peronae
37. S. Francisci apud S. Quintinum
38. Annuntiationis Dulendii
39. S. . . . . Blangiaci
40. Dominae nostrae de Pietate Meleaci
41. S. . . . . Petraepontis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Catharinae Pruvini
2. S. Ludovici Regis Nogenti Netandi
3. S. Elisabeth Rhemis
4. SS. Clarae et Barbarae Verduni
5. S. . . . . Novicastri
6. SS. Cosmae et Damiani Metis
7. S. Clarae Pontismonsionis
8. Humilitatis Virginis apud Longum Campum. Edita hoc anno constitutione: *In supremae* III. calend. Maii Sixtus V. monasterium hoc contulerat, Henrici III. voluntate, Joanni de la Barriere fundatori congregationis Fuliensis, monialibus clarissis concessa abbatia Vallis S. Mariae; at reclamantibus monialibus, inane remansit pontificium diploma. Gallia Christiana tom. 7. pag. 945.
9. S. Marcelli Parisiis
10. S. Joan. Baptistae Moncelli
11. B. Mariae Virginis, ac S. Joannis Baptistae Rothomagi
12. S. Georgii Mart. et S. Clarae Ambiani
13. S. Barbarae Paronae
14. S. . . . . Channiaci
15. S. . . . . Bertholii
16. S. . . . . in oppido S. Justi
17. Firmitatis Milonis
18. S. . . . . Ulechei

PROVINCIAE FRANCIAE PARISIENSIS CONVENTUS.

LXXIII. 1. S. Leonardi Sazii
2. S. Joan. Baptistae Varennae
3. S. Clementis Rothomagi
4. S. Jacobi Apost. Pontisarae
5. B. Mariae, et S. Antonii Paduani Novi Castri
6. S. Elisabeth Tulli
7. B. Mariae, et S. Francisci Grandisvillae
8. S. Joannis Baptistae Vici
9. S. Laurentii Boloniae
10. B. Mariae Miricuriae
11. S. Ludovicis Regis Voloniarum
12. S. Marthae prope Vosagum montem
13. S. Ludovice Episcopi Lignei
14. Annuntiationis Nancey
15. . . . . SS. Trinitatis
16. S. Mariae de Angelis Pontisaudomari

17. S. Joannis, ac omnium Sanctorum Masseriarum
18. S. Antonii de Padua Castri Theodorici
19. S. Michaelis Archangeli Viriae
20. S. Mariae de Pietate Malarumherbarum
21. S. . . . de Bethlehem Masseriis
22. S. . . . Nivernensis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. SS. Ferrucii et Ferreuli Metis
2. S. Clarae, sive Ave Maria Parisiis
3. S. Michaelis Arch. Bariducis
4. S. . . . . . Mauritaniae apud Unellos
5. SS. Annunciationis Argentonii
6. S. Clarae Alenconii
7. S. . . . . Desirae
8. S. . . . . Deyzichii
9. SS. Marthae et Elisabeth Castri Salinari
10. S. . . . Monsterolii
11. S. Elisabeth Abbatisvillae
12. SS. Michaelis, Pauli Apost. et Francisci Olmae
13. S. Mariae, et S. Ludovici Regis Bellovaci
14. B. Mariae, ac S. Elisabeth apud S. Qnintinum
15. S. Nicolai Ambiani
16. S. Catharinae Boloniae
17. S. Mariae Magdalenae Dulendii
18. S. Ludovici Episc. Montis Desiderii
19. S. Elisabeth Rojae
20. B. Mariae ac Annae Roae
21. S. Antonii de Padua Lunevillae
22. B. Mariae Virginis Nancey
23. S. Nicolai Meldorum
24. S. . . . . Berneii
25. S. Gabrielis Archangeli Novicastri
26. S. Joan.Baptistae Braii
27. S. Salvatoris Gorneii
28. B. Mariae Grandisvillagii
29. S. Margaritae Triensis
30. B. Mariae, ac S. Entropi prope Campum Lupi
31. S. . . . . Gisortii
32 Annuntiationis Lignei

PROVINCIAE CASTELLAE CONVENTUS.

LXXIV. 1. S. Joannis Regum Toleti
2. S. Mariae de Jesu Complnti
3. SS. Petri et Pauli ibidem
4. S. Francisci Guadalfagiarae
5. S. Francisci Matriti
6. Dominae nostrae de Saliceto
7. S. Antonii, sive S. Juliani de Capraria
8. Dominae nostrae de Spe Occaniae
9. S. Mariae de Castaueto
10. S. Francisci Talabricae
11. S. Francisci Civitatisregiae
12. S. Mariae de Gratia Paternianae
13. Dominae nostrae de Oliva
14. S. Francisci Pinti
15. Dominae nostrae Scalonae
16. S. Antonii Mondexaris
17. S. Francisci de Cruce Centumfontinm
18. S. Francisci Turrigii
19. Matris Dei Turrislacnnae
20. Matris Dei Oropesae
21. Dominae nostrae de Angelis Escamillae
22. S. Francisci Metymnae Coeli
23. S. Petri Cogollnti
24. S. Francisci Puebla de Montealban
25. S. Francisci Colmenar de Oreja
26. Dominae nostrae de Victoria Villarejo
27. Immaculatae Conceptionis Carrionis
28. S. Francisci Morae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Elisabeth Regiae Toleti
2. S. Clarae Regiae ibidem
3. S. Clarae Guadalfagiarae
4. S. Clarae Matriti
5. Salutationis, sive Matris Dei ibid.
6. S. Mariae de Jesu Occaniae
7. S. Clarae Compluti
8. S. Elisabeth Metymnae Coeli
9. S. Michaelis Regii Toleti
10. S. Mariae Angelorum Matriti
11. S. Mariae de Cruce prope pagum Cubae
12. S. Joannis de Poenitentia Toleti
13. S. Joannis de Poenitentia Compluti
14. Conceptionis Illescis
15. Dominae nostrae Planitiei Almagri
16. Conceptionis oppidi Visus
17. Conceptionis oppidi Daimiel
18. S. Annae Toleti
19. S. Antonii de Padua ibidem
20. Dominae nostrae de Bethlehem Centumfontibus
21. S. Martini oppidi Vallisecclesiarum
22. Annuntiationis oppidi Grinioni
23. S. Spiritus Fonsalidae
24. Conceptionis Toleti
25. Conceptionis Turrigii
26. Conceptionis Maquedae
27. Conceptionis Scalonae
28. Conceptionis Matriti
29. Conceptionis Talabricae
30. Conceptionis de Montalban
31. Conceptionis Orapesae
32. Concept. Civitatisregiae
33. Concept. Guadalfagiarae
34. Conceptionis Complnti
35. Concept. Turris Lacunae
36. Concept. Paternianae
37. Conceptionis Escaritiarum
38. (*) Conceptionis de Pastrana

PROVINCIAE S. CRUCIS SAXONIAE CONVENTUS.

LXXV. Haec provincia haereticorum injuria periit.

PROVINCIAE TURONIAE CONVENTUS.

LXXVI. 1. S. . . . . Aurelianis
2. Annuntiationis Cenomaniae
3. S. . . . . Blesis
4. S. Joannis Vindocini
5. S. Francisci ibidem
6. S. . . . . Castridunii
7. S. Sebastiani Andegavis
8. S. . . . . Salmuri
9. S. . . . . Turonis
10. SS. Joan. Evangelista et M. Magdalenae Loxarum
11. SS. Jacobi et Christophori Issolduvii
12. S. Francisci Bituricis
13. S. . . . . Nanetis
14. S. . . . . Burginovi
15. S. Francisci de Silva
16. S. Joannis Redonii
17. S. Francisci Venetarum
18. S. Francisci, sive Dominae nostrae de Virtutibus Dinanni
19. S. Francisci Guincampi
20. S. Mariae Magdalenae Corizopoti
21. S. Catharinae Pictavii
22. S. . . . . Hyortii
23. S. . . . . S. Maxentii
24. S. . . . . Partiniaci
25. S. . . . . Castriherardi
26. S. . . . . Julioduni
27. S. . . . . Thovarci
28. S. Francisci Engolismae
29. S. Cosmae Cogniaci
30. S. Francisci Xantoni
31. S. . . . . Rupellae
32. S. . . . . Oleronis

Anno Christi 1587.	Sixti V. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 11.	Religionis Minorum anno 380.

33. S. Joannis Angeriae
34. S. . . . . Barbezilii
35. SS. Francisci, et Dominici Pontis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. B. Mariae Gnyschiae
2. S. . . . . Bituricis
3. SS. Apost. Petri et Pauli Defizii
4. S. Clarae Naneti
5. S. Clarae prope Sanctum Dinannum

PROVINCIAE TURONIAE PICTAVIENSIS CONVENTUS.

LXXXVII. 1. S. . . Mirabellensis
2. S. . . . . Lavalensis
3. S. . . . . Castrirodulphi
4. S. . . . . Bercorii
5. S. . . . . Fontiniacicomitis
6. S. . . . . Cholleti
7. S. . . . . Clisii
8. S. . . . . Ambasiae
9. S. . . . . Savenaii
10. S. . . . . Olonae
11. S. . . . . Ensenisii
12. S. . . . . Argentonii
13. S. . . . . Magduni
14. S. . . . . Fontis
15. S. . . . . Vertolii
16. S. . . . . Fixae
17. S. . . . . Robineriarum
18. S. . . . . Crolaii
19. S. . . . . Fulgerii
20. S. . . . . Balmetae
21. S. . . . . apud S. Martinum
22. S. Thomae Bodelii
23. S. . . . . Closarum
24. S. Mariae de Angelis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. Virtutum B. Mariae Biturigi
2. S. Clarae de Patientia Lavalense
3. S. . . . . Castriguaterii
4. S. Mariae Bonae Spei prope castrum Xampeniacum

PROVINCIAE ARAGONIAE CONVENTUS.

LXXVIII. 1. S. Mariae de Jesu Caesaraugustae
2. S. Francisci ibidem
3. S. Francisci Turiasonis
4. S. Francisci Bilbilis
5. S. Francisci Oscae
6. S. Francisci Borgiae
7. S. Francisci Darocae
8. S. Francisci Jaccae
9. S. Francisci Barbastri
10. S. Francisci Turolii
11. S. Mariae da Jesu Ergavicae
12. S. Francisci Montionis
13. S. Catharinae Carinienae
14. S. Francisci Exeaeequitum
15. S. Christophori Alpartilii
16. Dominae nostrae de Monlora
17. Dominae nostrae de Angelis Ixarii
18. S. Salvatoris Pinae
19. S. Francisci Surinienae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Catharinae Caesaraugustae
2. Hierosolymitanum ibidem
3. Dominae nost. de Altabasio ibid.
4. S. Clarae Bilbilis
5. S. Catharinae Turolii
6. S. Luciae Barbastri
7. S. Clarae Oscae
8. Immaculatae Conceptionis Turiassonis
9. S. . . . Montis Sancti

PROVINCIAE ARGENTINAE CONVENTUS.

LXXIX. 1. S. Francisci Monachii
2. S. . . . Ingolstadiensis
3. S. . . . . Landshutensis
4. S. . . . . Bambergensis
5. S. . . . . Fremebergensis
6. S. . . . . Kelhemmensis
7. S. . . . . Salisburgensis
8. S. . . . . Hachingensis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Jacobi in Anger
2. S. . . . . Sestingense
3. S. . . . . Nurnbergense
4. S. . . . . Pfullingense
5. S. . . . . Bambergense
6. S. . . . . Halsbachense
7. S. . . . . Heilbrunense

PROVINCIAE AQUITANIAE ANTIQUIORIS CONVENTUS.

LXXX. 1. S. . . . . Mirapiscensis
2. S. Francisci Tolosae
3. S. Eduardi Burdigalae
4. S. . . . . Ruthenensis
5. S. . . . . Albiensis
6. S. Mariae de Angelis prope Tolosam
7. S. Mariae de Gratia Burdigalae
8. S. . . . . Ageriensis
9. S. Bajonensis
10. S. . . . . Aquensis
11. S. . . . . Montismarsanensis
12. S. . . . . prope S. Macharium
13. S. . . . . Marmandensis
14. S. . . . . Reollensis
15. S. . . . . Tarbiensis
16. S. . . . . Rivorum
17. S. . . . . Villaefrancae
18. S. . . . . Aureliacensis
19. S. . . . . Rionciensis
20. S. . . . . Villaenovae
21. S. . . . . Montisguiscardi
22. S. . . . . Bellimontensis

LXXXI. Huic provinciae inest custodia Immaculatae Conceptionis recollectorum hisce coenobiis exornata
1. (*) S. . . . Rapistanensis
2. (*) Annuntiationes Tutellensis
3. (*) S. Galli Murellensis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Albiae
2. S. Clarae Tolosae
3. Immaculatae Concept. Albiae
4. Annuntiationis Burdigalae
5. Annuntiationis Rutheni
6. Annuntiationis Agenis
7. (*) S. Elisabeth Tolosae hoc anno erectum.

PROVINCIAE S. JACOBI CONVENTUS.

LXXXII. 1. S. Francisci Compostellae
2. S. Francisci Corunniae
3. S. Francisci Oveti
4. S. Francisci Ribadei
5. S. Laurentii extra Compostellam
6. S. Francisci Legionis
7. S. Francisci Zamorae
8. S. Francisci Salamaticae
9. S. Francisci Majoricae
10. S. Francisci Asturicae Augustae
11. S. Francisci Villaefrancae
12. S. Francisci Betancos
13. S. Francisci Orensae

14. S. Francisci Viveri
15. S. Francisci Pontisvedri
16. S. Francisci Beneventi
17. S. Francisci Lucentiae
18. S. Francisci Montisregalis
19. S. Francisci Tinei
20. S. Francisci Avilesii
21. S. Antonii Padroni
22. S. Marthae Ribadaviae
23. S. Francisci Murorum
24. S. Mariae de capite Albae
25. S. Francisci Benavides
26. S. Mariae de Jesu Liviae
27. S. Antonii de Padua Populae
28. S. Mariae Albae
29. S. Antonii de Padua Monfortii
30. S. Francisci Nojae
31. Boni Jesu de Limia
32. S. Francisci Acanizii
33. Dominae nostrae de fontibus Aquilarii
34. S. Antonii Salamaticae
35. S. Francisci Tauri
36. S. Francisci Villalpandi
37. S. Francisci Ferroli

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Salamaticae
2. S. Clarae Zamorae
3. S. Clarae Tauri
4. S. Clarae Beneventi
5. S. Clarae Janasi
6. S. Clarae Allarizii
7. S. Clarae Pontisvedri
8. S. Clarae Asturicae Augustae
9. S. Augustae Villaelnporum
10. S. Clarae Brigatii
11. S. Clarae Villaefrechiosi
12. Dominae nostrae Portaecoeli Spineti
13. S. Clarae fontis Sambuci
14. Corporis Christi Salamanticae
15. S. Clarae Ribadei
16. Imm. Concept. Legionis
17. Imm. Concept. Pontisferrati
18. Imm. Concept. Villaefrancae
19. S. Elisabeth Zamorae
20. S. Mariae de Bethlehem ibid.
21. S. Elisabeth Legionis

PROVINCIAE COLONIAE CONVENTUS.

LXXXIII. 1. S. Sebastiani Confluentiae
2. S. . . . . Hammonensis
3. S. . . . . Bielveldensis
4. S. Magdalenae Durae
5. S. . . . . Limpurgensis
6. S. . . . . Dorstensis
7. S. Mariae de Angelis Brulae
8. S. . . . Groningensis
9. S. Nicolai Aquisgrani
10. Collegium Coloniae Agrippinae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. . . . . Treveris
2. S. . . . . Coloniae Agrippinae
3. S. . . . . Confluentiae

PROVINCIAE S. BONAVENTURAE CONVENTUS.

LXXXIV. 1. S. Bonaventurae Lugduni
2. S. . . . . Villaefrancae
3. S. . . . . Metisconensis
4. S. . . . . Montisbrisonis
5. SS. Trinitatis, et B. Virginis Pontisvallium
6. S. Mariae de Angelis in dioecesi Lugdunensi
7. S. . . . . Bastidiae
8. S. . . . . Divionensis
9. S. . . . . Castellionensis
10. S. Francisci Belnae
11. S. . . . . Castrivillani

12. S. Francisci Barri super Albam
13. S. . . . . Cabillionensis
14. S. . . . . Brisatensis
15. S. Francisci Insulae
16. Dominae nostrae de Pietate Tanlai
17. S. . . . . Eduensis
18. S. . . . . Vallisardnenuae
19. S. . . . . Montisferrandi
20. B. Mariae Clarimontis
21. S. . . . . Rioniensis
22. Annuntiationis Brivatenii
23. S. . . . . Porcini
24. S. Ioseph Campisaquosi
25. B. Mariae Montislucii
26. S. . . . . Castriodunensis
27. S. . . . . Donionici
28. S. Michaelis Selletae
29. S. Marthae Vicicomitis
30. S. . . . . Dolensis
31. Annuntiationis Ledonisalnerii
32. B. Mariae Cheriaci
33. S. Francisci Saleriarum
34. S. . . . . Mozoretici
35. B. Mariae de Gratiis Rubeimontis
36. B. Mariae, et S. Francisci Tonarum
37. B. Mariae, et S. Antonii de Padua Provencherii
38. S. . . . . Viennensis
39. S. . . . . Romanensis
40. S. Petri Charreriarum
41. S. Andioli Burgi
42. Montis Calvarii Romanorum
43. Assumptionis Bellici
44. Dominae nostrae de Mianis
45. S. Francisci Clausenii
46. S. Michaelis Tarantasiae
47. S. Mariae Aegyptiacae Ciamberiaci
48. S. Crucis Annaesosiassi

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. . . . . Gratianopolis
2. S. . . . . Ciamberiaci
3. S. . . . . Nessiaci
4. S. . . . . Burgibressae
5. S. . . . . Montisbrisonis
6. S. . . . . Alvernae
7. S. . . . . Aquaeamissae
8. S. . . . . Molendinorum
9. S. . . . . Gieni
10. S. . . . . Suorii
11. S. . . . . Auxonii
12. S. . . . . Brisansonii

PROVINCIAE PORTUGALLIAE CONVENTUS.

LXXXV. 1. S. Francisci Ulyssiponis
2. S. Francisci Alanquerii
3. S. Francisci Vimarani
4. Dominae nostrae de Virtutibus Azambuciae
5. S. Spiritus Cartaxi
6. S. Francisci Santareni
7. S. Francisci Leiriae
8. S. Antonii de Ficu
9. S. Christinae Povoae
10. S. Francisci Conymbriae
11. Collegium S. Bonaventurae ib.
12. S. Antonii Ferrerim
13. Immaculatae Conceptionis Matozinhos
14. SS. Annuntiationis Villaecomitis
15. S. Francisci Portus
16. S. Francisci Brigantiae
17. S. Spiritus, sive S. Onuphrii Golegani
18. S. Cittae in termino Aceiceirae
19. S. Francisci Guardiae
20. S. Spiritus Goveae
21. S. Francisci Coviliani
22. Boni Jesu Bolhellas
23. S. Francisci Funhialii
24. S. Chricis Marhico
25. S. Bernardini Insulae Lignorum
26. S. Francisci Trancosi
27. (*) S. Pauli de Monte

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Ulyssiponis
2. Dominae nostrae de spe ibidem
3. Dominae nostrae Castaneti
4. Immaculatae Conceptionis Alanquerii
5. S. Clarae Santareni
6. S. Eiriae Tomarii
7. Dominae nostrae de Spe Abrantii
8. S. Clarae Conymbriae
9. Matris Dei Portus
10. S. Clarae ibidem
11. S. Francisci Pontislimae
12. S. Clarae Caminii
13. S. Clarae Amaranti
14. S. Clarae Villaecomitis
15. S. Clarae Funibalii
16. S. Annae Ulyssiponis
17. Dominae nostrae de potestatibus Villaelongae
18. S. Spiritus Turribusnovis
19. S. Clarae Frogeiroo
20. Immaculatae Conceptionis Cernamcellae
21. S. . . . . Trancosi
22. S. . . . . Campis
23. (*) S. Marthae Ulyssiponis
24. (*) Matris Dei in oppido Vinhais
25. (*) S. Clarae Mirandae hoc anno excitatum : *Exponi nobis* die xxiv. Januarii.

PROVINCIAE S. LUDOVICI CONVENTUS.

LXXXVI. 1. S. . . . . Montispessulani
2. S. Francisci Massiliae
3. S. Crucis Avenionis
4. Annuntiationis Aqnis
5. S. Crucis Niciae
6. Observantiae Arelatis
7. Dominae nostrae de Consolatione et S. Francisci Narbonae
8. S. Clarae Carcassonae
9. S. Francisci Biterrarum
10. S. . . . . Nemausii
11. Dominae nostrae de Gratia Carpentoractis
12. B. Mariae de Pietate Forojulii
13. S. Francisci Auxiliani
14. SS. Joseph et Francisci Draguigniani
15. S. Mariae de Compassione Manuaschae
16. S. Mariae de Pietate Pedenacii
17. S. . . . . Limosii
18. Dominae nostrae de Angelis Antipolis
19. S. Francisci Lunelli
20. S. Catharinae de Monte Sion Selli Robaudi
21. S. Francisci Rellaniae
22. B. Mariae de Consolatione Pignacii
23. S. . . . . Florensiaci
24. S. Mariae de Gratia Carcerum
25. S. Mariae de Pace, ac S. Francisci Olleollarum
26. S. Petri de Canono
27. B. Mariae de pulchro visu Tarasconis
28. S. Mariae de Gratia Turris Aquarum
29. S. Hieronymi in dioecesi Massiliensi

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. . . . . Biterrarum
2. S. Clarae Avenionis
3. S. Annae Lezignani
4. Nativitatis Domini Aquis
5. S. Clarae Massiliae
6. S. . . . . Arelatis
7. S. Clarae Aziliae

PROVINCIAE HIBERNIAE CONVENTUS.

LXXXVII. 1. S. . . . . Bucltufurmainensis
2. S. . . . . Chavanireilleiensis
3. S. . . . . Ardmachani
4. S. . . . . Ligoviscensis
5. S. . . . . Rilconillensis
6. S. . . . . Roscensis

PROVINCIAE SCOTIAE CONVENTUS.

LXXXVIII. S. . . . . apud oppidum S. Joannis. Caetera perierunt.

PROVINCIAE DACIAE CONVENTUS.

LXXXIX. Hujus provinciae coenobia sui juris fecerunt haeretici.

PROVINCIAE ANGLIAE CONVENTUS.

XC. Haereticorum furore periit haec provincia.

PROVINCIAE IMMACULATAE CONCEPTIONIS CONVENTUS.

XCI. 1. S. Francisci Pinciarum
2. S. Francisci Palentiae
3. S. Francisci Segobiae
4. S. Francisci Sahaguni
5. S. Francisci Carrionis de Comitibus
6. S. Francisci Pennafelii
7. S. Francisci Arandae Durianae
8. Dominae nostrae de Falce
9. S. Joannis de Poenitentia Fontidonii
10. Dominae nostrae de Viginti
11. S. Ludovici Gormasii
12. Corporis Christi montis Lievanii
13. S. Francisci Numantiae
14. S. Francisci Metymnae Campi
15. S. Francisci Abulae
16. B. Mariae de Scala Coeli
17. Domus Dei Aquilariae
18. S. Mariae de Gratia Villasilos
19. B. Mariae de Consolatione Calaguriae
20. S. Mariae de Spe Val de Scopesso
21. Immaculatae Conceptionis Villalvini
22. Dominae nostrae de Angelis Castromaco
23. S. Francisci Palentiolae
24. S. Dominici de Silos
25. S. Francisci Almasani
26. B. Mariae de Spe Parietibus a Nava
27. S. Bernardini Ferrariae
28. Apud S. Stephanum a Gormasio
29. S. Vincentii de Barchera
30. S. Francisci Arevali
31. S. Mariae de Spe Metymnae Rosecae
32. S. Francisci Ailloni
33. S. Francisci Ulmeti
34. S. Francisci Collaris
35. S. Francisci Castri Caesaris
36. S. Francisci Atienze
37. (*) S. Francisci in Villa de Tolosa

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Tordesillarum
2. S. Antonii Regii Segobiae
3. Dominae nostrae de Consolatione Calabazani

4. S. Mariae de Jesu Abulae
5. S. Clarae Palentiae
6. SS. Annuntiationis Arevali
7. S. Clarae Rapariegos
8. S. Clarae Tordehumos
9. S. Clarae Concaecamporum
10. S. Clarae Metymnae Campi
11. S. M. Magdalenae Collaris
12. S. Clarae Astudilii
13. S. Clarae Carrionis
14. S. Clarae Methymnae Rosecae
15. S. Clarae Pinciarum
16. Domine nostrae de Pietate ibid.
17. S. Clarae Numantiae, sive de Soria
18. S. Clarae Almasani
19. S. Clarae Aquilarii de Campo
20. S. Clarae Castri Caesaris
21. Corporis Christi Segobiae
22. Conceptionis Ulmeti
23. B. Mariae Pinciarum
24. Imm. Concept. Aillonii
25. Imm. Concept. Berlangae
26. Imm. Concept. Abulae
27. Imm. Concept. Pennarandae
28. Jesus Mariae Pinciarum
29. S. Elisabeth Arevali
30. B. Mariae de Jesu ibidem
31. S. Elisabeth Pinciarum
32. S. Elisabeth Segobiae
33. S. Crucis Ulmeti
34. S. Elisabeth de Jesu ibidem
35. S. Elisabeth Metymnae Campi
36. S. Elisabeth Arandae Durianae
37. S. Annae Collaris
38. S. Elisabeth Spineti

PROVINCIAE BRITANNIAE CONVENTUS.

XCII. 1. B. Mariae Insulae Viridis
2. S. Francisci Bernonii
3. S. Catharinae Blaneti
4. S. Valentini Pontiniaci
5. S. Francisci Trecorii
6. S. Joan. Evangelistae Cnbnrii
7. B. Mariae Briocensis
8. S. Francisci Landerii
9. S. Mariae de Angelis de Landeda
10. S. . . . Caessembriensis

PROVINCIAE BAETICAE CONVENTUS.

XCIII. 1. S. Francisci Hispalis
2. S. Mariae de Valle Hispalis
3. S. Mariae de Angelis Alcala de Guadaira
4. S. Francisci de Xevez
5. S. Mariae de Rabida oppidi Palos
6. S. Mariae de Spe Moguer
7. S. Eulaliae Marchenae
8. S. Francisci ibidem
9. S. Mariae prope Utreram
10. S. Sebastiani Carmonae
11. S. Mariae de Jesu Sanlucar
12. S. Francisci Calpe, hispanice Gibraltar
13. S. Francisci Astigii
14. S. Francisci Rondae
15. S. Francisci, sive S. Ludovici Malachae
16. S. Zoili Anticherae
17. S. Antonii Arcubus
18. S. Mariae Pulchrae Sepae
19. S. Francisci Portus S. Mariae
20. S. Mariae Lauretanae
21. S. Francisci Ajamontis
22. Matris Dei Ossunae
23. Montis Calvarii prope Ossunam
24. S. Antonii Escazenae
25. Corporis Christi Moroni
26. S. Mariae de Clarinis Bejer
27. S. Francisci Gadibus
28. S. Mariae de Consolatione Algaidarum
29. S. Francisci Nebrissae
30. S. Francisci, sive S. Pauli Martyris Tebae
31. S. Pauli de Eremo

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae } Hispalis
2. S. Agnetis } Hispalis
3. S. Maria de Jesu } Hispalis
4. Matris Dei de Xerez
5. S. Clarae Moguer
6. S. Clarae Marchenae
7. S. Mariae de Gratia Utrerae
8. S. Clarae Carmonae
9. Conceptionis ibidem
10. Reginae Coeli San Lucar
11. S. Agnetis Astigii
12. S. Elisabeth Roudae
13. Conceptionis Malachae
14. S. Mariae de Pace ibidem
15. S. Annae Ossunae
16. (*) Jesus Mariae Alcandetae

PROVINCIA BURGENSIS CONVENTUS.

XCIV. 1. S. Francisci Burgis
2. S. Francisci Juliobrigae
3. S. Francisci Tudelae
4. B. Mariae Minorum Virviescae
5. S. Bernardini Pozae
6. S. Francisci Veloradi
7. S. Bernardini de Monte
8. Dominae nostrae de Vico
9. B. Mariae apud S. Dominicum Calciatensem
10. S. Mariae de Jesu Navarretae
11. B. Mariae de Campo Cornagi
12. S. Stephani Burgis
13. S. Francisci Mirandae
14. S. Francisci Stellae
15. S. Francisci Nagerae
16. B. Mariae de Misericordia Taffaliae
17. S. Francisci Olibae
18. S. Francisci Alphari
19. S. Francisci de Ramo
20. S. Salvatoris Calaguriae
21. S. Victoris in oppido Ceraso
22. B. Mariae de Linaribus

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Burgis
2. S. Clarae Stellae
3. S. Clarae Tudelae
4. S. Clarae Castrilendii
5. S. Clarae Virviescae
6. B. Cariae de Bretonera Veroladi
7. B. Mariae de Rubo Vivarii
8. B. Mariae de Angelis Entrennae
9. S. Helenae Nagerae
10. S. Clarae Arnedi
11. Conceptionis S. Gadeae
12. Matris Dei Juliobrigae
13. Conceptionis Burgis

PROVINCIAE ANGELORUM CONVENTUS.

XCV. 1. B. Mariae de Angelis Hornacuelos
2. SS. Mm. Berardi et sociorum Belalchazarii
3. S. Ludovici Portocarrerii
4. B. Mariae de Pietate Guadalcanalis
5. S. Dominici Xarandiliae
6. S. Francisci Constantinae
7. S. Francisci de Monte
8. S. Hieronymi Cassaliae
9. S. Gilberti Bucae
10. S. Antonii Chillonii
11. B. Mariae de Succursu Petrochii
12. B. Mariae de Bethlehem Palmae
13. Imm. Conceptionis Herrerae
14. B. Mariae de Spe Antiquaemellariae
15. B. Mariae de Pace Populaeferrariae
16. S. Francisci de Angelis Algavae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae de Columna Belalchazarii
2. S. Clarae Palmae
3. S. Clarae Cassaliae
4. S. Clarae Alanisii
5. S. Clarae Constantinae
6. S. Joannis de Poenitentia Belvisii
7. Immaculatae Conceptionis Antiquaemellariae
8. Imm. Conceptionis Hinojosae

PROVINCIAE PIETATIS CONVENTUS.

XCVI. 1. S. Vincentii de Promontorio
2. S. Francisci Lacuum
3. B. Mariae de Paradiso Silvensis
4. Expectationis Partus B. Mariae Villaenovae
5. S. Antonii de Padua Lonleae
6. B. Mariae Pietatis Villaevitiosae
7. B. Mariae de Consolatione Borbae
8. S. Francisci Delvas
9. S. Antonii de Padua Portuslaeti
10. S. Antonii Estremotii
11. Boni Jesu Vallisviridis
12. S. Antonii Eborae
13. SS. Annuntiationis Vidiguerae
14. S. Francisci Portelii
15. B. Mariae de Saxo
16. S. Antonii de Padua Abrantii
17. SS. Annuntiationis Tomarii
18. S. Antonii de Padua Covilliani
19. S. Antonii de Padua Castrialbi
20. S. Antonii de Padua Pennamazor
21. S. Mariae de Charitate Sordoalii
22. B. Mariae Clavium
23. Boni Jesu Barzelos
24. B. Mariae de Angelis Azurariae
25. S. Fructuosi Bracariae
26. S. Antonii de Padua Averii
27. S. Antonii abb. Conymbriae
28. S. Antonii Portus

PROVINCIAE S. GABRIELIS CONVENTUS.

XCVII. 1. S. Mariae de Angelis
2. B. Mariae de Luce Montecoeli
3. B. Mariae de Luce Moncarii
4. S. Francisci Belvisii
5. B. Mariae Alburquerquii
6. B. Mariae de Jesu Salvaeterrae
7. S. Onuphrii de Lappa
8. S. Francisci de Maniaretibus
9. S. Marci Evang. de Altamurae
10. S. Margaritae Xeresii
11. Dominae nostrae Rupis Amatoris
12. S. Gabrielis Badejocii
13. S. Michaelis Placentiae
14. S. Gabrielis Alconcelii
15. Dominae nostrae de spe Villaenovae de Fraxino
16. S. Crucis Tabladiliae
17. Matris Dei Vallisviridis
18. Dominae nostrae de Luce Brossarum
19. S. Francisci Coriae
20. S. Spiritus Vallis Arragi
21. Dominae nostrae de Monte
22. Sacr. Stigmatum S. Francisci Burgiliorum
23. S. Antonii Veladae
24. S. Francisci Cymbae Abulensis
25. B. Mariae de Angelis Serralvi
26. B. Mariae de Aquis Sanctis Xeresii
27. B. Mariae de Misericordia Fonsalitae
28. S. Joann. Baptistae apud S. Eulaliam

PROVINCIAE CARTHAGINENSIS CONVENTUS.

XCVIII. 1. S. Francisci Murciae
2. S. Francisci Huetae
3. S. Francisci Conchae Valeriae
4. SS. Angelorum Alcozerii
5. S. Francisci apud S. Stephanum de Portu
6. S. Francisci Alcarazii
7. S. Francisci de Veas
8. S. Catharinae de Monte Murciae
9. S. Francisci Carthaginis
10. Dominae nostrae de Hortis
11. S. Francisci Bellimontis
12. S. Annae Orihuelae
13. Dominae nostrae de Corpore Christi Villaeviridis
14. S. Francisci Albazeti
15. S. Francisci Villaenovae Infantium
16. S. Ginesii de Xara
17. S. Francisci apud S. Clementem
18. S. Francisci Orani
19. S. Francisci Molinae
20. S. Francisci Henlinii
21. S. Mariae de Rupe
22. S. Francisci Alcazarii de Consuegra
23. Immaculatae Conceptionis B. V. Iniestae
24. Jesu Villaenovae a Xara
25. S. Francisci Vallisviridis
26. S. Stephani Ceeghini
27. Dominae nostrae de Spe Villaerobledae
28. Imm. Conceptionis Parriliae
29. S. Mariae de Gratia Caravaccae
30. S. Sebastiani Mortalliae
31. Immaculatae Conceptionis B. V. Mulae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. B. Mariae, sive S. Claraeregiae Alcozerii
2. S. Clarae Regiae Murciae
3. S. Joannis Orihuelae
4. Misericordiae Huetae
5. S. Clarae Villaenovae de Xara
6. Annuntiationis B. Mariae Virg. Elchii
7. Immaculatae Conceptionis Conchae Valeriae
8. S. M. Magdalenae Alcarazii
9. SS. Annuntiationis Albazetii
10. Immaculatae Conceptionis B. V. de Vea
11. S. Francisci Villaenovae
12. S. Annae Lorcae
13. S. M. Magdalenae ibidem
14. Corporis Christi Villaenovae Infantium
15. Assumptionis B. M. V. apud S. Clementem
16. Veronicae Murciae
17. Immaculatae Conceptionis B. V. Alcarazii

PROVINCIAE FLANDRIAE CONVENTUS.

XCIX. 1. SS. Petri et Pauli S. Audomari
2. SS. Petri et Pauli Namurcensis
3. SS. Petri et Pauli Athensia
4. S. Bernardini Avesnensis
5. S. Antonii de Padua Biezensis
6. SS. Francisci et Ludovici Sambrensia
7. B. Mariae Virginis, et S. Barbarae Leodinensis
8. Eremitorii Codiensis
9. Immaculatae Conceptionis Nivellensia
10. B. Mariae Virginis Luxemburgensis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. (*) S. . . . . Gandavi
2. (*) S. . . . . Duaci
3. (*) S. . . . . Montensis
4. (*) S. . . . . in oppido S. Audomari

PROVINCIAE GERMANIAE INFERIORIS CONVENTUS

C. 1. S. . . . . Lovanii
2. S. . . . . Buscoduci
3. S. . . . . apud S. Trudonem
4. S. . . . . Distemii
5. S. . . . . Thenis
6. S. . . . . Trajecti ad Mosam
7. S. . . . . Wert
8. S. . . . . Daventriae
9. S. . . . . Harderuvich
10. (*) S. . . . . Bruxellarum
11. (*) S. . . . . Mechlinae
12. (*) S. . . . . Antuerpiae
13. (*) S. Mariae Magdalenae Ruremundae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. (*) S. . . . . Lovanii
2. (*) S. . . . . ibidem
3. (*) S. . . . . Amsterdami
4. (*) S. . . . . Bruxellis
5. (*) S. . . . . Antuerpiae
6. (*) S. . . . . Mechlinae

PROVINCIAE ALGARBIORUM CONVENTUS.

CI. 1. S. Mariae de Jesu Denxabregas
2. S. Antonii Torresvedras
3. S. Bernardini Atonguiae
4. S. Boni Jesu Peniche
5. S. Antonii Cascaes
6. B. Mariae de Succursu in dioecesi Ulyssiponen.
7. S. Francisci Setuval
8. S. Francisci Eborae
9. S. Antonii Alcazeredosal
10. Dominae nostrae de Gratiis Montemajoronovo
11. S. Francisci Estremotz
12. S. Francisci Juliaepacis
13. S. Antonii de Serpa
14. S. Francisci de Moura
15. Dominae nostrae de Pietate Meseranae
16. Dominae nostrae de Martyribus Alvitii
17. S. Francisci Mirae
18. S. Antonii Cinesii
19. Dominae nostrae de Laureto in oppido S. Jacobi
20. S. Francisci apud Portum Laetum
21. S. Antonii prope Campummajorem
22. S. Francisci Oliventiae
23. S. Francisci Tavirae
24. S. Francisci Farcam
25. B. Mariae Virginis de Stella de Marvan
26. B. Mariae de Ducatu apud Insulam Tertiam
27. Immaculatae Conceptionis B. V. Plajae
28. Immaculatae Conceptionis B. V. Subtilis Cuspidis
29. B. Mariae V. de Rosario Villaefrancae
30. Dominae nostrae de Rosario in Insulae Fajal

MONASTERIA MONIALIUM.

1. Matris Dei Enxabregas
2. B. Mariae de Martyribus Sacavense
3. Dominae nostrae de Gloria Ulyssiponis
4. Jesus Setubliae
5. S. Clarae Eborae
6. Montis Calvarii ibidem
7. Arscoeli Salatici
8. S. Joannis Estremoz
9. De Spe Villaevitiosae
10. Plagarum ibidem
11. SS. Salvatoris Mantitiae
12. Immaculatae Conceptionis Juliae Pacis
13. Imm. Conceptionis ibidem
14. S. Clarae Portus Laeti
15. S. Clarae Elvae
16. Jesus Monfortii
17. Assumptionis B. M. V. Farcam
18. S. Clarae Plajae
19. Dominae nostrae de Spe Cuspidis Suptilis
20. S. Andreae Villaefrancae
21. Boni Jesu Ripaemagnae
22. S. Joan. Baptistae Dortae
23. Dominae nostrae de Quetudine
24. (*) Assumptionis B. M. V. de Faron
25. (*) B. Mariae de Pietate de Tanilla

PROVINCIAE MAJORICARUM CONVENTUS.

CII. 1. S. Francisci Majoricae
2. B. Mariae Angelorum de Jesu ibidem
3. S. Francisci Civitatulae
4. S. Francisci Inchae
5. S. Mariae de Jesu Sollaris
6. S. Mariae de Jesu Mahonis
7. S. Mariae de Jesu Alcodiae
8. (*) S. Antonii Patavini de Artà
9. (*) S. Mariae Lauretanae Sunsensis

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Majoricae
2. Oliveti ibidem
3. S. . . . . Civitatulae

PROVINCIAE AQUITANIAE RECENTIORIS CONVENTUS.

CIII. 1. S. . . . Insulae Jordanis
2. S. . . . Samatariensis
3. S. . . . . Castrinovi Darii
4. S. . . . . Auxitiani
5. S. . . . . Nugaroli
6. S. Vici
7. S. . . . . Mirandae
8. S. . . . . Valliscaprariae
9. S. . . . . Liburni
10. S. . . . . Condomici
11. S. . . . . Lautricensis
12. S. . . . . Montiscutensis
13. S. . . . . Sarlatensis
14. S. . . . . Lemovicensis

PROVINCIAE S. MICHAELIS CONVENTUS.

CIV. 1. S. Francisci Civitatensis
2. S. Francisci Casceres
3. S. Benedicti Safrae
4. S. Francisci Placentiae
5. S. Francisci Scalabiae
6. S. Francisci Badejoci

Anno Christi	Sixti V.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1587.	an. 2. et 3.	anno 11.	anno 380.

7. S. Francisci Erenae
8. B. Mariae de Gratia Castaneti
9. S. Francisci Bejar
10. S. Francisci Securae
11. S. Antonii Garrobiliarum
12. S. Francisci Norbae Caesareae
13. B. Mariae de Pomerio
14. S. Francisci Metellini
15. S. Michaelis apud S. Martinum
16. S. Marinae Sonradilii
17. S. Francisci Augustae Emeritae
18. S. Idelphonsi Furnorum
19. S. Spiritus Fovearum
20. S. Francisci Fraxineti
21. S. Antonii Texedae
22. S. Francisci Luponii
23. B. Mariae de Angelis Cellameae
24. (*) S. Francisci de Tresenat
25. (*) B. Mariae Angelorum de Moheda
26. (*) S. Jacobi de Azebo
27. (*) Dominae nostrae de Toralva

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Civitatensis
2. S. Clarae Safrae
3. B. Mariae ibidem
4. S. Clarae Placentiae
5. S. Clarae Fraxineti
6. Lucis Xeresii
7. S. Clarae Amigdaleti
8. S. Elisabeth Erenae
9. Matris Dei ibidem
10. S. Annae Badejoci
11. Imm. Conceptionis Cumbrium
12. S. Antonii Scalabis
13. Conceptionis Capitisbovini
14. Conceptionis Scalabis
15. Conceptionis Erenae
16. Conceptionis Ussagrii
17. Conceptionis Metellini
18. Matris Dei Safrae
19. Matris Dei Xeresii
20. (*) B. Mariae Spei
21. (*) S. Antonii Truxilli

PROVINCIAE CANTABRIAE CONVENTUS.

CV. 1. S. Francisci Victoriae
2. S. Mammetis Flaviobrigae
3. S. Francisci ibidem
4. Dominae nostrae de Rubo
5. S. Francisci Pampilonis
6. S. Francisci Methymnae de Pomar
7. S. Françisci Bermei
8. S. Francisci Sanguesae
9. S. Juliani Piedrolae
10. S. Francisci Castrodurdiales
11. S. Francisci Santander
12. Imm. Concept. Reynosae
13. S. Marinae Hordnniae
14. S. M. Magdalenae Laredi
15. S. Andreae Bastidiae
16. S. Francisci Frias
17. S. Francisci Sassiolae
18. S. Francisci Elgoibar
19. S. Francisci Mondragonis
20. S. Sebastiani extra oppidum Ani
21. S. Francisci Isari

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Clarae Victoriae
2. S. Clarae Merthymnae de Pomar
3. SS. Trinitatis Onniati
4. B. Mariae de Rivas
5. S. Clarae Castrodurdiales
6. S. Clarae Santander
7. S. Clarae Gneivar

In eadem provincia sunt xxi. domus sororum tertii ordinis.

PROVINCIAE S. ANDREAE IN BELGIO CONVENTUS.

CVI. 1. S. Crucis, S. Francisci et omnium SS. Cameracensis
2. SS. Trinitatis, S. Crucis, et S. Francisci Valencenensis
3. S. Francisci ac S. Margaritae Hannoniae
4. Nominis Jesu Duaci Cathuacorum
5. S. Catharinae V. et M. Attrebatensis
6. S. . . . . Insulensis
7. SS. Joan. Baptistae, et M. Magdalenae Tornacensis
8. S. Agnetis Virg. et Mart. Betuniensis
9. S. Francisci Lensensis
10. S. Barbarae Virg. et Mart. Cortracensis
11. S. . . . . . Aldenardensis
12. S. Francisci Vallis Entinae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. . . . . Cameracense
2. S. . . . . Attrebatense
3. S. . . . . Hisdiniense
4. S. . . . . Brugense
5. S. . . . . Gandavense

Sunt et alis tria monasteria, quae a Gonzaga proprio nomine non recensentur.

PROVINCIAE SARDINIAE CONVENTUS.

CVII. 1. B. Mariae de Gratia Sassaris
2. B. Mariae de Jesu Calaris
3. S. M. Magdalenae Oristagni
4. B. Mariae de Angelis Lusurgii
5. Pietatis Algarii
6. S. Francisci Usserii
7. S. Francisci Galurae sive Templi
8. (*) S. Francisci in villa de Terupio
9. (*) S. Antonii abbatis Tuili

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Luciae Calaris
2. S. Clarae Sassaris

PROVINCIAE VALENTIAE CONVENTUS.

CVIII. 1. S. Francisci Valentiae
2. S. Francisci Morellae
3. S. Francisci Sagunti
4. S. Francisci Setabis
5. S. Francisci Chelvae
6. Dominae nostrae de Angelis Pomerii
7. S. Spiritus prope Saguntum
8. Dominae nostrae de Angelis Segobricae
9. Dominae nostrae de Jesu Valentiae
10. B. Mariae de Gratia Alacanti
11. B. Mariae de Pino Olivae
12. S. Catharinae Hondae
13. Vallis Jesu
14. S. Barbarae Castellonii a Planitie
15. S. Barbarae V. et M. Alziriae
16. S. Sebastiani Cozentainae
17. Dominae nostrae de Angelis Eldae
18. S. Antonii de Padua Moxenti
19. Coronae Jesu Valentiae
20. S. Francisci Alcoi
21. S. Bernardini Bocairenti

Anno Christi 1587.	Sixti V. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 11.	Religionis Minorum anno 380.

22. B. Mariae de Gratia Requenae
23. S. Antonii abbatis Ontinenti
24. B. Mariae de Gratia Biar
25. S. Guilielmi de Valle Ebron Castelfavi
26. B. M. apud castrum Agres

MONASTERIA MONIALIUM.

1. Imm. Conceptionis Valentiae
2. SS. Annuntiationis Setabis
3. SS. Trinitatis Valentiae
4. S. Clarae Gandiae
5. Hierusalem Valentiae
6. S. Veronicae Alacanti
7. Imm. Concept. Castellonii a Planitie
8. Imm. Conceptionis Hondae

PROVINCIAE CATALONIAE CONVENTUS.

CIX. 1. S. Mariae de Jesu Barcinonis
2. S. Francisci ibidem
3. S. Francisci Perpiniani
4. S. Francisci Tarraconis
5. S. Francisci Gerundae
6. S. Mariae de Jesu Balagarii
7. S. Francisci Castilionis Empuriarum
8. S. Mariae de Jesu Redis
9. S. Mariae de Remediis Insulae
10. S. Bartholomaei Pulchripodii
11. S. Mariae de Jesu Cervariae
12. S. Thomae Apostoli Vici
13. S. Francisci Villaefrancae Poenetentium
14. S. Francisci Montisalbi
15. S. Francisci Villaefrancae Confluentis
16. S. Francisci Bergae
17. S. Michaelis Scornalbou
18. S. Sebastiani Bisbalis
19. S. Annae Alcoverii
20. S. Joannis Riudonis

CX. Hac in provincia est recollectorum custodia sub titulo Nominis Jesu, habetque coenobia
1. S. Mariae de Jesu Figueriae
2. S. Mariae de Jesu Dertusae
3. S. . . . . de Illa
4. S. Mariae Angelorum Hortae
5. S. Mariae de Jesu Ilerdae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. B. M. Virginis de Petralbis
2. S. Mariae in Hierusalem Barcinonis
3. S. Clarae Gerundae
4. S. Clarae Perpiniani
5. S. Clarae Castillionis
6. S. Clarae Tarraconis
7. S. Clarae Dertosa
8. S. Francisci Ilerdae
9. S. Elisabeth Barcinonis

CONVENTUS DISCALCEATORUM PROVINCIAE ARRABIDORUM.

CXI. 1. S. Mariae de Rabida
2. S. M. de Consolatione Pallahes
3. S. Mariae de Pietate Salvaterrae
4. S. Mariae de Pietate prope Ulyssiponam
5. S. Catharinae supra Mare
6. S. Mariae de Jesu prope Santarenum
7. S. Josephi prope Ulyssiponam
8. S. Crucis Montis Sintra
9. B. Mariae de Aegypto Turrisnovae

10. S. M. Magdalenae apud Eboram
11. S. Michaelis prope Obbidum
12. B. Mariae de Angelis Torresvedras
13. Spiritus Sancti apud Ulyssiponam
14. Conceptionis prope Pallahes
15. (*) S. Irenia prope Ulyssiponam

1. Hospitale Ulyssiponis
2. Hospitale Santareni

PROVINCIAE S. JOSEPH DISCALCEATORUM CONVENTUS.

CXII. 1. S. Isidori Sylvae Lorianae
2. Imm. Conceptionis Petrosi
3. S. Joan. Baptistae Vitiosae
4. Dominae nostrae de Rosario Orapessae
5. S. M. Magdalenae prope pagum Ligni
6. S. Andreae de Monte Arenis
7. Dominae nostrae de Angelis Cadafalsi
8. Dominae nostrae de Carduo Hontiveros
9. S. Bernardini Matriti
10. S. Ludovici Paracnellos
11. B. Mariae Bonillae
12. Dominae nostrae de Gratia Pennarandae
13. S. Francisci Alaejos
14. S. Joseph Metymnae de Campo
15. S. Pauli Cocae
16. Corporis Christi Martinmunoz
17. S. . . . . Arroyo del Puerco
18. S. Bartholomaei Villaenovae de Serena
19. Dominae nostrae Antiquae Augustaeemeritae
20. Nominis Jesu Zeberos
21. Angeli Custodis Compluti
22. S. Michaelis de Victoria Plici
23. S. Antonii Abulae
24. S. Petri Consuegrae
25. S. Josephi Toleti
26. S. Sebastiani Aunonii
27. S. Joan. Baptistae Zamorae
28. S. Annae Talabricae
29. S. Jo. Evang. Turris Stephiani
30. S. Francisci Jepes
31. S. Gabrielis Segobiae
32. S. Laurentii Conchae
33. Conceptionis Baragiae
34. (*) S. Annae de Valenas
35. (*) S. Bernardini Valentiae
36. (*) S. Josephi Salamanticae
37. (*) Assumptionis de Yllescas
38. (*) S. Lazari de Arevalo
39. (*) S. . . . . de Malagon
40. (*) S. Francisci Villae Cassin, sive de Valtenas

PROVINCIAE S. ANTONII PORTUGALLIAE CONVENTUS.

CXIII. 1. S. Antonii a Castanheira
2. S. Antonii Pontis Limae
3. S. Francisci Jamacensis
4. S. Catharinae a Carnota
5. S. Mariae de Mosteiro
6. S. Francisci prope Turrim a Mencorvo
7. S. Antonii Ulyssiponensis
8. B. Mariae de Laureto prope Tancos
9. S. Francisci prope Villamregiam
10. (*) S. Antonii Viennae
11. (*) S. Antonii Visensis
12. (*) Visitationis B. V. Cazanova
13. (*) S. Antonii Caminiensis
14. (*) S. Antonii de Penela, ad quem translati sunt fratres S. Francisci in Monte Oves.
15. (*) S. Antonii de Pino
16. (*) S. Antonii a Merceana
17. (*) Dominae nostrae Angelorum de Soveral
18. (*) S. Antonii Seremensis
19. (*) S. Antonii de Sartagine
20. (*) S. Antonii de Cantanhede

21. (*) S. Antonii Arcnensia
22. (*) S. Antonii Lapidicensis

Sunt etiam oratoria clausnrae legibns subjecta, in qnorum singulo sex degunt fratres, eremitarum more viventes.

1. S. Mariae ab Insula
2. S. Francisci de Vianna
3. S. Francisci Montisvisensis

Provincia haec habet etiam valitudinarinm juxta oppidnm Bemfica', una leuca ab Ulyssipona. Subditam etiam habet custodiam S. Antonii Brasilis, qnae nnnm S. Mariae ad Nives Phernambncae coenobium nnmerat.

PROVINCIAE S. JOANNIS BAPTISTAE DISCALCEATORUM CONVENTUS.

CXIV. 1. S. Joseph Illicae seu de Elche
2. Dominae nostrae de Lorito extra oppidum de Monforte
3. Dominae nostrae Pietatis de Sollana
4. S. Annae de Villena
5. S. Jacobi de Almansa
6. S. M. Magdalenae de Yecla
7. S. Annae de Monte Jumillae
8. S. Antonii de Ayora
9. Dominae nostrae de Angelis Lyriae
10. S. Joannis Baptistae da la Ribera Valentiae
11. Dominae nostrae de Nivibus, seu de Angelis Almenarae
12. S. Sebastiani de Castalla
13. S. Onnphrii Setabia, seu de Xativa
14. S. Antonii de Beniganin
15. Dominae nostrae de Gratia de Villaregali
16. (*) Imm. Conceptionis oppidi de Callosa
17. (*) S. Rochi Gandiae

PROVINCIAE GRANATENSIS CONVENTUS.

CXV. 1. S. Francisci Cordnbae
2. S. Francisci Ubetae
3. S. Francisci Beatiae
4. S. Francisci de Monte
5. S. Francisci de Arizafa
6. S. Francisci Gienni
7. S. Francisci prope Loxam
8. S. Francisci prope Bazam
9. S. Francisci Accii
10. S. Francisci Abdara
11. S. Francisci Alhambrae
12. S. Francisci, vel S. Jacobi prope Veletinm
13. S. Francisci Alcaudete
14. S. Ludovici Azubiae
15. S. Francisci Granatae
16. S. Annae Iliturgii
17. S. Stephani Plici
18. S. Laurentii Montiliae
19. S. Francisci Bujalance
20. S. Francisci Alcalaregiae
21. Matris Dei Illiciae
22. S. Francisci Vaenae
23. S. Francisci Cazorlae
24. S. Francisci Linarez
25. S. Fraucisci Martos
26. S. Mariae de Jesu de Rute
27. (*) S. Annae Forojuli
28. (*) S. Mariae Angelorum de Miraflores

MONASTERIA MONIALIUM.

1. S. Catharinae } Cordubae
2. S. Agnetis } Cordubae
3. S. Crucis } Cordubae
4. S. Elisabeth de Angelis } Cordubae
5. S. Clarae Ubetae
6. S. Nicasii ibidem
7. S. Elisabeth Granatae
8. S. Mariae de Angelis ibidem

9. S. Antonii Beatiae
10. B. Mariae Virginis ibidem
11. S. Clarae Gienni
12. S. Clarae Forojulii
13. S. Clarae Alcaudete
14. S. Elisabeth de Angelis Bazae
15. S. Joannis Baptistae Cazorlae
16. S. Clarae Loxae
17. Conceptionis B. Mariae Velez Malaga
18. S. Clarae Montiliae
19. Assumptionis B. Mariae Aquilarii
20. Conceptionis B. Mariae Virg. Abdarae
21. (*) S. Catharinae Beatiae

PROVINCIAE CANARIAE CONVENTUS.

CXVI. 1. S. Bonaventurae Fortisventurae
2. S. Francisci Canariae
3. S. Antonii Galdaris
4. S. Michaelis Victoriarum Lacunae
5. S. Laurentii de Ortava
6. Dominae nostrae de Angelis Garacici
7. Imm. Conceptionis Palmae
8. S. Francisci Gomerae

Monasterium S. Clarae Lacunae

PROVINCIAE S. CRUCIS IN INSULA HISPANIOLAE CONVENTUS.

CXVII. Coenobiorum hujus provinciae album exscripsimus a P. Josepho Torrubia accuratissimo scriptore, qui chronicon seraphicum hujus provinciae lib. 1. cap. 17. pag. 71. et seq. Romae anno MDCCLVI. vulgavit.

1. Conceptionis civitatis S. Dominici
2. S. Salvatoris de Havana
3. S. Jacobi Cubae
4. S. Francisci Bayami
5. Conceptionis in civitate S. Augustini
6. S. Jacobi Legionensis
7. S. Catharinae de Guale
8. S. . . . . in insula S. Petri
9. S. Joannis Portusrici
10. S. Bonaventurae Guadalquivi
11. S. Dominici de Asao
12. S. Antonii de Guadaloe
13. S. Annae de Patano
14. S. Antonii Truxilli Venezuelae
15. Purificationis Barquesimeti
116. Dominae nostrae de Angelis de Tucuyo
17. S. Francisci de Maracaibo
18. S. Luciae de Carora
19. Dominae nostrae de Salcedo de Coro
20. S. Bonaventurae Valençiae
21. S. Mariae Cumenae

Monasterium S. Clarae civitatis S. Dominici

CUSTODIAE S. THOMAE APOSTOLI APUD INDOS ORIENTALES CONVENTUS PROVINCIAE PORTUGALLIAE SUBJECTAE.

CXVIII. Coenobiorum hujus custodiae numerus exhibitus fuit comitio generali Romae hoc anno habito, a Gaspare Ulyssiponensi illius custodiae praeside, qui in pluribus differt ab illo Francisci Gonzaga.

1. S. Francisci de Goa
2. S. Antonii de Cochim
3. S. Antonii de Baçaim
4. Matris Dei Recollectorum Goae
5. S. Barbarae de Chaul

ORATORIA.

CXIX. 1. Spiritus Sancti de Damao
2. Boni Jesu de Cananor
3. S. Antonii de Conlao
4. Sacr. Stigmatum S. Francisci de Negapatao
5. S. Antonii Recollectorum de Tana

DOMUS DOCTRINALES.

CXX. 1. Matris Dei de Chaul
2. Dos Reyes Magos
3. SS. Trinitatis de Nagoa
4. Salvatoris de Cirula
5. B. Mariae de Spe in Candolim
6. S. Thomae in Aldona
7. S. Antonii de Ciuli
8. B. M. V. de Remedia in Nellur
9. S. Jacobi in Cranganor
10. B. Mariae Virginis de Speranza in Vaipim
11. Matris Dei in Manar

APUD INSULAM DE SALCETE.

CXXI. 1. B. Mariae Virginis de Conceptione in Manapacer
2. Assumptionis B. Mariae Virginis in Caranja
3. S. Michaelis in Maim
4. B. Mariae Virginis de Speranza in Bombaim
5. S. Thomae in Pare
6. S. Antonii in Turumba
7. B. M. V. de Nazareth in Painel

APUD BACAIM.

CXXII. 1. Domus Agacaim
2. Montis Calvarii
3. Matris Dei in Palle
4. Spiritus Sancti in Comparata

CXXIII. Ad custodiam S. Thomae apectat custodia S. Francisci de Malaca, quae unico coenobio titulo Matris Dei in ipsa civitate posito constat.

PROVINCIAE S. EVANGELII CONVENTUS.

CXXIV. 1. S. Francisci Mexici
2. S. Jacobi Tlatilulci
3. S. Gabrielis Tlacubae
4. Corporis Christi Tlalnepantlae
5. S. Christophori Ecatepecii
6. S. Bernardini Xuchmilci
7. Assumptionis B. M. V. Milpae
8. S. Antonii Tecomicii
9. S. Jacobi Chalcoabegni
10. S. Ludovici Episcopi Tlalmanalci
11. S. Antonii de Padua Tetzcuci
12. S. Andreae Chiajuhtlae
13. S. Ludovici Vexutlae
14. S. Joannie Baptistae Tentioacanis
15. Imm. Conceptionis Otumbae
16. S. Francisci Tepepulci
17. Omnium Sanctorum Cempoallae
18. S. Joan. Baptistae Tulantzingo
19. S. Laurentii Tultitlanis
20. S. Bonaventurae Quauhtitlanis
21. S. Francisci Tepecxici
22. S. Joseph Tullae
23. S. Petri Xilotepecii
24. S. Martini Alvexujucanis
25. S. Joan. Baptistae Sechu

26. Assumptionis Deiparae Tulucae
27. S. Joan. Baptistae Metepecii
28. SS. Petri et Pauli Collimajae
29. Annuntiationis B. M. V. Quaubnaoacii
30. S. Jacobi Xiuthepecii
31. Assumptionis Deiparae Tuchmilcii
32. S. Francisci Totomioacanis
33. Assumptionis Deiparae Tlazcallae
34. S. Joan. Baptistae Tutellae
35. S. Philosophi Cuixtlae
36. S. . . . . oppidi Nativitatis B. Virginis
37. S. Francisci Topojanci
38. S. . . . . oppidi S. Annae
39. Imm. Conceptionis Atlivetzae
40. S. Ludovici Quamantlae
41. SS. Petri et Pauli Cacatlanis
42. S. Michaelis Vexotzingi
43. S. Gabrielis Cholullae
44. S. Mariae de Jesu Atlixci, alias Acapetlaocanis
45. S. Martini Quauhquechulae
46. Assumptionis B. V. Amozocii
47. S. Jacobi Tecallis
48. S. Francisci Tepejacaci
49. S. Joan. Evangelistae Acatzingi
50. S. Thomae Apostoli oppidi ejusdem nominis de Acatzingo
51. S. M. Magdalanee Quechulaci
52. Assumptionis Deiparae Tecamachalci
53. Imm. Conceptionis Teocanis
54. Nativitatis Domini Nalapae
55. S. Francisci oppidi Verae Crucis
56. S. Francisci Habanae

MONASTERIA MONIALIUM.

1. (*) S. Luciae Mexici
2. (*) S. Clarae ibidem
3. (*) S. Clarae ibidem

PROVINCIA HAEC DUAS HABET CUSTODIAS.

Ann. min. ad an. 1577. num. 17.

CXXV. In custodia S. Francisci de Zacatecas sunt domus *doctrinales.*

1. SS. Simonis et Judae de Calpulalpa
2. Assumptionis B. M. V. de Apa
3. S. Bartholomaei Apostoli de Tepetitlan
4. S. Joannis Baptistae de Atlancatepec
5. S. Idelphonsi de Hueyotlipa
6. S. Joan. Baptistae de Totollan
7. S. M. Visitationis de Tepepan
8. S. Marci de Mexicaltzinco
9. S. Mariae de Tlexcalac
10. S. Hieronymi de Aculco
11. S. Mariae de Atzompan
12. S. Andreae de Calpa
13. S. Joannis Baptistae de Quauhtinchan
14. S. Michaelis de Coatlychan

Ibidem num. 18.

CXXVI. Sequuntur domus aliae doctrinales, quas *assistentias* vocant.

1. Nativitatis de Tepetlatzinco
2. S. Michaelis Archangeli de Chapultepec
3. S. Mathiae Apost. de Iztacalco
4. S. Michaelis Archangeli de Acambaye
5. S. Marthae in ripa lacus Salada
6. S. Antonii de las Huertas in villa de Manzera
7. S. Gregorii de Acapulco
8. S. Petri de Atocpam
9. S. Francisci de Cadereyta
10. Dominae nostrae de Angelis de Texacie
11. SS. Regum de Ixhuacan
12. Conceptionis de Tolantoneo
13. S. Andreae de Cholula
14. S. Joannis de Chuacatlan
15. S. Thomae de Monte in regione deserta

CXXVII. Custodia de Tampico S. Salvatoris habet coenobia

Ibid. num. 19.

1. S. Jacobi Maioris Villae de los Valles
2. S. Ludovici de Tampico
3. Assumptionis Dominae nostrae de Azoloama
4. Assumptionis Dominae nostrae de Tamaolipa
5. S. Jacobi Apost. de Tamui
6. S. Francisci de Tanquayalab
7. S. Jacobi Apost. de Tampazquin
8. SS. Petri et Pauli de Talnacu
9. S. Antonii de Padua de Guayabos
10. Conceptionis Dominae nostrae de las Palmas
11. S. Michaelis Archangeli de Tamapachi seu Tamaquicha
12. S. Didaci de Huehuetlan

PROVINCIAE SS. PETRI ET PAULI CONVENTUS.

CXXVIII. In regione Mechoacan Hispanorum et Indorum.

Ann. min. ad ann. 1569. num. 57.

1. S. Bonaventurae Vallisoleti
2. S. Jacobi de Queretaro
3. Conceptionis de Selaya
4. S. Francisci de Pasquaro
5. S. Francisci de S. Philippo

CXXIX. In regione Mechoacan Indorum.

1. S. Francisci de Sinçoha, vel Singonza
2. Assumptionis B. V. Mariae de Erongariquaro
3. S. Hieronymi de Prenchequaro
4. S. Joseph de Taximaroa
5. S. Mariae de Gratia de Acambaro
6. S. Annae de Sacapo
7. Conceptionis B. V. de Unacapan
8. S. Francisci de Pirivan
9. S. Crucis de Tancitaro
10. S. Joan. Baptistae de Sitiquaro
11. S. Francisci de Xiquilpan
12. S. Francisci de Apaceo
13. S. Francisci de Tarimbaro
14. S. Petri de Toliman
15. S. Mariae de Jesu de Tarequaro
16. SS. Petri et Pauli de Cinapiquero

CXXX. In regione Xalisci Hispanorum et Indorum.

1. S. Francisci de Guadalaxara
2. S. Francisci de Colima
3. S. Francisci de Agacatlan
4. Conceptionis B. V. de Ycatlan
5. S. Francisci de Suchipila
6. Assumptionis B. V. de Sapotlan
7. S. Francisci de Saqualco

CXXXI. In regione Xalisci Indorum.

1. S. Joan. Baptistae de Tuchpan
2. Transfigurationis de Autlan
3. S. M. Magdalenae de Capotitlan
4. S. Francisci de Sayula
5. S. Sebastiani de Techalutla
6. S. Joannis Evangelistae de Atoyaguar
7. S. Michaelis de Teoquitlatlan
8. S. Andreae de Axixiquar
9. S. Francisci de Chiapala
10. SS. Petri et Pauli de Pencitlan
11. S. Michaelis de Cocolan
12. S. Antonii de Padua de Tlaxomulco
13. S. Francisci de Tegul, seu Teulis
14. Conceptionis B. V. de Xala
15. S. Joan. Baptistae de Xalisco
16. S. Francisci de Centicpac
17. S. Francisci de Guainamota
18. S. Francisci de Saponeta
19. S. Francisci de Amacheca

(*) Monasterium monialium in oppido de Queretaro

PROVINCIAE S. JOSEPH DE JUCATAN CONVENTUS.

Ibidem.

CXXXII. 1. Assumptionis Meridae
2. S. Francisci Campechii
3. S. Bernardini Vallisoleti
4. S. Francisci del Cumchal
5. S. Antonii de Itzmal
6. S. Michaelis Manni
7. S. Francisci del Motul
8. S. Ludovici de Calchini
9. S. Bonaventurae de Homun
10. S. Clarae de Cicantum
11. SS. Regum de Titzimin
12. S. Augustini de Tichante
13. S. Joan. Baptistae de Tichaz
14. S. Francisci de Oxcutzab
15. S. Francisci de Xuchechan
16. S. Francisci de Hunuema
17. S. Dominici de Valma
18. S. Francisci de Human
19. S. Antonii de Ticul
20. S. Michaelis da Timax
21. S. Francisci de Thelojac
22. S. Michaelis de Maxcanu
23. Conceptionis de Campoton
24. SS. Petri et Pauli de Cachalchen
25. Assumptionis de Mococha
26. S. Francisci de Chechemila
27. SS. Petri et Pauli de Tiab
28. Assumptionis de Chjchen
29. S. Joannis Evangelistae de Muna
30. S. Francisci de Canzachal
31. S. Stephani de Calodmat
32. S. Baruabae del Tija
33. S. Antonii de Zachachen
34. Assumptionis de Mama
35. S. Marci de la Mexorada
36. S. Clarae de Conopip
37. (*) Conceptionis B. V. Mariae de Tichel

PROVINCIAE SS. XII. APOSTOLORUM CONVENTUS.

Ibid. ad ann. 1565. num. 20.

CXXXIII. 1. S. Francisci Limae
2. S. . . . . Potosi
3. S. . . . . Cuzci
4. S. . . . . Crequipae
5. S. . . . . Cuquiagensis
6. S. Bernardini Goauiensis
7. S. Clarae Chachapogiarum
8. SS. Annuntiationis Truxilli
9. S. Francisci Ivomangae
10. S. . . . Vallis Caxalmalcae
11. S. . . . . Vallis Cochabambae
12. SS. Conceptionis Vallis Xaucae
13. S. Francisci civitatis Assumptionis
14. S. Annae civitatis S. Fidei

PROVINCIA HAEC DUAS HABET CUSTODIAS.

CXXXIV. In custodia de Tucuman sunt conventus
1. S. Martini Episcopi in oppido S. Mariae Talabricanae de Steco
2. S. Jacobi Apostoli in civitate ejusdem nominis
3. S. Francisci in civitate Sancti Michaelis
4. S. Georgii Martyris in civitate Cordubae, ubi sunt duae domus doctrinales

CXXXV. In custodia Panamae, sive Terrae Firmae est conventus
(*) S. . . . . Panamae
(*) Monasterium S. Clarae in eadem civitate

CXXXVI. In hac provincia habentur domus *doctrinales*.

1. Domus Arequipae
2. Vallis Jucanicae in oppido Guailapamba
3. In oppido S. Petri, et in oppido S. Pauli Cuqniagensis
4. Duae Goanicenses
5. In oppidis Chiclajo, et Guancao Truxilli
6. In valle Caxalmalcae septem
7. In valle Collaguae tresdecim
8. In valle Poconae quinque
9. In valle Collao duodecim

CXXXVII. In laudata valle Collaguae sunt sequentes domus *doctrinales*.

1. SS. Conceptionis de Anquicollagua
2. S. Jacobi de Villa Castrin
3. SS. Conceptionis de Loxa
4. S. Jacobi de Madrigal
5. Assumptionis B. V. de Maca
6. S. Mariae ad Nives de Canllayma
7. Los Reyes de Ashama
8. S. Joannis Baptistae de Hibobamba
9. S. Joannis ad Portam Latinam de Hivay
10. S. Crucis de Tuti
11. S. Joan. Evangelistae de Civay
12. S. Antonii Callalli
13. S. Petri de Tisco

PROVINCIAE S. FRANCISCI DE QUITO CONVENTUS.

CXXXVIII. 1. S. Francisci de Quito
(*) Collegium S. Bonaventurae ibid.
Domus *doctrinales*
S. Clarae oppidi Pomazquii
S. Joannis Crotocollai
S. Gregorii Penuhii
2. S. Antonii Pasti
Ad coenobium hoc pertinet *doctrinalis* domus oppidi Tucarismedio
3. S. Francisci Conchae
Domus *doctrinales*
S. Ludovici Pruti
S. Jacobi Gualaxii
4. S. Joseph Loxae
5. S. Bernardini Popajanis
Domus *doctrinales*
S. Antonii Chisquiorum
S. Lucae Evang. Cocuncorum
6. Imm. Conceptionis Tacugnae
Domus *doctrinales*
S. Joannis Evang. Saqnisili
S. Francisci Mulahali
S. Bonaventurae Truxilli
S. Antonii Fagii
7. Dominae Nostrae de Angelis Caranguae
8. S. Ludovici Episcopi Ottaballi
Domus *doctrinales*
S. Marthae de Tuntaquio
S. Annae de Cotacachio
S. Pauli de Lacu
S. Michaelis de Uroquoquio
9. S. Mariae de Valle Guainomorani
Domus *doctrinales*
S. Andreae
S. . . . . Monte Piuipio
10. S. Joannis Evangelistae
Domus *doctrinales*
S. Joannis de Puni
SS. Petri et Pauli ibidem
11. S. . . . . Almanguelis
Duae sunt *doctrinales* domus quarum nomina latent.

Monasterium Immaculatae Conceptionis civitatis S. Francisci de Quito

PROVINCIAE NOMINIS JESU DE GUATEMALA CONVENTUS.

Ibid. num. 57. CXXXIX. 1. S. Francisci Guatemalae
2. Assumptionis de Tecpanatitlan
3. S. Jacobi de Atitlan
4. S. Joan. Baptistae de Comalapa
5. S. Michaelis de Totonicapa
6. S. Francisci de Tegpanova
7. S. Antonii de S. Salvador
8. S. Antonii de Chiapa
9. S. Catharinae de Ciqninala
10. (*) Conceptionis de Almeria
11. (*) Spiritus Sancti del Quetzo
12. Conceptionis de Zonzonate
13. Conceptionis de Zamajac
14. S Jacobi de Cotzumaluapa
15. S. S. Bartholomaei de Cortilla
16. S. M. Magdalenae de Patulul
17. S. Jacobi de Momostenango
18. S. Antonii de Nexapa
19. Assumptionis de Guestecpan
20. S. Francisci de Cortilla

(*) Monasterium Immaculatae Conceptionis Guatemalae

CXL. In custodia de Honduras conventus habet
1. S. Antonii de Comajaua
2. S. Michaelis. . . . .
3. S. Andreae de Nacaome
4. S. Mariae ad Nives de Amapal
5. S. Francisci de Panahactoel
6. S. Hieronymi de Agalteca
7. S. Joannis de Zuluaco
8. S. Didaci de Tegusigalpa
9. S. Petri de Laguna
10. S. Andreae de Itzapa

PROVINCIAE S. GEORGII DE NICARAGUA CONVENTUS.

CXLI. 1. Assumptionis B. V. in oppido de Nicoya
2. S. Jacobi Insulae Nicaraguae
3. S. Francisci in civitate Granatensi
4. Assumptionis B. V. Senis
5. S. Francisci in oppido de Carthago
6. S. Laurentii in oppido de Esparza
7. S. Ludovici in oppido de Azerri
8. Assumptionis B. V. in oppido de Pacaqua
9. S. Antonii de Padua Turrialbae
10. S. Bonaventurae, vel Conceptionis B. V. in oppido de Uxarrazi
11. S. Hieronymi in oppido de Agalteca
12. S. Antonii de Padua Comajaguae
Ibidem. 13. (*) Assumptionis B. M. V. in oppido del Viexo
14. (*) S. Jacobi de Xinotepet
15. (*) Imm. Conceptionis in oppido de la Yzla
16. (*) Imm. Conceptionis in. oppido de Nicaragua
17. (*) S. Annae in oppido de Namdarine
18. (*) S. Annae in oppido de Chinandega
19. (*) S. Antonii de Padua in oppido del Realeso
20. (*) S. Bonaventurae in oppido de Atirro
21. (*) S. Bartholomaei in oppido de Barha
22. (*) S. Bernardini in oppido de Quepo
23. (*) S. Matthaei in oppido de Chirripo
24. (*) S. Francisci in oppido de Leon

PROVINCIAE S. FIDEI IN NOVO REGNO GRANATENSI CONVENTUS.

CXLII. 1. Purificationis B. V. in civitate S. Fidei *Ibidem*
2. S. M. Magdalenae de Thunga
3. S. Mariae de Loreto de Carthagine
4. Recollectionis de Carthagine
5. S. Antonii de Mompox
6. S. Ludovici de Velez
7. S. Mariae de las Palmas
8. S. Ludovici de Anzerma
9. S. Francisci de Manquita
10. S. Francisci Ocaniae
11. (*) Recollectionis S. Fidei
12. (*) Recollectionis de Guanduas
13. (*) S. Antonii de Cathago
14. (*) S. Clarae de la Grita
15. (*) S. Sebastiani de Pamplona
16. (*) S. Bonaventurae de Tenerife
17. (*) S. Antonii de S. Martha
18. (*) S. Francisci del Rio de la Hacha
19. (*) Conceptionis B. V. de la Villa
20. (*) S. Ludovici de Folù
21. (*) S. Didaci de Ubate
22. (*) S. Martini de Logamosso
23. (*) S. Bernardini de Boza
24. (*) S. Francisci de Zipaquira
25. (*) Conceptionis B. V. de Zatira

Monasterium S. Clarae in civitate S. Fidei.

CXLIII. Habet domus *doctrinales* apud civitatem S. Fidei.
1. Domus de Suacha
2. Del Chia
3. De Nemocon
4. Del Tuzo
5. De Cogua
6. De Suta et Tauza
7. De Cucumba
8. De Zinega
9. De Tuquene

CXLIV. Habet domus *doctrinales* apud de Thunga.
1. Domus de Motavita
2. De Tiravicoba
3. De Yza
4. De Socota
5. De Toca
6. De Tota et Guaquira
7. De Guitiba

CXLV. Habet domus *doctrinales* apud Carthaginem.
1. Domus de Zipacua
2. De Cariez et Bahaire

CXLVI. Habet domus *doctrinales* apud de Mompox.
1. Domus de la Xegua
2. De Baranquillas
3. De Menchiquero

CXLVII. Habet domus *doctrinales* apud de Velez.
1. Domus de la Platahar
2. De las Xuntas
3. De Chipata

CXLVIII. Habet domus *doctrinales* apud de las Palmas.
1. Domus de Yacupi
2. De las Arboledas
3. De Marcha
4. De Cacota

CXLIX. Habet domus *doctrinales* apud de Musco.

1. Domus de Yacupi
2. De los Bailadores
3. De Mamatoco
4. De Quinchia
5. De Panna
6. De Mazinga
7. De Tabuja
8. De Pindana

CL. Habet domus *doctrinales* apud de Mauquita.

1. Domus de Rioseco
2. De Sazaimas
3. De Nerbiti
4. S. Joseph del Ataco
5. De Purnio
6. De las Estancias
7. S. Joannis del Obo
8. S. Francisci de Yquira et Nataga

PROVINCIAE SS. TRINITATIS DE CHILE CONVENTUS.

CLI. 1. B. Mariae de Succursu civitatis S. Jacobi
2. Conceptionis apud civitatem Conceptionis, seu de Penco
3. S. Francisci Serenae, seu de Coquimbo
4. SS. Cosmae et Damiani Osornii
5. S. Mariae de Angelis Angolis
6. S. Francisci de Jesu civitatis Imperatoriae
7. Dominae nostrae de Remediis Valdiviae
8. S. Francisci Castri, sive Chiloae
9. S. Mariae ad Nives Civitatis Divitis
10. S. Francisci de Monte
11. S. Bartholomaei de Chillan
12. S. . . . . prope Valdiviam

Monasterium Tertiariarum Osornii

PROVINCIAE S. GREGORII INSULARUM PHILIPPINARUM DISCALCEATORUM CONVENTUS.

Ibidem ad ann. 1586. num. 21.

CLII. 1. Dominae nostrae de Angelis Maniliae
2. Dominae nostrae de Angelis Amacai
3. S. Francisci in oppido de Caceres
4. S. Mariae de Laureto de Sampaloc
5. S. Didaci de Polo
6. S. Idelphonsi de Tanay
7. S. . . . . de Baras
8. S. . . . . de Longos
9. Nativitatis B. V. de Paquil
10. S. Mariae Majoris de Bula
11. S. . . . . de Bao
12. S. . . . . de Libgnanan
13. S. . . . . de Oas
14. S. . . . . de Minalabag
15. S. . . . . de Cogsava
16. S. Michaelis de Tabayas
17. S. . . . . de Guinobatan
18. Collegium Amacai
19. Xenodochium Maniliense
20. (*) Xenodochium Caceriense

CLIII. *Doctrinales* domus hujus custodiae in provincia Bulacan.

1. Domus de Meycavayan
2. De Catangalan
3. De Bocavi

CLIV. In provincia de Lacu Bay domus *doctrinales*.

1. Domus de Morong
2. De Pililla
3. De Caboan
4. De Siniloan
5. De S. Cruce
6. De Paete

CLV. In provincia Tabayas et de Montibus domus *doctrinales*.

1. Domus Nagcarlang	4. De Luchan
2. De Mauban	5. De Saryaya
3. De Gumaca	

CLVI. In provincia Camarines domus *doctrinales*.

1. Domus de Camarines	4. De Indam
2. De Iraga	5. De Daet
3. De Canamam	

CLVII. In provincia Albay domus *doctrinales*.

1. Domus de Albay	4. De Tabaco
2. De Donsol	5. De Malinao
3. De Sorsogon	6. De Bulusan

CLVIII. Provincia haec subditam habet custodiam S. Didaci in Mexico, cujus conventus sunt

1. S. Cosmae apud Mexicum	3. S. Matthaei ibidem
2. S. . . . . de Cherobusco ibid.	

CLIX. In laudem Francisci Gonzaga ordinis administri generalis, et scriptoris historiae seraphicae franciscalium vetustioris observantiae ita cecinit Antonius Peretti Tarantinus.

Hoc tibi lector habe, cupies cognoscere facta
  Qui franciscanae religionis, opus:
Omnia namque simul disces ab origine prima,
  Quae loca, quae ratio, gloria quanta virum:
Tum quos doctrina insignes vel murice tellus
  Est mirata, poli tum quibus aula micat:
Quo fuerint etiam revocati ad pristina mores
  Tempore, quo leges, qui tulerintque novas:
Traxerit unde sibi tantum observantia nomen
  Cui Decimus titulos, signa deditque Leo.
Nec solum veteri narrat bene cognita terrae;
  Affert ipse domus Indus uterque suus.
Auctorem vis nosse? dedit Gonzaga minister,
  Qui majora potest, haec monumenta tibi.

CLX. Ceterum litteris et alii floruere. Inter minores observantes Franciscus de Sousa Tavares Lusitanus, olim Malacae urbis in India occidua praefectus, edidit Ulyssipone an. MDLXIV. *doctrinam christianam*, et anno MDLXXXVII. Eborae *librum de vocatione*. Marcus Camara, Waddingus et Sbaralea habent *Camera*, Complutensis, inter minores observantes cooptatus in provincia S. Evangelii, edidit hoc hanno Mexici *conciliationem et expositionem locorum difficilium Sacrae Scripturae*. Eo in opere quod nuncupavit Hieronymo Gusman commissario generali Indiarum, sexcenta ejusdem Scripturae loca exponuntur. Compluti hoc anno, et insequenti edidit etiam typis Joannis Gratiani *elenchum concionum pro dominicis totius fere anni, praecipuis festivitatibus Domini, et communi Sanctorum*.

Sbaralea in supp. ad script. lit. F.

De scriptoribus ordinis lit. M.

Beristain in Bibliotheca Hispano-Mexicana tom. 1. lit. C.

Compluti item an. MDXCIV. scripsit *de animalibus Sacrae Scripturae*. Ejus laudes hoc epigrammate contexuit p. Thomas Pineli.

Hesperia lux, franciscanae gloriae gentis,
Et Complutensis spes et alumnae laris:
Marce decus nostrum, tua nunc se fama per orbem
Latius effundit, te celebratque magis.
Haec monumenta tui ingenii, nunc prodita luci
Perpetuo illustrant nomen honore tuum.

Idem ibidem lit. J. CLXI. Joannes Salmeron lector sacrae theologiae in coenobio Tlatelulco, et ejusdem provinciae minister, praeter ea quae asservantur in actibus Synodi III. habiti in civitate Mexicana, scripsit *responsiones theologicas* ad haec quinque postulata. 1. *an sit licitum dicere: nunc non quaero pro fide mori?* 2. *an sit bona illatio: est magis certum; ergo est magis evidens?* 3. *haec propositio: Christus est homo divinus, est vera?* 4. *an pro absolutione sacramentali illi qui loquelam amisit, sufficiant aliqua signa resipiscentiae?* 5. *utrum haec propositio: animalia et plantae sunt de natura humana, est vera?* Haec mss. extant in laudato coenobio. Hoc etiam tempore litteris florebat Joannes Ayala jam doctor sacrorum canonum in universitate Parisiensi, qui ab Hispania in provinciam de Zacatecas se contulerat praedicandi evangelii causa. In coenobio S. Aloisii Potosi scipsit Sbaralea lit. B. *opus canonico-morale*, quod ibidem mss. asservatur. Henricus Sedulius Cliviensis vulgavit et hoc anno *vitam S. P. N. Francisci cum imaginibus*, commendatam a Justo Lipsio. Cum commentariis prodiit iterum anno MDCI.

Idem. ibid. lit. J. CLXII. Inter minores conventuales litteris inclaruere Joannes Dovetus Gallus, qui scripsit *Monotessaron formalitatum*, tribus libris divisum, dicavitque Olivario de Francha Ecclesiae majoris Venetensis, ecclesiastico facundissimo, et ejusdem conventus guardiano, epistola data Parisiis an. MDLXXIX. Praelo commissa fuit etiam Venetiis hoc anno typis HH. Melchioris Sessae. In operis fronte est hoc epigramma.

Fontani libros praeclaros Rethoricorum
Excuses, Ciceronis topicorum; opera
Et lyrici quorum jam me lectura manebat;
Istos cum studui exponere luminibus.

Idem. ibid. in addenda pag. 727. Franciscus Como *regens* studii Florentiae scripsit et misit ad Dionysium de Costacciario inquisitorem ejusdem civitatis *dissertationem* in duas partes divisam, in quarum prima agit, *quibus de causis Summus Pontifex movetur, et moveri debet, ut aggregare possit et debeat aliquem doctorem inter Patres Ecclesiae*; in altera, *an hujusmodi conditiones reperiantur in S. Bonaventura*. In coenobio Montis Ilcini hoc mss. asser-

Idem. ibid. lit H. vabatur. Hieronymus Roberti Perusinus scripsit *de Scoti distinctionibus ad Chiappinum Vitellium Sixti V. cubicularium*. Typis commissum fuit

Ann. min. ad an. 1576. num. 40. hoc anno. At Chiappinus Vitellius obierat jam anno MDLXXVI. Sixto V. nondum electo, nisi dicere velimus alterum ejusdem nominis in ea familia vixisse. Scripsit etiam *de entis divisionibus ad Ascanium Corneum Castellionis Marchionem, et de divinis nominibus*.

Boverius tom. 2. pag. 242. et seq. CLXIII. Defuncto, ut diximus, Jacobo a Forosarsino vicario generali minorum capucinorum, circa festum Pentecosten convocatum fuit in Urbe eorumdem generale comitium pro novo deligendo supremo moderatore,

cui Pontificis mandato: *Cum capitulum* die xiv Maii praesedit Julius Antonius Sanctorius cardinalis S. Severinae ordinis patronus. Clavum regiminis accepit Hieronymus a Politio Siculus, et procuratoris generalis officium adeptus est Christophorus Assisias. In eo decretum est, ut generalis vicarius expleto triennio, ad aliud triennium posset confirmari; procurator vero generalis post triennium a suo munere absolveretur. Lugdunensis provincia ob sui amplitudinem partita fuit in S. Bonaventurae, et S. Ludovici provincias; provincia Mediolanensis divisa fuit in Mediolanensem et Brixiensem. Obedientialibus litteris missi sunt Constantinopolim, praeside Petro a Cruce, fratres ut in ea verbum Dei disseminarent, inter quos connumeratur S. Joseph a Lionissa, sanctitate ac doctrina praestantissimus. Sunt litterae Pontificis: *Cum vos* die xxvii. Junii eodem Petro de Cruce, Aegidio a S. Maria, et Dionysio Romano datis, quibus Pontifex multa largitur.

CLXIV. Cum autem Joseph una cum sociis « maritimo itinere se » commisisset, non unum habuit divinae erga se voluntatis atque bene» volentiae evidentissimum argumentum. Exorta siquidem repente horri» bili tempestate, cum navis in immensum crescentibus fluctibus operi» retur, nautis omnibus animum despondentibus, non modo solus Jo» seph tamquam vir magnae fidei non dubitavit, sed omnium admira» tione precibus suis obtinuit, ut subito fieret in mari tranquillitas ma» gna. Cum viaticum paullo post fuisset exhaustum, pauculas quasdam » quae Josepho forte supererant, panis reliquias ad ejus preces adeo Deus » amplificavit et auxit, ut omnibus ad vescendum illae suppeterent. E» gressus autem e navi, cum reliquum itineris pedibus conficere consti» tuisset, quaque versum sibi foret eundum penitus ignoraret, fratris fi» lium jam pridem e vivis in oppido Leonissae sublatum sibi habuit » occurrentem, qui, patruo ejusque sodalibus ad quoddam B. Virginis » templum urbi Constantinopolitanae conterminum ductis, ex omnium » conspectu improvisus evanuit ». *Ex monum. S. R. C. apud Benedictum XIV. tom. 7. pag. 61.*

CLXV. « Diviuis hisce laetus auguriis Urbem Joseph ingressus, nullis » incommodis, nullis laboribus, nullis difficultatibus frangi potuit aut » retardari, quo minus christianos homines in miserrima illa captivitate » jacentes, omni qua poterat, ope levaret, erigeret, solaretur. Quin etiam » cum ea spe teneretur, si ad ejurandam mahumetanam superstionem su» premus ipse Turcarum tyrannus adduci potuisset, fore ut facile po» pulus universus voluntati exemploque principis se conformaret, vehe» mentiori quodam religionis studio inflammatus, eum adire constituit ei» que se ducem esse et auctorem ad amplectendam Christi doctrinam. » At vero, dum magno animo, fidentique expleturus consilium suum in » intima principis cubicula pedem tentat inferre, regii satillites concursu » facto hominem comprehendunt, et pugnis, calcibus, verberibus, om» nique contumeliarum genere cruciatum, in arctam custodiam detrudunt. » Gaudebat athleta Christi fortissimus, quod dignus habitus esset, qui » contumelias atque tormenta pro Jesu nomine pateretur, nihilque illi gra» tius poterat evenire, quam si inter supplicia quaelibet acerbissima chri» stianam fidem suo sanguine confirmaret. Votis ejus arrisit Deus. Lata » enim in eum mortis sententia saevissimo quodam supplicio perimendus, » satellitibus traditur, a quibus pede manuque dexteris unco ferreo e su-

» blimi suspensus est ea lege, ut tamdiu ex ea trabe penderet, quamdiu » dolore et fame confectus crudelissimo mortis genere animam exhalaret. » Spe tamen sua frustrati sunt, quamvis enim neque ipse martyrio, neque » martyrium ipsi defuerit, sola tamen ea mors defuit, quam unam, ut » dissolveretur, essetque cum Christo, ardentissime cupiebat. Postquam » scilicet triduo hujusmodi crudele supplicium invicto animo toleraverat, » fidemque catholicam elata voce testatus fuerat satellitibus, igne famoque » supposito frustra obnitentibus, ut voce interclusa halituque prohibito » vel interiret, vel concionari desineret; factum est, ut Angeli in forma » pueri beneficio vinculis solutus ex unco deponeretur. Curatis subinde » ab eodem de repente vulneribus, viribusque cibo aliquantulum repa» ratis, in Italiam jussus est remeare, aliud martyrii genus pro bono chri» stianae reipublicae subiturus. Cui cum vir sanctissimus paruisset, iter» que repeteret, graecum Antistitem qui turpiter a religione desciverat » atque in impietatis praemium gerendam, primariam acceperat praefectu» ram, ab errore suis concionibus revocatum secum victor abduxit ».

CLXVI. « Itaque in Italiam (duobus post annis) reversus, satis ex» plicari non potest, quam assiduum fortemque legis divinae praeconem » sese praeberet, et quantus in eo esset, ut male affectos fideles redu» ceret ad sanitatem, probos vero acrius ad virtutem, et pietatis studium » accenderet. Cum vero prospiceret abunde semper in urbibus sacros sup» petere concionatores, qui animarum saluti religionique consulerent, contra » autem in pagis, villis, locisque campestribus, ubi messis est multa, » paucos esse operarios, qui ambulantibus in umbra mortis evangelicae » veritatis lumen afferrent; hos ipse sibi erudiendos, informandos, evan» gelizandos studiose proposuit. Totius igitur anni curriculo, quadrage» simali praesertim tempore per vicos et castella circumiens vir vere apo» stolicus tanta aestuabat erga proximos charitate, ut dies integros a solis » ortu usque ad occasum itineribus, concionibusque consumaret, et sexies, » septies, undecies etiam aliquando, atque duodecies diversis locis, di» versis populis, diversis argumentis eodem semper fervore spiritus, eadem » semper mentis alacritate quotidie concionaretur. Mirandum plane quod » vir totis austeritatibus pene consumptus, sacco indutus, cilicio, loricaque » ferrea praecinctus, solo quandoque panis frustulo ab agricolis pauperri» mis ementicato sub vesperam pastus, imbre saepissime madidus, vehe» mentissimo aestu solis exustus, ardenti etiam febri aliquando cruciatus » ut Christo lucrifaceret animas, tot itineribus non cessaretur, tot labo» ribus non frangeretur, nulla aeris intemperie perterreretur, nulla cor» poris aegritudini retardaretur ».

CLXVII. « Neque tamen his solum confiniis, licet amplissimis, chari» tatis ejus spatia contineri potuerunt; sed ea usque adeo extendi voluit, » ut cum tot flumina emitteret aquae vivae ad irriganda fidelium corda » e suggesto, non ideo tamen sibi acquiescendum putaret. Si quos enim » praeterea a veritatis tramite errantes intellexisset, eos ipse in privatis » etiam eorum domibus, in pubblicis etiam semitis convenire non dubi» tabat, eosque exhortando, obsecrando, increpando in omni patientia et » doctrina, transferre de tenebris et umbra mortis in regnum filiorum Dei » totis viribus conabatur. Quin etiam intelligens, quemlibet adolescentem » juxta viam suam, etiam cum senuerit, ab ea non recessurum, pue-

» risque rite institutis perennem fieri pietatem, ad eos etiam instruendos
» informandosque charitatis suae viscera dilatavit. In ecclesiis igitur, in
» plateis, in vicis, in domibus, in ipsis montium cavernis quos invenire et
» congregare poterat, rusticos pueros et pastores primis fidei elementis
» instruere, necessaria religionis mysteria edocere, salutaribus monitis con-
» firmare, sancto timore Domini imbuere, patientia incredibili, summa-
» que sui spiritus suavitate, quoties licuit, minime praetermisit ».

CLXVIII. Sua etiam comitia habuerunt hoc anno die xvii. Maii Asculi in Piceno, fratrum numero M.M.D.CCLIV. minores conventuales, praeside Evangelista Pellei de Furce vicario generali ordinis, cui Pontifex: *Ut istius* die xxix. Aprilis facultatem contulerat promovendi in hoc capitulo ad magisterii gradus L. sui instituti professores. Hieronymus de Montepolitiano confirmatus fuit in munere procuratoris generalis. Communi vero electorum suffragio commissum fuit ordinis regimen laudato Evangelistae quem confirmavit Pontifex magistri generalis titulo. Autographum damus ex regesto secretariae brevium manu nostra exscriptum. *Bernoff. pag. 277.* *Idem ibid. in catal. procurat. pag. 35.*

SIXTUS PAPA V.

Dilecto filio Evangelistae de Furce ordinis fratrum minorum conventualium, et theologiae professori, ac ejusdem ordinis magistro generali salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus, tu in capitulo generali ordinis fratrum minorum conventualium in civitate Asculan. nuper celebrato in magistrum generalem ejusdem ordinis ad triennium alias modo et forma solitis et rite et recte ac canonice electus fueris, Nos hujusmodi de te, quem salubri dicti ordinis directioni plurimum utilem et idoneum fore speramus, factam electionem ratam et gratam habere illam, ac omnia et singula eam concernentia rite et recte ut praefertur gesta, apostolica auctoritate tenore praesentium ex certa nostra scientia confirmamus et approbamus. Supplentes omnes et singulos juris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, teque in eodem generalatus officio ad dictum triennium instituimus, et solita benedictione benedicimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et dicti ordinis et juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. *Ex reg. Secr. Brev. in mense Junii pag. 131.*

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die IV. *Junii Pontificatus nostri anno* III.

M. Vestrius Barbianus.

CLXIX. In coenobio S. Mariae de Aracoeli Urbis convocatum item fuit generale capitulum fratrum minorum de observantia. Franciscus cardinalis de Medicaeis ordinis protector facultatem accepit a Pontifice in eo praesidendi: *Cum capitulum* die XIII. Maii. Voluit autem Pontifex, ut Franciscus a Tolosa commissarius generalis curiae romanae vocem passivam et activam in eo haberet: *Cum capitulum* die XIII. Maii; ac, ut expleto sexennio, generales administri suo munere absolverentur: *Circumspecta* die XIV. ejusdem mensis. Totius ordinis minister, loco Francisci Gonzaga, cui octennio praesedit, salutatus est laudatus Franciscus a To- *Chronol. Seraph. tom. 1. pag. 336. et seq.*

losa hispanus e Cantabriae provincia ; Thomas a Massa Picenae provinciae minister commissarius generalis cesalpinae familiae, Franciscus de Arcubiana custos provinciae Cantabriae procurator generalis in romana curia, et Paulus de Gravina minister provinciae S. Nicolai commissarius romanae curiae.

CLXX. Caeteri rerum publicarum administratores delecti sunt ; definitores generales ultramontanae familiae Franciscus de Astudulio minister provinciae Flandriae, Joannes Hayus minister provinciae Coloniae, Franciscus Altereta minister provinciae S. Jacobi, Hieronymus de Contamina minister provinciae Aragoniae, Petrus Normandeo custos provinciae Turoniae, Petrus Colongius custos provinciae Aquitaniae antiquioris ; definitores ciamontanae familiae Hieronymus ab Hiapello custos provinciae Romanae, et SS. D. N. Sixti Papae V. confessarius, Joannes Maria a Colle provinciae Tusciae pater, Ludovicus a Madalono minister provinciae Terrae Laboris, Bartholomaeus a Judiciaria guardianus conventus S. Mariae de Aracoeli de Urbe, Franciscus Balerna provinciae Mediolani, Marcus Bosnensis custos provinciae Bosniae Argentinae ; minister provinciae Candiae Archangelus Justinianus provinciae Genuensis pater, guardianus conventus S. Mariae de Aracoeli Marianus a Cilento provinciae Romanae pater ; guardianus Hierusalem Joannes Baptista a Montejano provinciae Marchiae pater, qui secum quinquaginta sodales adduxit, quorum decem tamen in Insula Candiae, instante archiepiscopo, reliquit pro consulendis necessitatibus christifidelium illic degentibus ; guardianus S. Clarae Neapolia Daniel a Meduna procurator generalis ordinis, guardianus S. Mariae Magdalenae ejusdem urbis Jacobus a Portu provinciae Genuae pater, guardianus S. Mariae Aegyptiacae ejusdem civitatis Joseph de Cerreto provinciae Marchiae pater, guardianus conventus S. Crucis Oeniponti Hieronymus de Marchis ab Arcu, ejusque vicarius Bernardinus a Judiciaria.

Joannes Calorra in hist. prov. Siriae et Terrae Sanctae pag. 514

LEGES EDITAE IN CAPITULO ROMANO.

CLXXI *Pro utroque familia*. « 1. Interdicantur conversationes intrinsecae saecularium tam mulierum, quam virorum, quibuscum nemo tractet, nisi quantum necessitas exegerit.

» 2. Patres ordinis gaudeant privilegiis eorum, qui fuerunt ministri in suis provinciis.

» 3. Secretarii ministri generalis sint patres suarum provinciarum et socium habere possint.

» 4. Ministri provinciales abstineant quantum in Domino poterunt, a mittendis fratribus extra provincias ; nec admittant ad praedicandum, confessiones audiendas, vel ad sacros ordines fratres non suos subditos.

» 5. Nemo assumatur in commissarium curiae, aut procuratorem ordinis, nisi fuerit minister provincialis.

» 6. Nemo egrediatur septa conventus absque licentia petita, et obtenta a guardiano, exceptis ministris generalibus, atque etiam commissariis generalibus officio functis ; praeterea iis, qui definitores generales extiterint, qui sine licentia alicujus, cum socio sive electo sive assignato extra conventum exire queant.

» 7. Commissarii visitatores provinciarum non possint recipere aliquem

» ad habitum religionis, seu novitiatum, inconsultis actualibus patribus » earumdem provinciarum.

» 8. Qui praelato suo aliquid occultaverit in visitatione, quod correctione indiget, atque id fecerit absque legitima causa, acriter puniatur.

» 9. Habeantur ut nullae dispensationes omnes, sive renuntiationes vocis » activae et passivae, quas obtinent nonnullae moniales in electionibus » abbatissarum.

» 10. Apostatae prima vice puniantur ad normam statutorum Aquilae, » et Vallisoleti. Secunda vice addatur eis poena comedendi in terra panem » cum aqua sine caputio, quindecim continuis diebus. Tertia vice in » perpetuum priventur actibus legitimis, voceque activa et passiva.

» 11. Ministri provinciarum indicent ministro generali, et procuratori » ordinis apostatas cum eorum criminibus.

» 12. Qui percusserit fratrem, vel saecularem gladio, baculis, aut pugillis, aliisque hujusmodi, praeter poenam alias statutam, privetur » voce activa et passiva, et omnibus officiis in perpetuum. Insuper per » mensem continuum edat in refectorio ter in hebdomada, appensis ad » collum ejus instrumentis percussionis.

13. Nemo inferior ministro, et commissario generalibus, fratrem ali» quem Hierosolymam mittere possit.

» 14. Non mittatur guardianus Hierosolymitanus cum sua familia, nisi » tempore capituli, vel congregationis generalis.

» 15. Ad lectoratus officium non promoveantur, nisi illi qui probati » fuerint per ministrum et definitores.

» 16. Instituantur studia theologiae generalia et privilegiata Romae in » Aracoeli, Neapoli in S. Mariae de Nova, Venetiis in S. Francisci de » Vinea, Bononiae in S. Annuntiationis, et in S. Francisci de Monte coe» nobiis. In his habeantur lectiones per totum annum, exceptis diebus festis » et canicularibus. Insuper in conventibus S. Francisci Salamanticae, et » Compluti.

» 17. Quolibet anno quilibet lector perlegat integrum librum senten» tiarum.

» 18. Lectores singuli unum tantum socium habeant sibi gratum qua» cumque dignitate polleant, etiamsi perfuncti sint provincialatus officio, » iis exceptis, qui commissarii generalis munus jam absolverint.

» 19. Possunt studentes assumi ex qualibet provincia; illorum tamen » praemisso examine a commissario generali, vel patribus ab eo depu» tatis, qui inquirant, an studentes mittendi ad studia generalia comple» verint cursum logices, et philosophiae.

» 20. Studentes provinciae, in qua adest studium generale, praeferantur » exteris.

» 21. Numerus studentium Neapolis sit xxxv. Venetiis xvi. totidem» que Romae, Bononiae, et Perusiae, quos inter non computentur socii » lectorum.

» 22. Triennio vacent sacris litteris, nec possint habendis concionibus » et confessionibus audiendis operam dare.

» 23. Si quis eorum non intersit circularibus disputationibus et repe» titionibus lectionum sine legitima causa, puniatur disciplina, vel ali» ter ad arbitrium.

» 24. Extra vacautiae tempus et dies festos non teueantur adesse primae; » quo tempore, duae habeantur lectiones; nec completorio, neque illis » temporibus quibus a meridie fiet circulus, vel lectionum repetitione oc- » cupati erunt.

» 25. Non sint dispensati ab oratioue mentali, quae iu hyeme habea- » tur per integram horam post matutinum; iu aestate post nonam. Qui » contrafecerit, plectatur disciplina, sive aliter ad arbitrium guardiani; qui » si fuerit negligentior, deponatur a munere suo.

» 26. Ministri provinciales provideant studentes provinciae suae de oleo, » papyro, femoralibus, calepodiis, et amictu. Pro exteria exigeat octo » coronatos, seu scuta quolibet anno, vel a praedicatoribus, vel ali- » unde, juxta eorum prudens judicium.

» 27. Praeter vacantiae tempus studentes uon egrediantur a conventu » uisi bis iu mense. Possit tameu guardianus eis facultatem concedere ade- » undi campos, lectoribus annuentibus.

» 28. Guardianus Hierusalem, et commissarius Terrae Sanctae officio » suo functus, gaudeat iu sua provincia iuter exministros provinciales.

CLXXII. *Pro familia ultramontana.* « 29. Procurator et commissarius » in romana curia, munere absoluto, sint discreti propriae provinciae, » et secundum iu illa locum habeant. Idem sit de definitoribus genera- » libus, durante eorum officio, quoad consessum, non vero quoad di- » scretoriatum.

» 30. Ministri et commissarii praesidentes electioni alicujus guardiani » non assumant secretarios, vel scribas suos pro auditoribus.

» 31. Nullum celebretur capitulum intermedium, sed negotia omnia » absolvantur in congregatione, quae capituli vim obtinet.

CLXXIII. *Pro Hispanis.* « 32. Instituatur commissarius in curia Regis » Catholici pro expediendis negotiis, nec ad id muneris aliquis actu guar- » dianus assumi queat.

» 33. Habeatur in quolibet conventu lectio sacrorum canonum, cui qui » biennio non interfuerit, non admittatur ad excipiendas confessiones sae- » cularium.

» 34. Ministri provinciales iu suis visitationibus examinent confessarios » per se, vel alium, idoneosque confirment, caeteros rejiciant.

» 35. Praeses capituli provincialis, sive intermedii, quod praecedit ca- » pitulum generale, instituat notarium, seu scribam, et testes, qui se- » creto excipiant defectus praelatorum ab omnibus vocalibus, deferendos » ad capitulum generale.

» 36. Quod si non capitulum sed congregatio habenda sit pro electione » custodis, aut alia re, tunc minister provincialis moneat guardianos, ut » electis notario et testibus in suis conventibus, inquirant secreto hujus- » modi defectus, eosque chirographo communitos, et sigillo firmatos mit- » tant ad congregationem. Ejus deinde patres processum forment accurate.

» 37. Ministri ituri ad capitulum generale, vel alio, relinquant sigil- » lum provinciae ei, in quem major pars definitorum, et discretorum » iu congregatione consenserit.

» 38. In ea congregatione, et quacumque alia, definitores et discreti » habeant votum decisivum.

» 39. Suffectus defuncto definitori non possit eligi in definitorem in » capitulo proxime subsequenti.

» 40. Nullus guardianus sufficiatur defuncto definitori; quod si secus » factum fuerit, guardianatu se abdicet.

» 41. Suffecti teneant ultimum locum inter reliquos definitores.

» 42. Commissarii visitatores uti possint minori sigillo provinciae quam » visitant, et mittere fratres in alias provincias pro negotiis munus sibi » commissum concernentibus.

» 43. Abbatissae non possint iterum eligi, nisi post duos annos.

CLXXIV. *Pro Indis.* « 44. Nemo ad habitum recipiatur ante XII. ae» tatis annum expletum.

» 45. Juvenes professi non mittantur extra conventum ante annum com» pletum a professione. Sed possint mitti ad studia ante annum eumdem, » arbitrio ministri provincialis cum consilio discretorum.

» 46. Possit eligi commissarius, qui provinciarum novi regni Grana» tensis, de Quito, Caracarum, et S. Dominici curam gerat, ex ele» ctione ministri generalis.

» 47. Commissarius generalis Indiarum habeat vocem activam et pas» sivam in capitulo et congregatione generalibus, et in capitularibus actio» nibus. Praeterea possit animadvertere in fratres quoslibet reos sive in In» diam euntes, sive ab Indiis revertentes.

» 48. Qui commissario generali Indiarum non paruerit, incidat in poe» nam excommunicationis, et privetur officiis actibusque legitimis.

» 49. Instituatur in conventu S. Francisci Hispalis a generali commis» sario Indiarum, absente generali ministro, vicecommissarius, qui una cum » socio a se assumpto eidem commissario subjaceat, et pareat.

» 50. Quicumque in Nova Hispania transierit ad recollectos, aut discal» ceatos, et postmodum eos deseruerit, eam provinciam ex qua primo » solvit, repetere teneatur, et si hoc praetextu redierit in Hispaniam, » puniatur tamquam apostata.

» 51. Amoveatur ab officio minister, qui in Nova Hispania receperit » fratres missos regiis sumptibus in aliam provinciam.

» 52. Licitum sit commissario generali apud Indos agenti, si neces» sarium fuerit, advenientes fratres de provincia in provinciam transferre.

» 53. Guardianus officio functus, ad tempus prosequatur officium suum.

» 54. Definitores et minister provincialis, absoluto munere, possint » eligi in guardianos.

» 55. Sub poena excommunicationis latae sententiae fratres omnes re» linquant domos doctrinales presbyteris saecularibus, si id jusserit Rex » Catholicus.

CLXXV. *Pro Gallis, et Germanis.* « 56. Non mittantur commissarii » in provincias, nisi a ministro, vel patribus petantur; vel minister ge» neralis ex legitima causa mittendos judicaverit.

» 57. Fratres beneficiati, seu curati, se non immisceant rebus ordi» nis, et privatis habitent in aedibus.

» 58. Regantur provinciae juxta nova, vel antiqua statuta, et con» suetudines, regulae puritate incolumi.

» 59. Discreti conventus Parisiensis admittant obedientias omnes mini» stri generalis; alias privetur guardianus.

» 60. Custos trium provinciarum Galliae habeat rationem doctrinae in » promotione lectorum ejusdem conventus, ministri provincialis, et defi- » nitorum judicio.

» 61. Solus minister generalis possit licentiam dare promovendi aliquem » ad lecturam sententiarum. Si alius eam concesserit, is privetur officio.

» 62. Incorporati in una provincia non discedant ab illa, nisi de li- » centia ministri generalis, vel consentiente utriusque provinciae ministro.

CLXXVI. *Pro Cisalpinis.* « 63. Clerici non ascendant ad presbytera- » tum, nisi post annum a subdiaconatu, et post duos annos a diaconatu.

» 64. Praedicatores in alienas provincias missi, etiam a ministro ge- » nerali, benedictionem petant a ministro provinciali aut voce, aut per » epistolam.

» 65. Priventur officio ministri provinciales, et definitores, qui ad- » miserint aliquem ad praedicationem, antequam compleverit triennium » in studio theologiae. Sic promotus, cesset decennio a praedicatione.

» 66. Nemo eligatur in confessarium monialium, qui non ascenderit » ad aetatis annum XL. et XX. in religione; nec socium habeat, nisi » senem, maturum, atque exemplarem.

» 67. Confessarii monialium post biennium vacent per integrum an- » num; secus non amplius deputentur. Idem sit de sociis, ubi com- » mode fieri possit.

» 68. Guardiani sint aetatis XXX. annorum, et X. in religione. Nemo » autem ad id munus assumatur, nisi vel antea ipsum peregerit, vel » biennio saltem fuerit vicarius, aut magister novitiorum. Excipiuntur » provinciae ultramarinae.

» 69. Nemo eligatur definitor, qui non vixerit in ordine saltem XV. » annos, et prius triennio magistri novitiorum, aut clericorum officium » exercuerit, vel sexennio praedicaverit, vel triennio fuerit a secretis mi- » nistri provincialis, aut aliorum majorum praelatorum.

» 70. Commissarii in provincias deligantur exministri, vel exprocu- » ratores, aut excommissarii curiae.

» 71. Sub poena privationis vocis activae et passivae, nemo fratrum, » aut monialium scribat alteri, nisi sub his formulis: ministro, et com- » missario generalibus: *Reverendissimo*: patribus ordinis: *Multum Re-* » *verendo*: ministris: *Reverendo*: praelatis, lectoribus, et praedicato- » ribus: *multum venerando*: simplicibus sacerdotibus: *Venerando*: cle- » ricis et laicis: *devoto religioso.*

» 72. Ministri provinciales examinent per se, vel alium confessarios » saecularium.

» 73. Sint perpetuo privati voce activa et passiva, actibusque legitimis » illi, qui postea ob crimen ad triremes damnati, vel morte plectendi » essent, misericordiam fuerint consequuti.

» 74. Dum superiores sunt eligendi, praeses et discreti provinciae no- » minent duos testes ad minus, et unum secretarium, omnes de cor- » pore capituli, ad quos accedant suo ordine electores petentes ad minus » duo nomina, quae secretarius notabit, totque schedulas exhibebit, » quot fuerint nomina eligendorum petita.

» 75. Liberum sit electoribus unam ex iis schedulis secreto assumere. « Eam vero reponant in vase coram praeside, et capitulo, conjectis aliis

» schedulis in aliud vas, et vocalibus in locis suis ordinatim sedentibus, » donec fiat electio.

Haec omnia rata habuit Pontifex vulgato brevi : *Ut communis cura* die xxix. Julii.

CLXXVII. Latae fuerunt in hoc capitulo a generali ministro leges pro reformatis Siciliae, quorum regimen commissum erat Ambrosio de Politio custodi.

Fr. Franciscus a Tolosa ordinis fratrum minorum generalis minister et servus, admodum venerando patri custodi et guardianis reformatorum provinciae Siciliae ejusdem ordinis salutem in Domino.

Cum nostrum sit favere piae devotioni, et puritatem vitae desiderantes, nostra augere auctoritate, ac gratiis, ac privilegiis munire apportunis, ea propter affectum cordis, quo erga vos feror, omnes gratias sequentes quas petistis, et vobis mihi necessariae videntur, benigne concedo. Tognoletto pag. 171.

1. *In primis quod dictus custos et ejus successores possint novitios, juvenesqne examinare, vestire, et ad professionem recipere, confessores fratrum ac saecularium, ac praedicatores approbatos in capitulo licentiare, procuratoresque instituere, ad sacros ordines clericos promovere, et mittere, et ab omnibus censuris, casibus, et irregularitatibus ministro reservatis absolvere et dispensare, dictamque auctoritatem videlicet a casibus reservatis ministro, absolvendi in festis solemnibus, aliisque prout eis visum fuerit, in foro conscientiae committere possit, et in actualibus visitationibus.*

2. *Item, quod nullus inferior nostri audeat loca reformatorum ab his amovere, nisi quando custodi, cum consensu majoris partis vocalium custodiae, in capitulo provinciali aliqua rationabili causa relinquendum esse videbitur.*

3. *Item, quod custos, occurrente necessitate, possit extra provinciam ire, ac etiam de praedictis fratribns mittere.*

4. *Item, quicumque fratres provinciae vestrae ad vos venerint, et vobiscum permanere voluerint, in quocumque tempore, petita licentia a custode, recipi possint.*

5. *Item, quod minister non possit amovere aliquem fratrem a praefatis locis, et ad alia loca praedicta ponere, nec novitios restare, sine consensu praedicti custodis.*

6. *Item, quicquid custos cum consensu majoris partis vocalium dictorum locorum, in capitulo provinciali, fratribus praefatis, pro suo bono modo vivendi, et arctioris vitae observantia prohibuerit, nullo modo minister, aut commissarius concedere possit, sed tantum custos, cujus judicio permaneat.*

7. *Item, quod custos eligere possit guardianos praefatorum locorum, quos minister cum definitoribus in provinciali capitulo confirmare teneatur.*

8. *Item, quod minister non possit fratribus praedictis dare licentiam alicubi, nec etiam mittere quacumqua ex causa, sine consensu praedicti custodis.*

9. *Item concedimus pro conservatione reformationis, patres custodes pro tempore existentes recipere posse fratres aliarum provinciarum, venientes cum litteris obedientialibus suorum superiorum.*

Praecipimus per sanctam obedientiam, et aliam poenam nostro arbi-

trio praefigendam, quod nullus nostri inferior possit vos in praefatis impedire. Valete, et Deum pro me orate.

Datum Romae in conventu nostro Aracoelitano die XXVI. *Maii* MDLXXXVII.

Fr. Franciscus de Tolosa qui supra manu propria.

Fr. Thomas a Massa commissarius generalis manu propria.

Conv. Vignanelli. *Truli pag. 47.*

CLXXVIII. Pro minoribus conventualibus positi sunt hoc anno in provincia Romana conventus S. Laurentii Mart. in oppido Vignanelli dioecesis civitatis Castellanae, magistro provinciae Tullio. Ecclesiam una simul cum aliquibus cellulis a fundamentis erexit domina Octavia Orsini Marescotti, uxor Sfortia Marescotti oppidi comitis; iidem fratres hoc anno e conventu S. Catharinae extra oppidum Gruptarum dioecesis Montisflasconi transierunt ad alium intra eumdem oppidum titulo S. Marci; in provincia Marchiae Pontificis mandato: *Decet Romanum Pontificem* nonis Septembris receperunt conventum S. Francisci Corinaldi dioecesis Senogalliensis, quem Pius V. anno MDLXVIII. dederat observantibus, ut satisfaceret incolarum precibus; jubet item Pontifex, ut eis restituantur aedes adjacentes in antiquo coenobio Savonae pro eorum incolatu: *Etsi mendicantium* die . . . Septembris. Hoc tempore degebant iidem fratres in conventu S. Francisci Montis Rasi in provincia Corsicae, olim excitatus pro observantibus. Ignoratur tempus hujus translationis. Innocentius Sarcona commissarius visitator fratrum minorum conventualium reformatorum in provincia Aquilana mandatum accipit a Pontifice recipiendi in urbe Neapolitana domum pro iisdem fratribus: *Sacrosanctum* die XX. Junii. An autem postea receperit, ignoramus; ante hoc tempus ipsi incolebant conventum S. Luciae de Monte in eadem civitate, qui fuit velut eorumdem fratrum seminarium.

Conv. Gruptarum. *Idem pag. 115.*

Conv. Corinaldi. *Ann. min. ad an. 1568. num. 100.*

Conv. Savonae.

Conv. Montis Rasi. *Julius de Bastia in chron. prov. Corsicae pag. 122. Gonzaga in ead. prov. conv. 5.*

Ann. min. ad an. 1554. num. 32. Casimirus a S. Maria Magdal. t. 1. p. 14.

Petrus de Panormo in chron. prov. Panormit. lib. 3. c. 4.

CLXXIX. Et ut eorum fratrum historiam ab exordio petamus, anno MDLIV. juxta Josephum Mariam ab Ancona, vel anno MDLVII. juxta Casimirum a S. Maria Magdalena, fratres minores conventuales Michael Palaferro de Montella, Paulus Stephano de Nola, Franciscus Senisio de Piescumpagnano arctioris vitae percupidi, reformatorum conventualium congregationem ordinare coeperunt, Domino servientes in paupertate, humilitate, summaque vitae asperitate. Scribit autem Petrus de Panormo id evenisse post annum MDLXII. quando extincta fuit congregatio a Hieronymo Lanza instituta; tunc enim non laudati fratres, sed Antonius Calascibeta, Bonaventura de Partanu, Martinus de Tauromina, Andreas de Novella, aliique olim digressi ex instituto minorum conventualium, auctores fuerunt hujusmodi reformationis. In tanta rerum obscuritate, illud indubium ést, quod ob eorumdem sanctimoniae opinionem aliquot cives fratresque conventuales commoti, inter eos cooptari voluerunt. Quare pro eorum incolatu, ut augerentur aedes necesse fuit. Hinc praeter laudatum S. Luciae coenobium, alia et obtinuerunt diversis in provinciis, nimirum coenobium S. Priscae de Urbe, S. Sebastiani Ponzani in provincia Romana, et S. Caeciliae V. et M. in suburbio Messanae, S. Mariae de Gratia Squinzani, S. Jacobi Licii, S. Mariae a Citrella Capriae, S. Antonii abbatis Mancosae, Marcianisii, S. Rosaliae in Monte Pellegrino Panormi, Caldarolae in Marchia Anconitana, et in Etruria. Cum autem hoc tempore Romae degeret Joannes Baptista de Pisanro franciscanus discalceatus, et ex Pontificis voluntate apostolici concionatoris munus per Italiam obiret, eorumdem con-

versatione illectus, inter eos, etsi Sixti V. litteris ad Siuense imperium iterum peragrandum instructus, una cum sociis petiit adscribi. Voti compos factus, quae de habitu, legibus, consuetudinibus discalceatorum fratrum erant, in coenobiis conventualium reformatorum habere voluit. Hinc Sixtus eorum fratrum minorum conventualium reformatorum congregationem commendans, vulgata constitutione: *Apostolici muneris* idibus Octobris adprobavit, habitum fratrum designavit, regimen disposuit, privilegia conventualium eisdem contulit, et eorumdem generalibus et provincialibus subjecit. Qua in constitutione notandum est supremum ordinis minorum conventualium moderatorem modo magistrum, modoque ministrum appellari. Ut fidem habeamus, hoc loci eam subjicimus.

Celano notizie della Città di Napoli giornata 6.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex bullario Cherubini t. 2. pag. 597. Romae 1618.

Apostolici muneris solicitudo, divina dispensatione Nobis licet immerentibus delegata, indesinenter requirit, ut circa statum religiosarum personarum quarumlibet, illarum praesertim, quae ex singularis devotionis fervore sub strictioris religionis jugo, gratum Deo famulatum praestare affectant, et continuo insistunt, assidua mentis cogitatione invigilantes, ad ea, per quae regularis vitae institutum in melius dirigetur ipsaeque personae religiosae in hujusmodi earum laudabili instituto, semoto quocumque perturbationis et molestiae obstaculo, quiete ac tranquillitatis amoenitate perseverare valeant, propensius intendamus, ac in his officii nostri partes libenter interponamus, prout undique debite pensatis circumstantiis conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. *Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum minorum conventualium reformatorum S. Francisci petitio continebat, quod annis jam pluribus retroactis, nonnulli ordinem fratrum minorum S. Francisci jam tunc expresse professi, strictioris religionis jugum subire, ac ejusdem S. Francisci regulam institutumque pium ac sanctum exactius sequi atque imitari, et sub illis magis gratum Deo famulatum exhibere peroptantes, coeperunt seipsos juxta eamdem regulam paulatim reformare nonnullasque domos, conventus, et loca in provincia Marchiae Anconitanae, in Etruria, ac in Neapolitan. et Siciliae regnis, in quibus ipsam regulam servare, et secundum illam vivere possent, acquisiverunt, et acceptarunt. Licet autem in domibus et locis hujusmodi sub obedientia protectoris, et superiorum ordinis fratrum minorum conventualium hujusmodi vivant, nec ideo ab aliquo potuissent, nec possint, vel debuissent aut debeant, super sic reformato vivendi modo, per quemquam molestari vel impediri; nihilominus in quibusdam locis, et potissimum in praedicto Siciliae regno aliqui locorum ordinarii, sub praetextu, quod haec fratrum reformatorum congregatio, nova ac nequaquam ab Apostolica Sede approbata existeret, permiserunt quidem ipsos fratres reformatos ecclesias et loca fabricari facere, et acquirere, sed postea eos illis de facto spoliarunt, alii vero in aliis locis eosdem super habitu ipsorum, et seu alias ac super aliis molestarunt et inquietarunt. Cum autem sicut eadem petitio*

subjungebat, dicti fratres reformati provide, et ne ipsos, eorumque congregationem super praemissis contingat ulterius inquietari, utque praesens reformatio magis stabilita, non solum manuteneatur, sed incrementum accipiat, speciali nostro et Sedis praedictae privilegio, ut infra, dilectis filiis Protectore et magistro generali dicti ordinis in hoc etiam consentientibus, praefulciri desiderent, ac pro parte eorumdem fratrum reformatorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere, ac eos in hujusmodi pio et laudabili proposito confovere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. *Nos igitur qui personas devotas, praesertim vero eas, quae relicto mundo, Christum secutae sunt, specialibus libenter prosequimur favoribus, eosdem fratres reformatos, ac illorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, reformationem praedictam ubicumque locorum coeptam et introductam, ac in dies introducenda, ac pro ea, et illius felici et prospera directione facta, statuta, et ordinationes cum inde secutis quibuscumque, sicuti pie, ac sancte sancita et ordinata sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illaque omnia per quoscumque locorum ordinarios, et alios ad quos quomodolibet spectat, et spectabit in futurum, inviolabiliter observari debere decernimus, omnesque et singulos, tam juris, quam facti, ac solemnitatum, etiam substantialium defectus, si qui forsan quomodolibet intervenerint in eisdem aut eorum aliquo, de plenitudine apostolicae potestatis supplemus.*

§. 3. *Et nihilominus eisdem fratribus reformatis, quod nunc ac deinceps in perpetuum, ipsi ac eorum congregatio, tam in praedictis quam in quibusvis aliis regnis, et mundi partibus, fratres minores conventuales reformati nuncupari, et pro talibus haberi et reputari, nec non seipsos ubilibet, et in quibusvis actibus publicis et privatis vocare et inscribere, et secundum veram B. Francisci regulam, apostolico more in communi sub dilectorum filiorum nunc et pro tempore existentium dicti ordinis fratrum minorum conventualium protectorum et magistrorum, ac procuratorum generalium et ministrorum provincialium vivere, exceptis dumtaxat domibus, et conventibus Urbis, et civitatis Neapolitan. quae sub obedientia ministri, et in ejus absentia procuratoris generalis ordinis, ut par est, degere, et subesse tantum intelligantur.*

§. 4. *Custodesque provinciae in eis residere debeant, etiamsi aliqui eremiticam, aliqui sub obedientia fratrum minorum de observantia nuncupat. alii vero tamquam tertiarii, aut alias aliam vitam duxerint, seque voto vitae quadragesimalis obligaverint, ac etiamsi postea aboliti fuerint a quibus omnibus votis et professionibus, quatenus opus sit eos et illorum singulos plenarie absolvimus et liberamus, ac habilitamus, plenarieque absolutos et habilitatos esse decernimus.*

§. 5. *Ac quod quicumque ipsorum fratrum reformatorum vocati in quacumque provincia, capitulo seu congregatione provinciali dicti ordinis fratrum conventualium intersint, in quo particularis fiat congregatio diversorum vocalium reformatorum et in ea praesidens ipsius capituli existat ac praesideat, ibidemque custodem reformatum inter ipsos eligat.*

§. 6. *Cujus officium per annum tantum duret, quique visitandi, corrigendi, incarcerandi, puniendi, privandi, collocandi, et deponendi sive*

dislocandi, necnon reformandi, ac primas causas cognoscendi, sicut cognoscit provincialis, dummodo ab ipso provinciali non praeveniatur, et ab ipso ejusque decretis ac sententiis ad ipsum provincialem conventualium relinquatur recursus et appellatio, qui vel quae nunquam impediri queat, quoties opportunum fuerit, sed tantum in eos possit provincialis praedictus quantum in conventuales, de jure, more, laudabilique consuetudine potest et debet.

§. 7. *Et insuper eorumdem fratrum reformatorum quilibet, necnon quaecumque domus, ecclesiae, et loca ipsorum, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, stationibus, caeterisque gratiis tam temporalibus quam spiritualibus, quibus domus, et ecclesiae dictorum fratrum conventualium, eorumque guardiani et fratres, de jure, usu, et consuetudine, vel privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, et sine differentia, dummodo contra puritatem regulae ejusdem B. Francisci non sint, nec ei in aliquo derogent, sed conservationem et augmentum dictae reformationis concernant, uti, frui, potiri, et gaudere possint in quolibet actu.*

§. 8. *Concedit ibidem, ut in quolibet eorum conventu, seu domo sindicum juxta ordinationem fel. record. Nicolai Papae III. praedecessoris nostri super hoc factam, cui per provincialem, custodem, ac guardianum loci, cum aliis fratribus, negocia saecularia, domus, seu conventus, ac computa rationum revidenda, expensae faciendae, provisiones necessariae, pro alimentis et vestimentis, et constructiones, reparationes conventuum, ne commutent habitum, etiam quantumvis rudem vilium pannorum sive veterem, ac de saccis etiam repetiutum et resarcitum; non enim habitus exquisitus, in qualitate vel quantitate decet fratrem reformatum, coloris terrei seu cinericii, ac caputium seu scapularium in capite rotundum, et a tunica divisim gestare, ac ubilibet deferre, nudisque pedibus, aut suppositis solis (sive ut vocant) sandaliis, incedere libere et licite valeant ac etiam debeant.*

§. 9. *Necnon quod ab ordinariis locorum quorumcumque regnorum, et mundi partium, in quibus pro tempore domus seu conventus, et loca habuerint, ac introducti fuerint, aut etiam quibuscumque aliis personis superioribus et praelatis cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existentibus, in hac super tam jam fabricatis, ac receptis et acceptis, quam deinceps quandocumque et ubicumque (de ordinariorum locorum licentia) fabricandis, recipiendis, et acceptandis, per eos ac eis oblatis, et donatis domibus, conventibus, ecclesiis, ac locis, illorumque usu, habitatione, ac retentione liberis, quietis, et pacificis (dummodo tamen de licentia expressa ministri generalis pro tempore existentis dictorum fratrum conventualium, ac capitulo provinciali sic determinante) domos et loca hujusmodi receperint, et acceptaverint, habitusque delatione et aliis praemissis, quovismodo, aut quaesito colore, publice vel occulte directe vel indirecte, ullatenus unquam molestari, perturbari vel inquietari.*

§. 10. *Neque item ipsi fratres reformati aliquos alios fratres alterius cujuscumque ordinis S. Francisci de observantia, ac capucinorum, aut aliorum ordinum, juxta litteras fel. record. Pii Papae V. etiam prae-*

decessoris nostri in forma brevis sub die prima Decembris MDLXIX. *Pontificatus sui anno* IV. *emanatas, sed tantum conventuales, et cum expressa ad hoc habita ministri generalis ipsorum conventualium licentia recipere, minusve sic inter reformatos ex conventualibus recepti professionem alio tempore, vel anticipato, vel non completo anno, vel ante annum sextumdecimum, vel datis, vel intimatis terminis professionis faciendae, et hoc etiam in publica ecclesia, capitulo, vel refectorio, prout ipsi conventuales emittunt, ac nonnisi juxta veram et puram regulam B. Francisci praedictam emittere, neque postquam ad reformatos ex conventualibus sic transiverint, ad dictos conventuales inde reverti; quin etiam praedicti fratres reformati ex saecularibus nullos nisi qui bonae vitae et famae, priusquam in ipsa congregatione reformatorum recipiatur, probati fuerint, ac habita prius a provinciali dictorum fratrum conventualium licentia, quam nec guardiani, custodes, vel commissarii quicumque dare possint, in fratres reformatos recipere queant.*

§. 11. *Demum quod ipsi fratres reformati, et eorum congregatio, dictis fratribus conventualibus, ac cum illis ita uniti sint et esse censeantur, ut nullo unquam tempore liceat illis alios protectores, generales, vel provinciales, quam dictorum conventualium habere, nec in processionibus, et aliis actibus, aliam quam conventualium crucem sequi vel deferre, nisi forte ipsi fratres reformati in aliquo loco fuerint, in quo non adsunt conventuales, quo casu iidem reformati per seipsos ire, ac incedere, sub excommunicationis poena sese a conventualibus unquam separare, aut segregare ullo modo ullove tempore valeant.*

§. 12. *Praesentes quoque, et desuper conficiendae litterae, toti et soli congregationi reformatorum, sub obedientia conventualium in omnibus provinciis viventium suffragentur, ac concessae intelligantur, illaeque per quoscumque uniformiter, etiamsi aliqui hactenus in quacumque provincia privilegium aliquod, aut facultatem particularem, a Nobis, et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet impetrarint, observari debeant, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.*

§. 13. *Ac etiam statuimus et ordinamus easdem presentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis, vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus unquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri debere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras vel constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas, etiam per Nos et successores nostros praedictos, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de praedictae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, necnon quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis pro tempore factis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, necnon quoties illas revocari vel limitari, aut suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum, etiam sub data priori restitutas, et plenarie reintegratas, et de novo concessas esse et censeri.*

§. 14. *Sicque etiam per quoscumque judices etc.*

§. 15. *Non obstantibus etc. Volumus autem quod praesentium copiis*

sive transumptis etiam impressis, et manu alicujus superioris dictorum fratrum reformatorum subscriptis, plenaria ubique fides adhibeatur in judicio et extra, ac si originaliter exhiberentur.

§. 16. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae etc. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVII. *idibus Octobris Pontificatus nostri anno* III.

CLXXX. In Insula Florida hoc anno die XII. Maii coronam martyrii receperunt Balthassar de Castro ex provincia Burgensi, et Petrus ex provincia Castellae minores observantes hispani, qui dum ad illas efferatas gentes verbum Dei annuntiarent comprehensi, ignique traditi, vitam cum morte commutarunt. Hanc insulam jam petierant quatuor alii franciscani observantes ab anno MDXXVII. sub Pompilio Navaez classis praefecto, illuc jussu Caroli V. imperatoris misso, ut suo imperio illam subjugaret. Clemens VII. illo, vel insequenti anno pro Episcopatu provinciae Floridae Joannem Suarez ejusdem instituti mandavit, ut malis et discordiis, quae vigebant inter provinciarum Floridae, et *Rio della Plata* praefectos, et gravissimis Indorum praessuris consulerentur.

Balthassar de Castro, et Petrus mm. *Wadding. in Syl. martyrum et monum. prov. Burgensis. Ann. min. ad an. 1527. n. 14. et 16.*

CLXXXI. In coenobio S. Juliani in villa de Agreda dioecesis Tarraconensis decessit Franciscus Covarruvias, primus istius loci ab ipsomet erecti guardianus. Diu incubuit cum animarum fructu divini verbi praedicationi, et aliquando Philippi II. hortatu copiis suis concionatus est. Diem suae mortis praedixit ex suggestu, postquam velut in Deo absorptus, et mente in seipsum reversus, sermonem continuavit. Die VI. Februarii ad astra migravit in coenobio S. Antonii de Castanheira Antonius, natus in oppido de Antero dioecesis Visiensis in provincia S. Antonii Lusitaniae. Vir erat assiduae poenitentiae et orationis, moribus ac virtute interim conspicuus. Illius oppidi puellam a daemone obsessam, edito ad conspectum viri Dei horribili fremitu ac clamore, incolumem reddidit sola Christi Jesu invocatione. In conventu S. Antonii Ulyssiponae die VII. Aprilis sanctis operibus cumulatus Jacobus ab Arruda laicus in Domino obdormivit. Religiosis perfectionibus emicuit, praecipue tamen abstinentia, et in pauperes charitate cum janitoris munus obiret.

Franciscus Covarruvias. *Monum. mss. pr. Burgensis.*

Antonius de Antero. *De Esperanza tom. 2. pag. 526.*

Jacobus ab Arruda. *Agiologium Lusit. ad diem 7. April.*

CLXXXII. Quievit in conventu S, Sebastiani M. Annionis in provincia S. Josephi die XXI. Aprilis Joannes Ruizius sacerdos, in oppido Bixnega in Hispania natus, qui cum ad Indiam orientalem auri cupiditate se contulisset, a valida maris tempestate exagitatus S. Francisco spopondit, se inter suos velle cooptari, si ab illa liber evasisset. Sponsione facta, procella cessavit. Inde in Hispaniam reversus, minorum observantium habitum sumpsit, quem tamen dimittens, discalceatorum reformationem amplexus est in provincia S. Josephi, at tanto spiritus fervore, ut praestans evaserit in virtutibus, innumeris afflictactionibus ac jejuniis deditus. Ante ejus mortem recreatus est visione S. P. Francisci. Hoc eodem anno ibidem obiit Petrus Caracensis laicus, mirabilis in austeritate vitae, licet adversa semper valetudine. Interim nudis pedibus absque sandaliis incedebat. In conventu Dominae nostrae de Guadalupe fratrum ordinis S. Hieronymi coelestia petivit die XI. Maii, dum ad comitium provinciale discalceatorum S. Josephi pergebat, Benedictus de Cogolluto sacerdos, vir in ora-

Joannes Ruizius. *Monum. prov.*

Petrus Caracensis. *Monum. prov.*

Benedictus de Cogolluto. *Monum. prov.*

tione a Deo cumulatus suavissimis raptibus. Mortis suae diem fratribus praedixit, antequam a coenobio discederet, dicens: *valete fratres: ego enim orientem versus eo*, coelum manu ostendens.

Angelus a Roccalmuto. *Tognoletto p. 472.*

Cherubinus a S. Lucia. *Idem ibidem.*

CLXXXIII. Inter minores observantes reformatos provinciae Siciliae die xiv. vel xv. Augusti mortales exuvias deposuit in conventu S. Nicolai Agrigenti Angelus a Roccalmuto, duobus ab emissa professione mensibus. Clericus dum esset, dies suos admirabili puritate, ac religiosa conversatione transigebat. Cilicio aspero ad nudam carnem revinctus erat. In eodem conventu die xxx. Augusti item obiit Cherubinus, ortus piis opulentisque parentibus apud pagum S. Luciae, a quo cognomen accepit. Bonae indolis puer, abstinentiae deditus erat, tantaque spiritus humilitate exornabatur, ut etiam domus suae servorum pedes nonnumquam ablueret atque abstergeret. Viginti annos natus, inter fratres minores observantes adscriptus fuit. Verum cum in Sicilia franciscalium reformatorum opera introducta esset quaedam arctioris vitae ducendae ratio, ideo ad hujusmodi fratres protinus transivit, brevique post tempore virtutum laude floruit. Paupertate ac poenitentia delectabatur. Ejus cibus ac potus erat panis et aqua, exceptis diebus Nativitatis et Paschatis Domini. Cilicii asperitate, et ferreis flagellis corpus jngiter affictabatur, brevesque somnos super asseres carpebat. Divinis contemplationibus ac orationibus jugiter flexis genibus vacabat. Laboriosa ac domus viliora munia summa cupiditate exquirebat, alacriterque obibat. Profusis lacrymis sanctum Deo offerebat missae sacrificium. Ob miraculorum ad suum tumulum frequentiam actum fuisse auctoritate apostolica pro ejus canonizatione processum scimus ex libro Neapoli anno mdcxxi. edito typis Joannis Dominici Roncalioli.

Philippa de Cruce. *De Esperanza tom. 2. p. 121. Agiologium Lusitan. ad diem 2. Februarii.*

CLXXXIV. In monasterio S. Clarae Ulyssiponae, lxxxvii. annos numerans, coelesti sponso unita est die ii. Februarii Philippa de Cruce. Humilitatis semitam arripiens, oblatas monasterii dignitates semper recusavit, infirmisque sororibus toto vitae suae tempore, charitate summa qua praedita erat, inserviens. Signo crucis quamplures ex illis sanavit; aliae vero tactu ejus vestis sospitatem recuperarunt. Orationis ac contemplationis dono interim exornabatur. Delectabatur corporis macerationibus ita, ut se caederet ad sanguinis effusionem. Suae cellae commorans, saepe psalmum *misere* recitabat, et ad illa verba *tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, lapide pectus tundebat. Superiorum jussu missa fuit ad reformandum monasterium de Safra in provincia S. Michaelis, et alterum de Castanheira in provincia Portugalliae, cujus studio collapsa regularis disciplina apprime refloruit. Post ejus mortem corpus olevit, pulchrumque simul ac splendescens adparuit. Funeri adstiterunt cujuslibet ordinis cives, ut manus deoscularentur, et habitus particulas sibi assumerent, quae infirmis admotae varios languores curarunt. Philippae acta fuso calamo descripsit Maria de Praesepe ejus consodalis.

Agnes Diaz. *De Torres p. 530.*

CLXXXV. Pietosa justorum morte occubuit in monasterio S. Clarae Cordubae in provincia Granatensi die xv. Januarii Agnes Diaz, quae ut a Deo culparum suarum veniam obtineret, pectus lapide dire percutiebat. Brevi sopori super stoream se dabat, semelque in die herbis silvestribus coctis reficiebatur. Cum ob muneris sui necessitatem choro abesset, divinum officium pedibus discalceatis devote persolvebat. Uno eodemque die et anno ibidem pariter decessit Joanna de Carvajal, ex comitibus de Jodar.

Humiliora monasterii officia semper hilari animo exegit; super nudam tabulam dormiebat, asperrimo cilicio, et catena ferrea lumbos stringebat, precesque Deo, extensis ad modum crucis brachiis, effundebat. Joanna de Carvajal. Idem pag. 539.

CLXXXVI. Die II. Novembris in monasterio Dominae nostrae de Ossuna ejusdem provinciae ad coelum ascendit Maria a Jesu, nobilibus parentibus Joanne Curiel, et Anna de Vega in oppido de Pienafiel nata. Vix in lucem edita, in matris cubiculo hinc inde volitans candida columba apparuit, ut ostenderetur ejus innocentia, et futurae sanctitatis specimina. Adhuc puella super nudam tabulam supposito ad caput lapide cubabat, ac media post noctem hora surgens, divinarum rerum contemplationi ac orationi vacabat. Mundi vanitatibus exosa, inter virgines monasterii de Ossuna professionem emisit, tantoque mox rigore poenitentiae corpus afflixit, ut praeter cordam, qua ad nudam carnem revincta erat, denudata, ac columnae alligata flagellis se caederet; quam consuetudinem usque ad mortem retinuisse, eique Christum Dominum columnae alligatum non semel, ut confortaretur, adparuisse, tradunt ejus vitae scriptores. Erga divinissimum Eucharistiae sacramentum aestuabat amore ardentissimo, unde factum est, ut in solemnitate Corporis Christi dum esset in choro monasterii cum altera moniali, extemplo ab oculis ejus evanuerit, ut sacrum Christi Corpus, quod publice gestabatur, comitaretur. Rem monali deterritae, ac de sua absentia suscitanti, imposito silentio narravit. Maria a Jesu. Idem pag. 702.

LXXXVII. Datae fuerunt hoc anno a Francisco Crasso de Arbe minorita conventuali supplices litterae ad Synodum Spalatensem in Dalmatia, convocatam die XII. Maii ab Archiepiscopo illius civitatis Dominico Foconio ordinis praedicatorum, ut venia ei daretur offodiendi corpus S. Felicis Episcopi et sociorum mm. quod ex traditione universali illius Ecclesiae, ac ex martyrologiis quibusdam, olim occlusum fuit in ecclesia ejus nomini, nunc S. Francisco, ob incolatum minorum conventualium, dicata. Litterarum exemplar exhibemus verbis cl. Farlati.

Beatissimi Patres.

» Ex martyrologiis receptis ab ecclesia, et ex catologo Sanctorum Episcopi Equilini habetur, quod S. Felix episcopus apud Spalaten. civitatem sub Maximiano Imperatore martyrio sit coronatus, et ex antiquissima traditione civium Spalaten. usque ad hanc diem conservata pro certo habetur, quod praedictus S. Felix una cum suis sociis sit sepultus prope altare ejusdem Sancti in loco ubi nunc est ecclesia, et antiquitus fuit, et est usque in hodiernum diem beneficium simplex collativum, seu capella sine cura, nuncupata sub invocatione dicti Sancti, quae ecclesia cum monasterio ad praesens est fratrum minorum nostri ordinis non longe a muris dictae civitatis Spalaten. de qua ecclesia etiam fit mentio in quadam bulla fel. record. Alexandri IV. super indulgentia eidem ecclesiae concessa. Quae res etiam de anno MCCLV. miraculo fuit comprobata. Nam cum in die S. Felicis XVIII. Maii fratres dicti conventus ad processionem rogationum ivissent, in quo conventu nullus alius remanserat, nisi unus tantum frater aegrotus, et in lecto jacens, quaedam mulieres, quae in dicta ecclesia remanserant, quasi de im- Farlati Illyricum Sacrum tom. 4. p. 474. et seq.

» proviso audierunt campanam dictae ecclesiae valde sonantem, ac conversae neminem viderunt, qui funem campanae tangeret, qui de tecto in ecclesiam pendebat, et nunc etiam pendet; sed ipsum tantum funem viderunt de per se huc illuc jactari; et protinus iverunt ad vocandum dictum fratrem aegrotum, qui baculo substentatus paullatim ad ecclesiam pervenit, et viso miraculo credidit hoc divina voluntate factum fuisse propter solemnitatem S. Felicis illa die cadentem, et Deo gratias egit, et ab illo tempore citra festum S. Felicis cum majori devotione et solemnitate a fidelibus hujus urbis celebratur. Quare ego frater Franciscus Crassus Arbensis, humilis et indignus sacrae theologiae magister, sancti officii vicarius, et pro reverendissimo domino Nicolao episcopo Samandriensi, et administratore ecclesiae Bosnae Argentinae in hoc synodo procurator et nuncius, et de familia dicti conventus dignum duxi de omnibus supradictis certiorare dominationes vestras reverendissimas et eas orare, sicut obnixe oro et obtestor, ut dignentur se de praemissis diligenter informare, et si vera esse cognoverint, mandare excavari dictum locum, si forte tam pretiosus thesaurus reperiri posset, ad hoc ut S. Martyris Felicis et ejus sociorum ossa in decentiori loco reponi possint, praesertim cum a multo tempore citra fratres dicti conventus secuti hujusmodi traditionem ad hunc effectum praeparaverint quamdam arcam marmoream satis pulchram, quae adhuc in sacristia dictae ecclesiae conservatur ».

CLXXVIII. » Synodus provincialis perlecta et diligenter considerata supradicta instantia, et valde commendata pietate praedicti fratris Francisci, non alienam a suo instituto esse duxit, huic quoque sanctae et tam gravi rei animum intendere. Itaque decrevit producenda supradicta documenta, et consequenter aumendam esse informationem de suprascripta traditione ».

CLXXXIX. » Die dicta in sessione post vesperas praesentata fuerunt supradicta documenta, et ex martyrologiis, et catalogo Sanctorum Synodus mandavit in praesenti processu transcribi particulas, in quibus fit mentio de S. Felice.

CXC. Haec sunt monumenta. « Ex Martyrologio ordinis S. Dominici: » *Quinto decimo calendas Junii S. Felicis episcopi, qui apud Spalatensem urbem sub Maximiano Imperatore palmam martyrii adeptus est.* » Ex martyrologio vetustissimo mss. habito a monialibus monasterii S. Benedicti in civitate Spalatensi: *Quinto decimo calend. Junii S. Felicis episcopi, qui apud Spalaten. urbem sub Imperatore Maximiano palmam martyrii adeptus est.* Exemplar vetus authenticum manuscriptum transmissum ex civitate Traguriensi, cujus tenor sequitur, est, videlicet: *Quinto decimo calend. Junii S. Felicis Episcopi qui apud Spalatensem urbem sub Maximiano Imperatore palmam martyrii adeptus est.* » Aliud exemplar authenticum transmissum ex dicta urbe ex martyrologio vetustissimo mss. reperto in conventu fratrum conventualium S. Francisci de Tragurio: *Quinto decimo calend. Junii S. Felicis episcopi qui apud Spalaten. urbem sub Maximiano Imperatore palmam martyrii adeptus est.*

CXCI. » Synodus non omittendum duxit, quod in martyrologio quo in praesenti utitur ecclesia metropolitana Spalaten. impresso Venetiis apud

» Junctas sub anno MDLXXVI. habetur S. Felicem apud Spoletanam urbem » martyrii palmam adeptum esse, ubi in caeteris martyrologiis, de qui- » bus supra, legitur apud Spalatensem urbem, quod similitudine nomi- » num factum esse verisimile est, ut quoniam urbs Spalaten. minus nota » erat, pro Spalatensi Spoletana reposita sit. Accedit, quod in typographia » descripta a Primo Episcopo Cabiloneu. in verbo *Spoletum* in martyribus, » qui Spoleti itidem Diocletiano et Maximiano Principibus occubuerunt, » S. Felix martyr non numeratur, quod praedicta Synodus dixisse voluit, » non tamquam judicium suum de hac re interponens, sed SS. D. N. sa- » pientissimo judicio relinquens ».

CXCII. » Ex catalogo Sanctorum Episcopi Equilini D. Petri de Nata- » libus Veneti habetur : *Felix Episcopus apud Spalatensem urbem sub* » *Maximiano Imperatore passus est. Qui cum Christum Dominum prae-* » *dicaret, a judice comprehensus, post plurima supplicia gladio caedente* » *martyrii palmam adeptus est xv. calend. Junii etc.*

CXCIII. Litterae fel. record. Alexandri PP. IV. in membrana cum bulla plumbea et chordula serica nigra habentur : Alexander Episcopus servus ser- » vorum Dei, dilectis filiis guardiano et fratribus ordinis fratrum mi- » norum Spalaten. salutem et apostolicam benedictionem. Sanctorum me- » ritis inclyta gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus, qui eo- » rum patrocinia per condignae devotionis obsequia promerentur, illumque » venerantur in ipsis, quorum gloria ipse est, et retributio meritorum. » Nos igitur ad consequenda praedicta gaudia causam dare fidelibus po- » pulis cupientes, omnibus vere poenitentibus, et confessis, qui eccle- » siam vestram in festivitatibus SS. Francisci et Antonii confessorum, » S. Clarae virginis, et S. Felicis, cujus est insignita vocabulo, necnon » in anniversario dedicationis praedictae ecclesiae, et per octo dies se- » quentes, devote ac venerabiliter visitaverint annis singulis, de omni- » potentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum » ejus auctoritate confisi, centum dies de injuncta sibi poenitentia mi- » sericorditer relaxamus. Datum Anagniae XII. calendas Augusti Ponti- » ficatus nostri anno V. »

CXCIV. » Die XIII. dicti, mane in sessione fuit mandatum a Synodo » per ejus nuncium convocari infrascriptos viros bonos, et fide dignos » hujus civitatis pro habenda informatione super traditione, de qua in » instantia praedicti reverendi fratris Francisci posita in principio praesentis » processus. Hi fuerunt Vincentius Cuppareus canonicus et primicerius » Spalaten. Bernardus Bonitius canon Spalat. Fr. Rochus guard. S. Fran- » cisci de Spalato, Andreas de Comulis, Cornelius Raynerius ».

CXCV. « Julio igitur ineunte quatuor testes, qui huic inventioni non » solum interfuerant, sed etiam operam adhibuerant, Vincentius Vitilevus » canonicus electus, Petrus Boniatus subdiaconus, Marcus Sterbaceus, » Jacobus Prahudich presbyter Traguriensis citati cum essent, ac rite » interrogati alii aliis diebus, omnia quemadmodum in actis exposita » sunt, ita esse, ac se habuisse coram sancta synodo jurati affirmarunt, » quorum testimonia iisdem actis adscripta sunt. De inventione corporis » S. Felicis, et sociorum patres concilii Sixtum V. Pont. Max per lit- » teras certiorem fecerunt, quas quidem litteras ait se vidisse Baronius : » *vidimus de ea re synodales litteras ad SS. D. N. Sixtum Papa V.*

» *una cum publica attestatione de ejusdem martyris corpore nuper refosso,* » *et honestiori loco recondito.* Ac tum quidem sacra illa ossa reposita fuerunt in sacrario, et ligneis loculis decentissime inclusa, nec unquam » postea inde dimota, neque in arcam marmoream ad id paratam, atque ad » altare S. Felicis translata: ibidem nunc illis privatim honos habetur »

CXCVI. Attamen controversia adhuc viget inter Spellatenses Umbriae, et Spalatenses in Dalmatia circa locum martyrii S. Felicis et sociorum Mm.; utrique enim sibi eum vindicant, et suum esse dicunt. Controversiae causam praebuit vocabuli similitudo, quae *Spellatensi* est cum *Spalatensi* civitatibus, unde factum est, ut e martyrologiis alii quidem apud Spellatensem, alii apud Spalatensem urbem S. Felicem martyrio affectum fuisse scripserunt. Spellatensium causam accurate egit tractatu *de loco martyrii S. Felicis* Thaddaeus Donnola de Hispello typis edito Venetiis anno MDCXX. Spalatensium vero causam non minus docte tuendam suscepit Joannes Jomeus Marnavitius Episcopus Bosnensis in libello Romae anno MDCXXX. vulgato cujus titulus: *S. Felix Episcopus et martyr Spalatensi urbi Dalmatiae vindicatus.* Ex hoc tamen civitatum contentione nec mendacium, nec cultus superfluitas exire potest; nam, ut recte observat Benedictus XIV. *utcumque contentio inter civitates exoriatur, itaut plures putent se habere corpus et reliquias unius et ejusdem Sancti, pius hic populorum error aut facile tolli potest, aut quatenus tolli non possit, nullum offert pietati et religioni detrimentum.*

De Servorum Dei beatif. et Beat. canonizat. lib. 4. part. 2 cap. 28. num. 16.

CXCVII. Ex Sac. Rituum Congreg. mandato Caesar Arsenius Lucensis, Episcopus Bitectensis amoveri jussit corpus B. Jacobi a Bitecto, quod usque in praesens summo honore colebatur super altare Ecclesiae fratrum minorum observantium Bitecti in provincia S. Nicolai Barensis. Fratres Episcopi pracepto obtemperantes, illud in sacrarium sacelli S. Antonii Patavini contiguum detulerunt; *at paullo post*, teste Vigilio Greiderer, *hic Episcopus a petra periculose laesus, et invocato Beato, sanitati restitutus, indulsit, ut illud de novo publico cultui exponi posset.* In deaurata subinde arca, sumptibus familiae Caraffianae confecta, sacrum corpus sepositum, summa veneratione a civibus et a peregrinis honoratur. Cum autem de B. Jacobo, cujus immemorabilem cultum anno MDCCXX. ratum habuit Clemens XI. pauca admodum habeat Waddingus, ideo huic loco ea praestat, quae Beatus in vita et post mortem egit, subnectere.

Acta SS. ad diem 27. Aprilis.

Greiderer tom. 1. num. 399. p. 213.

Ann. min ad an. 1434. n. 26. et ad an. 1506. n. 22.

CXCVIII. Jacobus loco sepulturae ejus a Bitecto muncupatus, lucem aspexit vel Jaderae, vel Solonae in regione Illyrica Dalmatiae, qui amore virtutis incensus, adhuc juvenis, minorum observantium in statu laicali habitum suscepit vel in provincia Bosniae, vel in provincia S. Nicolai Barensis in Apulia. Ita in ejus anima insedit profunda humilitas, obedientia simplex, paupertas altissima, angelica puritas, ut fama virtutum et gratiarum ejus percrebuerit, ac varios ad sectandam religionis seraphicae semitam provocaverit. Obedientiae merito ad conventum S. Mariae Angelorum Cassani destinatus, propter solitarii loci commoditatem, spiritualibus exercitiis jugiter vacabat. Extat nunc temporis in horto coenobii sepulchrum pervetustum, intra quod Beatus se recipiebat, et lapis, super quem defaticata membra quiescebat. Eo igitur in antro solitarius commorans, rerum coelestium contemplationi se dabat, culpas

Greiderer ibidem p. 212. et seq.

suis lacrymis expiabat, pro populo ardentissimas preces fundebat, corpus suum flagellis cruentabat, illudque in servitutem spiritus redigebat.

CCIX. Moratus est etiam Beatus conventum Conversanensem, in quo cum saepius de nocte flagellis se caederet, et oraret in specu B. Mariae Virgini sacro, dulcissimas ecstases patiebatur. Coquinae munus ibidem obiens, singulis quibusque diebus ex igne quo utebatur, vel in aeterni ignis meditationem descendebat, vel ad aeternae charitatis incendium evolabat. Hinc non raro evenit, ut sensibus destitutus, inter ollas immobilis permaneret. Cum quodam mane fratribus fabas pararet, extemplo in ecstasim raptus, manus ollae, coelo animus adhaerebat, et lacrymae ultro ex oculis fluentes, in fabarum ollam incurrebant. Quem cum intuitus esset Adriensis dux fortuito coquinam ingressus, demiratus dixit: *vos felices religiosos! et iterum felices! quos Jacobus suis pascit lacrymis.* Sensibus hinc restitutis, festinanter ad ducem, qui abierat accessit Beatus, ut ab eo quid edere cuperet, sciscitaretur: cui dux: *nonnisi fabas tuis lacrymis coctas edere cupio.*

CC. Spiritu quoque prophetico inclaruit. Postquam Ferdinandus I. Neapolis Rex in principes et regni Neapolitani Barones et Optimates de rebellione contra se mota justas poenas statuisset, Adriensis dux verens, an a rege et ipse mulctandus foret, Bitectum Neapoli se contulit, ut B. Jacobo rem suam aperiret. Eum hisce verbis solatus est Beatus: *vade alacriter et secure Neapolim; nam rex non tantum ullum malum tibi illaturus, sed insuper omnem honorem delaturus est; praeter haec, si domum redieris, uxorem tuam prolis masculae partu solutam inveneris.* Quod utrumque contigit. Incolae oppidi Megduni praedixit, puerum quemdam postridie moriturum, qui obiit revera. Variis item parentibus civitatis Bitecti sanitatem, aut mortem futuram filiorum cum veritate praedixit. Mira et alia operatus est Beatus in vita; oleum in vase deficiens, novo divina virtute supplevit; puellae decenni mutae loquelam restituit; caecum illuminavit; novitium franciscanum qui propter brachiorum infirmitatem ab instituto egredere moliebatur, sanitati restituit, et a suo proposito amovit.

CCI. Tot igitur meritis virtutibusque cumulatus, Deo suo animam reddidit anno vel MCDLXXVI., vel paullo post, vel anno MCDXCII. juxta monumenta, quae asservantur in conventu Bitecti, cujus festivitas in ordine seraphico die XX. Aprilis celebratur. Eo cum sanctitatis opinione vix defuncto, statim ei exhibita fuerunt indubia sacri cultus signa. Ante fores Ecclesiae prope Bitectum obviat Beati imago coronam super caput splendoribus, et crucem manibus praeferens. In choro fratrum opere vetusto pendet tabula, in qua radiatus et genuflexus conspicitur, dextera crucem, sinistra rosarium tenens. In horto juniperus assurgit grandaevus, juniperus Beati ideo appellatus, qui ab ipso ibidem defixus creditur, quorum fructus capientes devoti, a variis infirmitatibus liberantur. In conventu S. Petri Barensis exprimitur Jacobus cum lepore in brachio, eo quod traditur intra ejus sinum asilum quaesivisse, dum a canibus insequeretur. Denique in conventu Lupiensi pictura inspicitur energumenus ante Beatum genuflexus, ex quo daemones expelluntur.

CCII. Miraculis etiam post mortem coruscavit Jacobus. Ab anno enim MDXCVII. ad annum MDCXXX. haec notantur in synopsi actuum pro ejus ca-

nonizatione. Militem veneno infectum e mortis limine eripuit; quinque personas per plures annos lethali infirmitate afflictas, sanas reddidit; confractam Joannis Leonis tibiam consanavit; octo in vitae periculo constitutos e mortis faucibus liberavit; uni brachiorum, et alteri manuum usum reddidit; puerperas quatuor morti proximas exemit; Jacobum de Modugno a balistae igneae ictu incolumem servavit; Joannem Baptistam Vulpis diaconum a variis periculis eruit; duos captivos a Maurorum vinculis solvit; lethaliter vulneratum morti subduxit; hominem septem annis membrorum usu destitutum, agilem reddidit; inopiae conventus consuluit: denique Gravinensi ducissae digitum mordicus auferenti per saevam tempestatem ad restitutionem compulit. Ab anno autem MDCXXX. ad annum MDCCXIV. de eo vulgata sunt haec prodigia. Contagio anno MDCXXX. per totam Italiam grassante, Beatus civitatem Bitectensem ejus protectionem enixius efflagitantem indemnem servavit; Joannem Gregorium Citola suorum actuum notarium, reliquiam de suo corpore clam tenentem, anno MDCXXXI. repetita visione ad restitutionem adegit; canonicum febri acuta ad extremum deductum, anno MDCLX. sanum restituit; conjuges per XII. annos steriles ejus intercessione filium obtinuerunt; Ubaldam Contico morti Romae an. MDCCII. proximum, subito extra periculum posuit; Neapoli anno MDCCXIV. Catharinam Boccanfusam a febri maligna, et Michelangelam de Augustino a doloribus capitis exemit. Tanta interim Bitectensium ac finitimorum erga Beatum devotio praestat, ut si aliquando urgeat necessitas pluviae, serenitatis, vel immineat calamitas, ipsius Beati digitus qui veneratur in Ecclesia S. Francisci minorum observantium, solemni in supplicatione per civitatem a canonicis et a reliquo clero circumfertur, et gratia consequitur.

Acta SS. ad diem 18. Aprilis. CCIII. Sacrae exuviae B. Jacobi de Oldo presbyteri Landensis de tertio ordine S. Francisci translatae sunt hoc anno ab Ecclesia S. Juliani ad alteram S. Aegidii Ecclesiam, in ejusdem S. Juliani titulum commutatam, hac epigraphe incisa in lapide sepulchrali marmoreo: *Jacobi Oldi ossa ab antiqua S. Juliani aede, quam ipse fundaverat, vetustatae collapsa, in hanc S. Aegidii ecclesiam, quae S. Juliani nomen accepit, anno* MDLXXXVII. *translata hic requiescunt.* Decesserat Beatus anno MCDIV.

Acta SS. ad diem 4. Maii. CCIV. Hoc tempore miraculis coruscabat B. Ladislaus a Gielnovvio, defunctus anno MDV. Varsaviae in conventu minorum observantium provinciae Poloniae, beatorum albo adscriptus a Benedicto XIV. Pontifice. Catharina Lugowska cum filium haberet quinque abhinc annis epilectico morbo laborantem, per unicum sacrum Deo oblatum in altare B. Ladislai, illico eum vidit, quin in ea infirmitate amplius incidisset, ab illo morbo liberatum. Circa haec tempora ejusdem mulieris vir insania affectus clam, omnibus domesticis insciis, aufugit per sylvas, aliaque invia multis diebus vagatus; haec viri sui absentia uxori solicitudinis, et suspicionis causa consanguineis fuit. Hinc electi de numero amicorum, qui eam adirent, ab ea suscitantur, ubinam locorum vir ejus adesset; respondente illa omnino se ignorare de statu mariti, nec posse sciri, quo sese contulisset, illico omnes suspicabantur virum ab uxore occulte esse traditum. Proinde minaci alloquutos sermone, feminam afflictam terrore concutiunt, ac ni veritatem diceret, juris strepitu eam requirendam. Iis in angustiis posita, ad confessarium suum p. Stanislaum Zdziarshi accurrit, consilium petens. Illi suadet confessarius, ut beati auxilium imploret missae sacrificio ad

sacrum ejus altare celebrato. Quo peracto, eadem die maritus domum rediit, et mulier periculo fuit liberata.

CCV. Contagione epidemica per civitatem Varsaviae grassante, crudeli leto necati sunt duo famuli Evae uxoris Valentini Leopolitae. Invaderat etiam epidemicus morbus in filium suum, quem primo impetu ulcere pessimo in umbilico percusserat, ad mortis portum ipsum dirigens. Mater filii periculo admonita, Beati Ladislai patrocinio seipsam, domum, et filium commendavit. Non defuit afflictae Beati subsidium; nam disruptum ulcus filii effluxit, tam grandi tamen in corpore relicto vestigio, ut viscera aspicientibus paterent videnda. Cito tamen sanitatem filius recepit, et domus tota a periculo mortis libera evasit. Prodigii hujus fama divulgata, cum duo sacerdotes eadem pestilentia essent correpti, per nuncios praefatam mulierem obsecrarunt, ut eorum nomine missae sacrificium ad Beati sepulchrum celebrandum procuraret. Ut accessit optatum remedium, a pestifera lue immunes evaserunt. Devota mulier et alia accepit a Beato beneficia. Alterum filium suum acuta febri in mortis periculum injectum devovens eidem Beato, sanum illico conspexit. Ulceris impedimento guttur sibi praeclusum, quin cibi alimentum potuisset recipere, habebat laudata mulier. Hinc orti dolorum stimuli pugentes, et manifestum vitae discrimen; at imploratum B. Ladislai auxilium tam cito adfuit, ut quo tempore sublatum fuisset impedimentum, ipsumque virulentum ulcus non plane advertisset. Haec Bollandistae retulerunt ex p. Vincentio Morawski ordinis minorum observantium vitae Beati scriptore.

CCVI. Julio Mancino nobili viro Pisaurensi molesta infirmitate laboranti apparuerunt Bb. Seraphina et Felix Pisaurenses, quarum erat devotissimus, et eum ad patientiam, quia daemonem ex desperatione invocabat, adhortantes, ad majorem ejus consolationem subdiderunt: *sumus nos sorores Felix et Seraphina tibi addictae.* Ut autem eum indubium redderent, dixerunt ei, ut significari curaret Deodatae et Magdelenae monialibus clarissis monasterii Corporis Christi ejusdem civitatis, intra breve tempus eis quasdam molestias obventuras, ac proinde, ut se disponerent, ad illas constanter subeundas. Quibus dictis disparuerunt, et vir nobilis eodem instanti ad contritionem motus, de tanto beneficio fervidas Deo gratias egit, paulloque post perfecte convaluit. Eodem tamen die vocari jussit ad lectum suum illius monasterii confessarium, cui cum per ordinem omnia exposuisset, exoravit eum, ut de ea re certiores faceret eas moniales. Praestit mox confessarius. Non multo post Magdalenam sororem maximae tribulationes torquerunt; quas tamen patientia summa pertulit; soror vero Deodata in gravem morbum incidens, divinae voluntati perfecte acquievit, et inter gratiarum actiones spiritum Deo reddidit. *Acta SS. ad diem 8. Septembris.*

CCVII. Carolus de Angennes Gallus presbyter Cardinalis, primum tituli S. Euphemiae, deinde S. Hieronymi Illyricorum decessit x. calendas Aprilis Corneti, cujus corpus in aede sancti Francisci ordinis minorum de *Ciaconius tom. 3. colum. 1047.*

Observantia ejusdem Civitatis cum sequentibus elogiis jacet.

D. O. M.

Insignis mitra Carolus d'Angennes, et Ostro
Corneti extremum clausit in urbe diem.
Ossa sepulta tenet Francisci nobile templum,
Hic lapis exta loco nobiliore tegit.
Dulces reliquiae vitam docuere per omnem.
Dulce pati Christi nomine, dulce mori.

Epitaphium.

CAROLO D'ANGENNES A RAMBOVILLETO CENOMANENSI EPISCOPO S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI INGENII SCIENTIAE RELIGIONIS OMNIVMQVE VIRTVTVM LAVDIBVS PRAESTANTISSIMO CHRISTOPHORVS A RANTIGNY SORORIS FILIVS ET CLAVDIVS LVPIVS CVBICVLI PRAEFECTVS ITALICARVM RERVM EX TESTAMENTO HAEREDES MAGNO CVM SVO TVM CAETERORVM FAMILIARIVM QVIBVS OB EXIMIAM IN EOS PIETATEM AMPLIVS SEXAGINTA AVREORVM MILLIA LEGAVIT MOERORE POSVERVNT. OBIIT ANNO MDLXXXVII. VIXIT ANNOS LVI. MENSES IV. DIES XXIII.

Idem tom. 4. col. 46. CCVIII. Romae diem obiit supremum Philippus Vastavillanus Bononiensis S. R. E. Cardinalis, et camerarius, jam protector fratrum minorum conventualium, et capucinorum. Ejus corpus translatum fuit Bononiam, sepulturaque donatum in Ecclesia S. Francisci conventualium ejusdem civitatis cum hoc elogio.

M. M. Æ.

PHILIPPO. VASTAVILLANO. S. R. E. CARD. CAMERARIO.
GREGORII. XIII. PONT. MAX. SORORIS. FILIO.
HIERONYMVS. FRATER. ANGELVS. MICHAEL. FRATRIS.
FILIVS. EX. TESTAMENTO. POSVERVNT. VIXIT. ANNOS.
XLVI. MENSES. X. DIES. XVII. OBIIT. XVI. KAL. SEPTEMBR.
ANNO. SAL. MDLXXXVII.

Eo defuncto eorumdem fratrum patrocinium suscepit Hieronymus Cardinalis de Ruere tituli S. Petri ad Vincula: *Defuncto* die xxv. Augusti.

Ann. min. ad an. 1565. num. 87. Farlati tom. 4. p. 77. CCIX. Circa Januarii mensem decessit in conventu Spiritus Sancti minorum observantium apud Possegam urbem in provincia Croatiae Carniolae Antonius Polus de Matthaeis, sive Mattaeovich Episcopus Rosnensis juxta Michelesium, vel Bosnensis juxta Farlatum, cum paullo post Roma eo rediisset. Post ejus mortem Turcae calumniari coeperunt, quod ingentem pecuniae vim retulisset, ut christianos largitionibus corrumperet, eosque a defectione ab imperio turcico alliceret. Hinc agmine facto, coenobium invadunt, cuncta miscent, evertunt, scrutantur, ipsumque in quo conditus fuerat Episcopus, sepulchrum reserant, ut quam sibi opinionis errore, vel potius malitia confixerant, pecuniam invenirent. Ea non inventa, adoriuntur fratres, verberibus caedunt, necem minantur, nisi argentum expromant, quod ab illis fore reconditum ajebant. Ut a direptione ac caede abstinerent, nummos amplius mille, quos *regales* vocant numerari oportuit. Circa haec tempora, dum Politiam vulgo *Po-* *Coletti Illyr. Sacr. tom. 8. pag. 152.* *lizza* in ditione Veneta, patriam suam proficisceretur Nicolaus Ugrinovich Episcopus Semandriensis e familia minorum conventualium, a Turcis fuit crudelissime interfectus. Corpus ejus in villam Dubravam, quae Po-

lizza est, delatum, in aede S. Luciae, quae parochialis est, ante altare privilegiatum quiescit. In sepulchro lapideo extat haec inscriptio: *Nicolaus Ugrinovic Episcopus Semandriensis* MDLXXVII. Mendose tamen signatus est hic annus; nam hoc anno MDLXXXVII. vitam agebat, et hoc eodem anno interiit. Enim vero hoc eodem anno vices ejus gerebat in synodo Spalatensi Franciscus Crasso Arbensis ejusdem instituti. In eisdem actibus dicitur etiam laudatum Nicolaum administratorem fuisse Ecclesiae Bosnensis: ex quo constat hujusce anni initio coelestia petiisse Antonium Polum de Matthaeis Episcopum Bosnensem.

CCX. Episcopalem munus hoc anno susceperunt inter minores conventuales die x. Maii Franciscus Spera de Firmo Picenus, electus Archiepiscopus Nazarien. Parum supervixit in honore adepto; Baptista Bernino die VII. Augusti Episcopus Chironen. in Insula Cretae; Petrus Rodulphus Tossinianensis: *Apostolatus officium* XII. calendas Martii episcopus Venusinus. Caeteri, qui sequuntur, notantur a Hyacintho Sbaralea. Dominicus Caroli Venetus electus Episcopus Zacinthi, et Cephaloniae in mari Jonico; Horatius Bellottus Venetus Episcopus Nonae, vel Enonae in Dalmatia; Marius N. . . . Episcopus Castrensis in Apulia. *Sbaralea in catal. mss. episcop. ordinis.*

CCXI. Inter minores observantes renunciati sunt episcopalem dignitatem Hieronymus Bilacqua de Hispello Sixti V. Pontificis confessarius, inauguratus Archiepiscopus metropolitanae Ecclesiae Nazarien. et Episcopus Cannen. et Montis Viridis: *Divina disponente* IV. nonas Decembris; Joannes Balbus patritius Venetus die XIV. Januarii Archiepiscopus Corcyrensis; Franciscus Panigarola Episcopus Crysopolitanus, et suffraganeus Archiepiscopi Ferrarien. die XX. Septembris Episcopus Astae; die V. Octobris: *Cum nos* jussit Pontifex, ut suae Ecclesiae Asten. possessionem caperet; Franciscus Gonzaga: *Cum nos* die XXXI. Octobris Episcopus Cephaludensis; Bonaventura de Aquila die XXIV. Maii Episcopus Osnabrugen. in Germania, in circulo Wesphaliae; Gaspar de Andreta hispanus die XVI. Novembris Episcopus Hondurarum, seu Camayaque in America, sub archiepiscopo S. Dominici; Antonius Episcopus Veraepacis in Indiis die XII. Octobris transfertur ad Ecclesiam Carthaginensem in Hispania. Haec ex actibus consistorialibus. Ex Francisco Gonzaga novimus Bonaventuram a Nixia, de quo diximus ad an. MDLXXVI. hoc anno electum fuisse ad Ecclesiam non Onuensem, ut ipse scribit, sed ad Ecclesiam Andreusem in mari Aegeo sub Archiepiscopatu Naxiensi; ex Roderico Franciscum Antonium Manriquez commissarium generalem, genere litterisque clarum, constitutum Episcopum Calaguritanum in Castella Veteri. *Rodericus in summa part. 1. cap. 103. et part. 2. c. 4. n. 3.*

CCXII. Commissarium provinciae Terrae Laboris hoc anno instituit Summus Pontifex Hieronymum Interamnensem ordinis fratrum minorum de observantia sacrae theologiae professorem: *Cum provincia* die XXIV. Septembris; procuratorem generalem in provincia S. Jacobi in Compostella pro colligendis eleemosynis ad subsidium fratrum Terrae Sanctae Matthaeum Salernitanum ejusdem ordinis: *Exhibita nobis* V. idus Julii; plura idem Pontifex largitur Bernardo de Laccio custode fratrum de observantia in Albania pro Christifidelibus ibidem degentibus: *Religionis zelus* die VIII. Maii; item plura confert Bernardino de Ragusio, et sociis suis Stephano Bosnensi monacho S. Benedicti congregationis Meliten., et Antonio de

Ragusio ordinis praedicatorum euntibus in regnum Hungariae : *Cum sicut* die xv. Decembris ; committit reformationem monasterii monialium S. Clarae oppidi de Civitella Aprutin. dioecesis Julio Tornata ordinis minorum conventualium : *Cum sicut* die xxii. Januarii ; subjicit ordinario monasterium S. Clarae , olim S. Margaritae Calaris , et monasterium item S. Clarae Oristagni in provincia Sardiniae.

Monum. prov. CCXIII. Mandat Pontifex fratribus de observantia , ut hospitium quod habebant Fulginei in claustro fratrum minorum conventualium liberum eis dimittant : *Exponi nobis* die xxv. Martii. Desideravimus pontificium diploma ; at injuria temporum ita vitiosum est characteribus , ut illud ex tabulario Secretariae Brevium exscribere non valuerimus ; mandat , ut amoveantur quaedam moniales e monasterio S. Felicia Bononiae : *Cum sicut* die x. Martii ; vetat ne extrahantur libri ex bibliothecis fratrum ordinis minorum de observantia : *Cum sicut* die iii. Octobris , et ex bibliotheca conventus eorumdem fratrum S. Martini ab Aggere , precibus Francisci Gonzaga generalis ordinis administri : *Exposuit nobis* die xxi. Aprilis ; jubet ne recipiantur a fratribus quibusvis ordinis illegittimi et criminosi : *Cum de omnibus* vi. calendas Decembris ; ut abbatissae ad triennium per vota secreta eligantur : *Ex communis* die xxix. Julii ; revocat licentias ingrediendi monasteria monialium in regnis Hispaniarum : *Quoties gratiae* die xx. Januarii ; rata habet quae a suis decessoribus statuta fuerunt pro fratribus minoribus de observantia : *Etsi mendicantium* die iii. Octobris ; firmat concordiam inter *fabricerios* , et fratres coenobii S. Mariae Gratiarum Varalli oppidi dioecesis Vercellensis , quam anno mdlxxxiii. b. m. Gregorius XIII. commiserat Carolo Borromaeo Cardinali et Archiepiscopo Mediolanensi : *Sacra loca* die xxx. Maii ; applicat fructus quorumdam legatorum pro perficienda fabrica conventus S. Spiritus Ferrariae , data ad id facultate guardiano et fratribus loci : *Cum itaque* die v. Octobris.

CCXIV. Confirmat privilegia concessa a suis praedecessoribus fratribus et sororibus tertii ordinis de poenitentia civitatis Assisii: *Romanus Pontifex* die v. Septembris ; facultatem tribuit Hieronymo Gusman commissario generali Indiarum deferendi pecuniam pro suo et sociorum itinere : *Cum tu* die xxiii. Maii , aliaque tribuit: *Exponi Nobis* die xiii. Julii ; ut Marius Labea antea capucinus, mox Sixti Pontificis voluntate ob sui infirmitatem inter minores conventuales cooptatus, quascumque haereditates capere valeat , revocatis etiam donationibus ante ingressum religionis capucinorum factis, easque ad favorem et usum locorum piorum, maxime vero ad beneficium hospitalis pauperum mendicantium de Urbe conferendi : *Alias pro parte* die xxv. Novembris ; mandat Julio Passamotio collectori in regnis Hispaniarum, ut eidem Mario faveat in consequenda haereditate sibi delata per quemdam Didacum de Salzedo patruum suum : *Cum nos* die xxiii. Decembris ; hortatur Philippum II. Regem , ut eidem Mario auxilium praebeat : *Alias* sub eadem die ; mandat item sub eadem die archiepiscopo Hispalensi , ut omnium bonorum mobilium et immobilium , rerum et scripturarum ad eumdem Marium ratione haereditatis Didaci de Salzedo spectantium, detentores et celatores in Ecclesiis coram populo commonere faciat , ut ea Mario , seu ejus procuratori, lata excommunicationis censura restituant : *Alias* ; similia jubet Nuntio Apostolico Hispaniarum : *Alias*, et Archiepiscopo Avenionen.

Alias; jubet Francisco a Brixia ordinis minorum de observantia, ut partem eleemosynae sibi collatae a Margarita ab Austria, cujus erat confessarius, solvat conventui, in quo pro tempore degerit, et alteram eroget neptis suis pauperibus: *Cum tu* die xv. Julii; indulget ut Maria de Castro professa in monasterio S. Clarae Conymbriae ad se convalescendum ad aliud ejusdem ordinis se conferat: *Oblata* die xiii. Januarii; ut Emmanuel de Meneses dux de Villa real, ex regia stirpe regum Portugalliae, penes se, ut eidem confiteatur, retineat sacerdotem fratrum regularis observantiae: *Ad splendidam* die x. Julii; ut Propertia Micunella Delfina romana transferat ex Ecclesia fratrum praedicatorum Bononiae corpus filii sui defuncti ad Ecclesiam S. Mariae de Aracoeli Urbis: *Cum sicut* die x. Octobris.

CCXV. Concedit Summus Pontifex altare privilegiatum B. Mariae Virginis in Ecclesia discalceatorum Castri S. Matthaei in Chilopresso dioecesis Mexican. *De omnium salute* nonis Januarii; altare majus in Ecclesia minorum observantium Mexici: *De omnium salute* calendis Junii; altare Conceptionis B. Mariae Virginis in Ecclesia Duacensi minorum observantium in provincia Flandriae: *De omnium salute* v. idus Junii.

CCXVI. Attribuit idem Summus Pontifex ministro et commissario generalibus fratrum minorum de observantia facultatem erigendi confraternitatem cordigerorum in Ecclesiis sibi subjectis: *Divinae charitatis* die xxix. Augusti; Annae Reginae Poloniae precibus erigit in Archiconfraternitatem sodalitium S. Annae, erectum anno transacto in Ecclesia Varsaviae ordinis fratrum minorum de observantia: *Praeclara* die vi. Septembris; confirmat erectionem confraternitatis Conceptionis in Ecclesia S. Francisci Cordubae ejusdem ordinis: *Cum sicut* die xv. Januarii; indulget, ut fratres de observantia conventus S. Sebastiani ab Aggere dioecesis Cremonensis quolibet anno celebrent officium SS. Mauritii et Ursulae sub ritu duplici, et indulgentias pro illis diebus concedit: *Aeterni Patris* die xxiii. Martii; item indulgentiam largitur collegio theologorum Neapolis: *Cum retroactis* die xx. Martii.

CCXVII. Latum fuit hoc anno a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium decretum, quo cavetur ne regulares Romam veniant sine suorum majorum facultate, et in eo statuitur appellationis ordo servandus.

Quoniam nonnulli regulares vagandi studio, sive dum imminentem admissorum criminum poenam ex suis constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa et commentitia gravamina causati, non ad immediate sui ordinis superiores, scilicet a gravamine prioris ad provincialem, a provinciali ad generalem, a generali ad protectorem, prout cujusque religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc romanam curiam absque licentia saepius fugiunt, potiusquam recurrant, ex quo ordinum disciplina relaxatur, praelati contemnuntur, et ipsi in dies audaciores evadunt. Placuit S. Regularium Congregationi ex ordine Sanctissimi statuere, ut si quis regularium, in posterum temere, levive ex causa hanc almam Urbem, seu curiam absque sui superioris licentia, et supradicta forma praetermissa adire praesumpserit, ad suos eosdem superiores, severiorique poena plectendus remittatur. Romae mdlxxxvii.

Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus.

Gregorius Palearius U. J. D. Secret.

CCXVIII. Alterum editum fuit a S. C. Concilii Tridentini circa regularium confessiones.

Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpretum censuit, quod regulares, qui quoad confessiones audiendas idonei generaliter ab ordinariis, eorumve examinatoribus reperti, et probati fuerint, generaliter quoque et indistincte, absque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum admittantur in dioecesi propria. De caeteris qui non adeo idonei reperiantur, si petierint se admitti, arbitrio ordinariorum reliquatur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere: qui autem in domibus laicorum confessiones ex causa audierint, statim parochum admonere teneantur, et fidem auditae confessionis pro medico adveniente relinquere. Romae die II. *Julii* MDLXXXVII.

Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus.
Gregorius Palearius Secretarius.



ARGUMENTUM

Sixtus Pontifex Basilicam Lateranensem, ante cujus fores obeliscum erigit, exornat. Reficit, et elevat columnam Trajani Imperatoris. Typographiam in Vaticano instituit, et bibliothecam adauget. Ad siccandas paludes pontinas animum adjicit. Triremes disponit, et alia praestat Ecclesiae perutilia. S. Bonaventuram inter SS. Ecclesiae doctores adscribit. Collegium S. Bonaventurae in Urbe instituit. Refert in SS. album B. Didacum Complutensem. Episcopos ex ordine eligit. Fundantur coenobia, et monasteria. Decedunt viri Dei, inter quos Franciscus Tornielli. Viri docti obeunt et inclarent. Statuit aliqua Pontifex, et indulget.

I. Secundo sui regiminis anno Sixtus Pontifex, sublata Lateranensis Basilicae perantiqua janua, e pario marmore instructa, septentrionique apposita, porticum ex quo Romani Pontifices solemnem benedictionem populo impertiunt, extruxit. Ex ea per arcus quinque, ad quos gradibus totidem ascenditur in ipsam Basilicam, januis tribus aditus est, quarum media major, duae ab utroque latere minores. Ut autem aream ante porticum ampliorem faceret, solo aequari jussit canonicorum et nobilium Annibaldensium de Molaria domus, eorumque turrim, et partem aulae concilii, aliaque aedificia, quae ad laevam hujus areae surgebant; unde factum est, ut spatium illud a nullo alio aedificio interruptum libere percurratur ad Constantini Baptisterium, nosocomium lateranense, et palatium apostolicum. *Ciaconius ibidem colum. 127.*

II. Dum Sixtus sedulam operam ad exornandum Templum et Lateranensem aedem navabat, insimul erui curabat celsissimum obeliscum, olim erectum a Constantio in Circo Maximo, Gothorumve furore inde eversum, et ruinis sepultum, ut illum in area Lateranensi adspectabilem redderet. Eum Rameses Aegypti rex Thebis in solis templo collocavit, a Cambise flammis quibus Thebae deflagraverant, subtractus. Sacris Aegyptiorum notis insignitus est, quas anno MDCCCXLII. sub auspiciis Gregorii XVI. illustravit singulari labore p. Aloisius Ungarelli sodalis Barnabitanus in opere: *interpretatio Obeliscorum Urbis.*

III. Eo Romam a Constantio Imperatore delato, et, ut diximus, in Circo Maximo erecto, sequentia insculpta fuisse tradit Angelus Rocca ex Eremitana familia, apostolici sacrarii praefectus, et Tagastensis Episcopus. *Angelus Rocca operum tom. 2. pag. 183.*

1. Patris opus munusque suum tibi Roma dicavit
   Augustus toto Constantius orbe recepto,
 Et quod nulla tulit tellus nec viderat aetas
   Condidit, ut claris aexequet dona triumphis
 Hoc decus ornatum genitor cognominis Urbis
   Esse volens caesa Thebis de rupe revellit.
2. Sed gravior divum tangebat cura vehendi
   Quod nullo ingenio nisuque manuque moveri.
 Caucaseam molem discurrens fama moueret
   At Dominus Mundi Constantius omnia fretus
 Cedere virtuti terris incedere jussit
   Haud partem exiguam montis pontoque tumenti.

3. Credidit et placido vecta est velocius euro
Littus ad Hesperium populo mirante carinam
Interea Romam Taporo vastante Tyranno
Augusti jacuit donum studiumque locandi
Non fastu spreti, sed quod non crederet ullus
Tantae molis opus superas consurgere in auras.
4. Nunc veluti rursus rufis avulsa metallis
Emicuit pulsatque Polos haec gloria dudum
Auctori servata suo cum caede Tyranni
Redditur atque aditu Romae virtute reperto
Victor ovans Urbique locat sublime Tropaeum
Principis, et munus condignis usque Triumpis.

IV. Ut autem molem hanc in laudato Circo Maximo consepultam architectus Fontana detegeret, hasta ferrea pluribus in locis dimissa, die tandem xvii. Februarii anni mdlxxxvii. in lapidem ultra xxiv. pedes sub coenosa tellure latitantem incurrit in tres partes divisam, quarum major ad lxv. palmos cum semisse extendebatur; altera minor ad xliii. cum semisse; minima vero ad xxxix., quae omnes simul collectae summam efficiunt palmorum cxlvii. Hinc ex eo loco assiduis laboribus quingentorum hominum, amotos lapides, ad Lateranum hoc anno translatos, atque simul mira arte contextos, supra excelsam basim collocarunt. Eminet in vertice SS. Crucis signum, montibus gentilitiis Sixti compositum, sequentibus inscriptionibus locupletatum.

Ad meridiem

CONSTANTINVS
PER CRVCEM
VICTOR
A S. SILVESTRO
HIC BAPTIZATVS
CRVCIS GLORIAM
PROPAGAVIT

Ad orientem

FL. CONSTANTIVS AVG.
CONSTANTINI AVG. F.
OBELISCVM A PATRE
LOCO SVO MOTVM
DIVQ. ALEXANDRIAE
IACENTEM
TRECENTORVM REMIGVM
IMPOSITVM NAVI
MIRANDAE VASTITATIS
PER MARE TIBERIMQ.
MAGNIS MOLIBVS
ROMAM CONVECTVM
IN CIRCO MAXIMO
PONENDVM
S. P. Q. R. D. D.

Ad septentrionem

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC
SPECIE EXIMIA
TEMPORVM CALAMITATE
FRACTVM CIRCI MAX.
RVINIS HVMO LIMOQ.
ALTE DEMERSVM MVLTA
IMPENSA EXTRAXIT
HVNC IN LOCVM MAGNO
LABORE TRANSTVLIT
FORMAEQ. PRISTINAE
ACCVRATE RESTITVTVM
CRVCI INVICTISSIMAE
DICAVIT
A. M.D.LXXXVIII. PONT. IIII.

Ad occidentem

FL. CONSTANTINVS
MAXIMVS AVG.
CHRISTIANAE FIDEI
VINDEX ET ASSERTOR
OBELISCVM
AB AEGYPTIO REGE
IMPVRO VOTO
SOLI DEDICATVM
SEDIB. AVVLSVM SVIS
PER NILVM TRANSFERRI
ALEXANDRIAM IVSSIT
VT NOVAM ROMAM
AB SE TVNC CONDITAM
EO DECORARET
MONVMENTO

V. Refecto Trajani Imperatoris columnari monumento, in quo sculpta ejus gesta conspiciuntur, eoque sancte ab omni impuritate expurgato, hoc eodem anno Sixtus super ejus fastigium deauratum aeneum S. Petri Apostolorum principis simulachrum, novendecim palmorum altitudine erexit. Ad S. Petri pedes, in quatuor partes distincta haec verba leguntur.

SIXTUS V. B. PETRO APOSTOLO MDLXXXVIII.

VI. Per id temporis divino prorsus consilio typographiam Vaticanam, praesidium instructissimum ad propulsandas haereses, haereticorumque detegendas insidias fundavit, quam, teste Petro Galasino, Dominico Basae typographo Veneto commisit, ea lege, ut sacri codices, sanctorumque Patrum opera, quam emendatissime imprimerentur iisdem typis Vaticanis; et ut ejus typographiae beneficium ad omnes christianas nationes, vel disjunctissimas dimanaret latius, in eam non latinam solum, graecam, et hebraicam, sed caldaicam, arabicam, armenam, aetyopicam, aliasque linguas typis inducere decrevit; atque ut res felicius succederet, ejus curam

Galasinus in vita Sixti V.

eruditissimis viris, et linguarum, ecclesiasticarumque doctrinarum laude clarissimis undique accersitis commendavit. Prae foribus loci haec obviat inscriptio.

TYPOGRAPHIA VATICANA
DIVINO CONSILIO A SIXTO V. PONT. MAX.
INSTITVTA
AD SANCTORVM PATRVM OPERA RESTITVENDA
CATHOLICAMQVE RELIGIONEM
TOTO TERRARVM ORBE PROPAGANDAM

Pontifice adhuc superstite, iisdem typis vulgata fuere caetera volumina S. Gregorii Papae, hoc anno edita a Petro Rodulpho de Tossiniano, cui emendanda commiserat Sixtus, S. Bonaventurae volumina septem ab hoc anno MDLXXXVIII. usque ad annum MDCVI. studio praecipue cardinalis Sarnani, ac Angeli Rocca ex ordine eremitarum S. Augustini, et alia plura, de quibus Mutius Pansa apud Tempesti.

Tempesti tom. 2. lib. 4. n. 16. p. 61.

VII. Hoc eodem anno edita constitutione: *Eam semper* die XXVII. Aprilis, in theatro Vaticano e conspectu aedis pontificiae, domus amplissima opere firmo aedificari coepta est ejus jussu, in qua praeter veteris bibliothecae Vaticanae volumina, quae, ut scribit Mutius Pansa, hoc tempore ad numerum duodecim millium pervenerant, sacrorum etiam codicum longe plurimorum bibliothecae omnibus libris instructissima institueretur. Pontifex ita praeclarum et egregium sapientiae suae monumentum excogitavit, ut si caetera deessent, satis id unum esset ad ejus nomen immortale conservandum. Super bibliothecae januam haec prostat inscriptio.

Mutius Pansa diss. 9. num. 247.

SIXTVS V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM HANC
VATICANAM
AEDIFICAVIT EXORNAVITQVE
AN. M.D.LXXXVIII.
PONT. III.

Ciaconius ibid. colum. 125.

Ad dexteram ejusdem bibliothecae vestibuli monumentum habetur de ejus institutione, illustratione, incremento, atque translatione ita expressum.

SIXTVS V. PONT. MAX.

BIBLIOTHECAM APOSTOLICAM A FAVSTISSIMIS PRIORIBVS ILLIS PONTIFICIBVS QVI B. PETRI VOCEM AVDIERVNT IN IPSIS ADHVC SVRGENTIS ECCLESIAE PRIMORDIIS INCHOATAM PACE ECCLESIAE REDDITA LATERANI INSTITVTAM A POSTERIORIBVS DEINDE IN VATICANVM VT AD VSOS PONTIFICIOS PARATIOR ESSET TRANSLATAM IBIQ. A NICOLAO V. AVCTAM A SIXTO IV. INSIGNITER EXCVLTAM QVO FIDEI NOSTRAE ET VETERVM ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE RITVVM DOCVMENTA OMNIBVS LINGVIS EXPRESSA ET ALIORVM MVLTIPLEX SACRORVM COPIA LIBRORVM CONSERVARETVR AD PVRAM ET INCORRVPTAM FIDEI ET DOCTRINAE VERITATEM PERPETVA SVCCESSIONE IN NOS DERIVANDAM TOTO TERRARVM ORBE CELEBERRIMAM CVM LOCO DEPRESSO OBSCVRO ET INSALVBRI SITA ESSET AVLA PERAMPLA VESTIBVLO CVBICVLIS CIRCVM ET INFRA SCALIS PORTICIBVS TOTOQVE AEDEFICIO A FVN-

DAMENTIS EXTRVCTO SVBSELIIS PLVTEISQVE DIRECTIS LIBRIS DISPOSITIS HVNC EDITVM PERLVCIDVM SALVBRE MAGISQVE OPPORTVNVM LOCVM EXTVLIT PICTVRIS ILLVSTRIBVS VNDIQVE ORNAVIT LIBERALIBVSQVE DOCTRINIS ET PVBLICAE STVDIORVM VTILITATI DICAVIT AN. MDLXXXVIII. PONT. IV.

Ad laevam hoc et alterum pro conservandis libris extat monumentum.

SIXTVS V. PONT. MAX.

PERPETVO HOC DECRETO DE LIBRIS VATICANAE BIBLIOTHECAE CONSERVANDIS QVAE INFRA SVNT SCRIPTA HVNC IN MODVM SANCITA SVNTO INVIOLATEQVE OBSERVANTOR. NEMINE LIBROS CODICES VOLVMINA HVIVS VATICANAE BIBLIOTHECAE EX EA AVFERENDI EXTRAHENDI ALIOVE ASPORTANDI NON BIBLIOTHECARIO NEQ. CVSTODIBVS SCRIBISQVE NEQVE QVIBVSVIS ALIIS CVIVSVIS ORDINIS ET DIGNITATIS NISI LICENTIA SVMMI ROMANI PONTIFICIS SCRIPTA MANV FACVLTAS ESTO. SI QVIS SECVS FECERIT LIBROS PARTEMVE ALIQVAM ABSTVLERIT EXTRAXERIT DEPSERIT RAPSERIT CONCERPSERIT CORRVPERIT DOLO MALO ILLICO A FIDELIVM COMMVNIONE EIECTVS MALEDICTVS ANATHEMATIS VINCVLO COLLIGATVS ESTO A QVOQVAM PRAETERQVAM ROM. PONT. NE ABSOLVITOR.

VIII. Cum Pontificis cura, magna aquarum copia ad fontem Aquae Felicis, in Quirinali ad S. Susannae aream positam quatuor columnis, et tribus arcubus exornatam, adducta fuisset, ut tanti Pontificis munificentia perpetuo extaret, super arcus haec in marmore habentur incisa.

SIXTVS V. PON. MAX. PICENVS
QVAM EX AGRO COLVMNAE
VIA PRAENEST. SINISTRORSVM
MVLTAR. COLLECTIONE VENARVM
DVCTV SINVOSO A RECEPTACVLO
MILL. XX. A CAPITE XXI. ADDVXIT
FELICEMQ. DE NOMINE ANTE PONT. DIXIT
COEPIT. AN. I. ABSOLVIT III.
MDLXXXVIII.

IX. Paludem Pontinam mancipibus siccandam per haec item tempora locavit Pontifex, negotiumque Fabio Ursini, Latini filio commisit. Idque aggressus est Sixtus, ut et Terracinam ac loca ejus finitima aeris intemperie purgaret, et frumenti copia uberiorem redderet Terracinensem agrum, necnon a latronibus illum liberaret. Primus omnium manus ad hoc opus adjecit anno ab Urbe condita DLXXXIII. Publius Cornelius Cethegus consul, et anno a Christo nato CDXCIII. quo regnare coepit Ostrogothorum rex Theodoricus. Ruptis iterum, Gothorum furore, aggeribus, agri denuo illuviem passi fuere. Bonifacius VIII. Romanus Pontifex Sermonetanos campos colendos, palustresque aquas in territorii Setini flumen defluendas curavit; et Martinus V. spatiosum arvorum planitiem ab aquis liberavit. Sixtus autem Pontifex ad eas exsiccandas fossam novam, quae nunc etiam temporis ab ejus nomine flumen Sixti dicitur, fieri pracepit; unde longitudine ad XX., latitudine vero ad VII. milliaria factus est ager,

Galesinus in vita Sixti V.

Tempesti tom. 2. lib. 4. n. 28 p. 65.

biscentum mille aureis iu eam rem impensis. Dum fere ad mare deducta esset haec fossa, Sixto morte praeveuto, ad optatum finem deducere haud licuit. Ad tauti Pontificis laudem hoc epigramma coufecit Blancus iu aula Lateranensi inscriptum.

Cyntius ut Sixtum vidit siccare paludes
Palleuti tales misit ab ore sonos:
Sol suus est terris, quid ego mea lumina fundam
Nam mihi nec licuit, quod Sixte licet?

Paulus Alaleona pag. 400.

X. Decem triremes iu mari mire dispositas, quae praesidium essent, et Italiae securitatem, parari jussit hoc eodem anno Sixtus. De iis die II. Aprilis scribit iu suis diariis Paulus Alaleona: *Reverendis. D. Marianum Perbenedictum Episcopum Martoranum gubernatorem Urbis hanc triremem benedixisse post celebratam missam; eamque triremem fabricatam fuisse sub invocatione S. Bonaventurae, eademque die in aquam positam post prandium prope Tyberim, expensis S. P. Q. R. constructam.*

Ciaconius ibidem colum. 123.

XI. Pii V. Pontificis corpus tumulatum iu Ecclesia Vaticana, hoc anno die XI. Januarii Sixti jussu translatum fuit ad sacellum Praesepis, magnis sumptibus ab ipso constructum, completumque hoc eodem anno, iu Basilica Liberiana, comitantibus S. R. E. cardinalibus, clero saeculari ac regulari, principum oratoribus, confraternitatibus, optimatibus Urbis, ingentique populo. Postero die, Sixto ac XLIV. cardinalibus praesentibus, Cardinalis Carrafa rem divinam pro Pii anima solemni ritu iu eadem Basilica egit. Funebrem Pii V. laudem habuit Autouius Boccapaludius. Sepulchrum Pii V. a Sixto positum e candenti marmore enychino africo, quatuor columnis et Pii immagine, splendenti albo marmore effecta, Pium sedentem pontificia tiara et cultu exornatum refereute, et duobus epitaphiis a Cabrera scriptis, exornatur. Licet in his aliisque rebus perficiendis ingenti auri vim erogasset Sixtus, nihilominus hoc eodem anno praesidium ducentorum aureorum millium pro ubertate annonae Urbis instituit: *Abundantes* XVII. calend. Aprilis, et alia decies centena item aureorum millia in arce S. Angeli pro consulendis Ecclesiae catholicae necessitatibus reposuit: *Etsi non permultis* V. calendas Maii.

XII. Auimum exinde convertens Sixtus ad totius Ecclesiae bonum, cum Romanus Pontifex solus explere haud valeret singula, quae ad Apostolicam Sedem ex universo christiano orbe referuntur, ideo ea inter S. R. E. Cardinales, qui ex diversis nationibus selecti semper Romano Pontifici assistunt, apta quaedam distributione partiri decernens: *Immensa* XI. calendas Februarii, congregationes XV. instituit, quarum singulis certa negotia iu iis tractanda assignavit, ita tamen, ut graviores difficilioresque consultationes ad Pontificem deferrentur, quemadmodum olim Moyses de soceri sui consilio, Deique jussu, Senatum LXX. Seniorum conscripsit, qui cum eo onus populi sustinerent, ne solus ipse gravaretur, ac nihilominus graviores causae ad eum deferrent. Igitur I. congregatio fuit pro *S. Inquisitione haereticae pravitatis*, firmissimo catholicae fidei propugnaculo, antea jam instituta, ac denuo ab ipso confirmata, cui ob summam rei gravitatem ipse Romanus Pontifex praesidet. II. pro *Signatura Gratiae*, ut quae gratiae ex judicum ordinaria facultate expediri nequeunt, in ea examinentur, et si honesta fuerint, concedantur, cui etiam praesidere consuevit Romanus Pontifex. III. pro *Erectione novarum Ecclesiarum*, juribus,

redditibus, aetate, qualitateque provendorum, et provisionibus in consistorio proponendis. iv. pro *Ubertate annonae* status ecclesiastici. v. pro *Sacris ritibus et caeremoniis* in sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione adhibendis. vi. pro *Classe* paranda et servanda ad status ecclesiastici conservationem. vii. pro conficiendo *Indice librorum* probibendorum, aut expurgandorum, quibus fideles corrumpi possent. viii. pro *executione et interpretatione* decretorum conciliorum provincialium singularum nationum, sibi tamen reservans, quae ad fidei dogmata pertinent. ix. pro status ecclesiastici *gravaminibus* vectigalium ac tributorum cognoscendis, et componendis. x. pro *Universitate studii romani*, aliorumque etiam necessitatibus. xi. pro *Consultationibus regularium* cujusvis ordinis. xii. pro *Consultationibus Episcoporum* et aliorum praelatorum non regularium, ac de visitationibus Ecclesiarum. xiii. pro *viis, pontibus, et aquis* status ecclesiastici curandis xiv. pro *Typographia Vaticana* a se erecta, edendis pure sacris Bibliis, conciliis, operibus SS. Patrum, constitutionibus Pontificum, et decretalibus epistolis. xv. pro *Consultationibus negotiorum status ecclesiastici*. Quibus omnibus et singulis facultates proprias sapienter adjunxit.

XIII. Sacro Cardinalium collegio hoc anno adscripsit Pontifex idibus Julii Joannem Franciscum Manrocenum Venetum, Senatoria dignitate decoratum, et Episcopum Brixiensem, qui ab ipsomet Sixto missus Nuncius Apostolicus in Galliam, ut catholicae religioni prospiceret, presbyter Cardinalis titulo SS. Mm. Nerei et Achillei electus est, dum haec Pontificis mandata prosequeretur. Augustinus Cusanus nobilis Mediolanensis xix. calendas Januarii, clarus moribus, et scientia insignis item cooptatus est inter S. R. E. Cardinales, titulo Diaconiae S. Hadriani; et Franciscus Maria, dictus a Monte S. Mariae, oppido in Umbria sito, ex marchionibus ejusdem oppidi dominis ortus, Diaconus Cardinalis S. Mariae in Domnica renunciatus. In rebus agendis dexteritate, mira affabilitate, ac jucundissimis moribus praeditus erat. *Ciaconius ibidem col. 190. et seq.*

XIV. Haec cum ageret Sixtus, Henricus III. Galliae rex foederatorum postulatis, semel et iterum propositis aures accomodavit. Rothomagi edictum ab ipso rege conditum et Lutetiae promulgatum et confirmatum, in eo potissimum versabatur, ut religio catholica ubique et omni tempore tueretur, ac ut exterminarentur a toto regno, regiisque ditionibus perduelles haeretici. Delata insuper fuit ab ipso Henrico, Guisio duci per regis absentiam summa armorum praefectura. Haec Pontifex accipiens, ad Cardinalem Borbonium, et Henricum Guisium foederatorum patronum die xv. Julii epistolas dedit, quibus commendato utriusque studio in promovendo religionis catholicae negotio, Guisium ipsum peculiari elogio Machabaeis comparat, qui pro patria, pro templo, pro Dei lege, immortali cum gloria decertaverat. Has Pontificis litteras in regis contumeliam scriptas fuisse multi eo tempore interpretabantur; certum tamen est, inquit Spondanus, *numquam Sixtum approbasse foederatorum contra regem conjurationes*. *Spondanus ad an. 1588. n. 1. et seq.*

XV. Hoc eodem anno Octavianum Francipani Calatinum episcopum, qui in Germania simul ac Belgio nuntii apostolici munus gerebat, Lovanium misit ad componanda dissidia super quibusdam doctrinae articulis inter universitatis Lovaniensis, et Societatis Jesu theologos orta, hoc brevi instructum.

SIXTUS PAPA V.

Venerabili fratri Episcopo Calatino salutem et apostolicam benedictionem.

Ex reg. secr. Brev. in mense Aprilis pag. 52.

Ex fraternitatis tuae litteris ad Nos proxime allatis controversias inter universitatis Lovaniensis theologos, et sacerdotes Societatis Jesu, in quibusdam sanae doctrinae articulis ortas fuisse cognovimus. Qua in re vehementer in Domino commendamus prudentiam tuam, pietatis zelum, diligentiam, et curam omnem, quam opportune adhibuisti, ut tam pernicioso dissidio occurreres. Cum autem ejusmodi contentiones, quarum consuetudinem nec Nos, nec Ecclesia Dei habet, ut ad Corinthios Apostolus scribit, perpetuo seditionum auctore satana suggerente, ecclesiarum scissuras parere consueverint, verendum maximopere est, ne damnum exitiale ecclesiae catholicae afferant, nisi confestim tollantur. Ideo Nos, pro apostolicae servitutis nostrae munere, tam gravi malo, ne sensim latius serpat, mederi volentes, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, ut Lovanium, cum primum commode fieri potest, conferas, et quibuscum oportet, omni charitatis officio, et qua es prudentia, studiosissime agas, ut earum contentionum ac dissentionum finem omnino faciant universi ac singuli, qui de iis articulis tam graviter inter se dissident. Quod si officium hoc illico exequi coram non poteris, idem litteris tuis diligentissime praestari, nostro mandato urgebis: nempe ut illi inter se dissidentes ab omni interea decertatione desistant, quoad apostolica nostra auctoritate de eorum controversiis ac disceptationibus mature decernamus. Praesertim cum id persuasissimum habere illi debeant, B. Petri tantum successori Pontifici Romano licere, doctrinae christianae res controversas definire, alii vero nemini. Itaque hoc valde curabis, et quamprimum efficies, ut omnia quae earum quaestionum aut contentionum scripta illi vel universe vel singillatim habent, tibi tradant, eaque tradita simul, atque poteris, obsignata ad Nos recta mittas, ut duce auctoreque Spiritu Sancto, ea definiamus, quorum sartam doctrinam eos habere oportet. Quod si fraternitatis tuae cohortationibus, quas nomine nostro adhibueris, parere illi recusaverint, tunc demum potestatem fraternitati tuae omnem facimus inhibendi, ut ab hisce opinionum dissidiis et contentionibus penitus se abstineant, proposita excommunicationis latae sententiae poena et aliis censuris arbitrio tuo, quam te exequi volumus, invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Speramus autem illos plane obedientes fore, usque adeo ut tui religiosi necessariique studii atque officii, quod ea in re praestiteris, fructus Nobis constet.

Datum Romae apud S. Petrum die XV. *Aprilis an.* MDLXXXVIII. *Pontificatus nostri anno* III.

M. Vestrius Barbianus

XVI. Dum Philippus II. classem, quam *invincibilem* vocabant, in Angliam contra Elisabetham, at infelici successu, mittebat, ipsa magis exacerbata contra catholicos, multi eorum utriusque sexus, atque inter eos nonnulli socerdotes mortem, aliaque supplicia ejus mandato subierunt. Ex minorum observantium familia praecipui fuerunt Joannes O Mollay,

Cornelius Doghuty et Calfridus Feral, qui in coenobio de Bantry a satellitibus capti, in arce de Doghuty, postquam equleo torti fuissent, suspendio dèmum necati sunt. Item hoc eodem anno Demetrius O Mulkony, Thaddaeus O Boyh, et Patritius Brady similia passi sunt. Joannes et soc. mm. *Brenan t. 1. p. 128.* Demetrius et soc. mm. *Idem ibid. p. 129.*

XVII. Summus Pontifex exempla sequutus Pii Papae V. qui quatuor ecclesiae doctoribus Ambrosio, Hieronymo, Augustino, et Gregorio quintum addidit S. Thomam Aquinatem ordinis praedicatorum, sexto loco S. Bonaventuram Balneoregensem ex Minorum Ordine, ob praestantissimam ejus eruditionem, Sacrarum Litterarum cognitionem, puramque interpretationem inter SS. Ecclesiae doctores cooptavit: *Triumphantis* pridie idus Martii. Qua quidem in die, in qua anniversaria sui corporis translationis memoria colitur, cum sacra solemnia in minorum conventualium Basilica SS. XII. Apostolorum de Urbe agerentur, Mauritius Bressius vir eloquentia clarus et doctor regius ad purpuratos patres in S. Bonaventurae laudem hanc protulit orationem.

Fortis imperatoris decus est, Beatissime Pontifex, injustis ex hostibus virtute superatis parta victoria; boni autem pastoris tutus a furum ferarumque insidiis pecudum pastus; periti vero gubernatoris, ut placato pacatoque mari, sic irato et saeviente, prospera navigatio. At Pontificis Maximi, qui illa complexus omnia, quod imperator civibus, quod pastor ovibus, quod nauclerus vectoribus, id humano generi, non magis verbo quam re factisque sit, vera laus est, servata ab ostium christiani nominis incursionibus, a belluarum immanium laniatibus, a terroribus ac periculis circumfrementium fluctuum sacrosanta Jesu Christi ecclesia. Quae quidem, etsi rudibus, veris tamen lineamentis Sanctitatem adumbrant Tuam. Cum namque animadverteres instrui in catholicos haereticorum acies, rapaces lupos rugientesque leones ovile Christi circumsistere, B. Petri navim variis insanorum dogmatum procellis ac tempestatibus agitari, non otiose esse deflendas christiani gregis angustias, sed enixe summaque ope sublevandus existimasti. Itaque ut princeps bellica laude clarus, adversus haereticorum exercitus, non solum ex vivis fortissimos tribunos militum, quos hinc inde circumspicio, delegisti, sed etiam clarissimum magistrum equitum, fusurum proculdubio et caesurum perditorum hominum copias a superis devocasti. Et pastor vigilans, canem acerrimum non mutum, sed latrantem, nec latrantem modo, sed lacerantem in feras, Christi ovibus insidiantes, immisisti. Ut gubernator scientissimus assumpsisti in partem moderaminis experientissimum proretam, cujus remigio, vectoribus incolumitatibus, concreditum tibi navigium ad salutarem portum appulsurus es. Credo, vel si verbum non addam amplius, satis intelligi, non alium magistri equitum, nec excubitoris canis, nec proretae appellatione, quam Beatum Bonaventuram designari, cujus in Beatorum pridem, in Doctorum modo relati numerum, illud a Sixto IV. hoc a virtutum ipsius aemulo Sixto V. consecuti, quantum deinceps sit valitura auctoritas, quantum ad profligandas haereses subtilissima, et pietatis plenissima scripta sint habitura ponderis, quis ignorat? Non enim certiora curandorum corporum et morborum depellandorum remedia praescribunt medici, quam Ecclesiae Doctores, praecepta purgandorum falsis opinionibus et erroribus animorum. Id causae fuit, cur Jesus Christus Doctores tantopere extulerit, ut quemadmodum ex evangelio modo recitato

audivimus, *eos tum* sal terrae *tum* mundi lucem *vocaverit*, *dixeritque eum, qui mandata Dei fecerint et docuerint, magnum vocatum iri in regno coelorum. Id causae est, cur de iis tam magnifice praedicaverit Daniel*: qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. *Caeterarum igitur artium hominibus levia et exigua Sacris Litteris decernuntur praemia; medicis propter necessitatem honos; magistratibus propter conscientiam obedientia; Caesari propter imperium vectigal; at doctoribus quod docendo et ad veritatem instituendo praeluxerint aliis, ut stellarum fulgentissimarum instar in perpetuum radient et splendeant, peculiari privilegio attributum est. Merito; nam si nihil hominibus est visibili hac luce clarius, quod per eam vitae suavitatibus fruamur, eaque sublata, tollantur et ipsae pariter, quanto pretiosior lux animorum judicanda est, quique ipsam caeteris praeferunt, duces et monstratores itineris, quod ad aeternam beatitudinem deducit, ut celso et honorato sunt habendi loco? Cumque pastorum omnium ea sit dignitas, majora tamen sunt eorum merita, qui non tantum voce praesentes, verum etiam absentes scriptis erudiunt. Caeterorum namque una fere cum suis auditoribus intermoritur beneficium; at horum saeculis innumerabilibus viget: ac illorum quidem documenta ad certos eosque paucos dumtaxat pertinent; horum autem ad omnes omnium saeculorum homines. Hi studiorum nostrorum, hi vigiliarum, hi rusticationum sunt socii. Horum monitis et bene religioseque instituendae vitae praeceptis, quae assidue scaturientia nostris mentibus instillant instillabuntque semper, non pacis, non belli tempore, non noctu, non interdiu, non sani, non aegroti, non juvenes, non senes destituimur. Ex hoc genere B. Bonaventuram futurum, hoc est, sal terrae, mundi lucem, ecclesiae sidus clarissimum, facem evangelii, falcem haereseon, ventilabrum ecclesiasticorum dogmatum, securim emortuarum et infrugiferarum arborum, propugnaculum catholicorum, arcem fidelium, crucem haereticorum, Deus tanti operis fundamenta jam tum jaciens, excellenti animo et divina quadam vi ingenii donavit. Utque generosa illa indoles ad perfectum virtutis robur adolesceret, permovit eum, ut contenderet Lutetiam, urbem Gallorum regiam matrem disciplinarum, nutricem philosophiae, sacrarum litterarum fontem uberrimum et purissimum. Unde cum christianam philosophiam hausisset, ministrantibus viris ex abundantissimis, ac praesertim Alexandro Alense, doctor renuntiatus, ad theologiam docendam, maximo concursu auditorum, et incredibili admiratione universorum aggressus est. Cum quidem Petri Lombardi magistri sententiarum et Parisiensis episcopi libros, quibus summus ille vir singulari artificio ac brevitate, fidei christianae summam complectitur, publice interpretatus est; ac ne doctissimae ipsius scholae et commentationes utilissimae interciderent, sed iis frueretur omnis posteritas, eundem auctorem luculentissimis et subtilissimis commentariis explanavit. Nihil ut in ipso reliqui fecerit, aut tam anceps, tamque ambiguum quod non distinxerit, aut tam obscurum, quod non clarissime illustraverit; aut tam reconditum et abstrusum, quod non eruerit. Idque illum sic praestitisse, ut quisquam poterat optime, argumento est, quod qui deinceps eundem auctorem attigerunt, ubi a B. Bonaventurae sententia recesserunt, deterius id reddidisse: iidem si quid acute accurateque scripserunt, ejus e commentariis*

deprompsisse videantur. Nec tamen hoc unum est eruditionis ac ingenii monimentum ipsius, sed sacra, prope dixerim, pagina, quanta est, ejus eximias in omni genere litteras testatur. Nam tamquam similis patrisfamilias de thesauro suo nova proferenti et vetera, bonam partem cum veteris, tum novi testamenti commentando persecutus est. Exorsus enim ab ipso et mundi et bibliorum exordio Geneseos libro, adeo sublimiter in eo enarrando philosophatus est, ut nihil supra. Psalmi quoque, et Canticum et Ecclesiastes ejus opera et lucubrationibus fructuosius, quam antea evolvuntur. Quantas porro Salomonis e sapientia opes profert? quantas divitias? quam variam et copiosam supellectilem? Idem miserandum Judaeorum casum et servitutem babylonicam, ut flebiliter, et miserabiliter cum Hieremia deflet, et lamentatur! Atque ut ad novum testamentum veniam, ille evangelia, praesertim Lucae et Joannis, ille epistolas, quae ad praescriptas anni totius conciones selectae sunt, ille denique w bibliorum Apocalypsim, tenebrarum obscuritatibus, et salabrarum asperitatibus liberavit. Quippe qui rectam interpretandae scripturae sacrae viam ingressus fuerit, quam eamdem monstravit praescripsitque nobis in divino illo breviloquii opere, ut verbi Dei oracula alia exponeret et illustraret ex aliis. Ut autem periti palaestritae est, non solum praestare illaesum et intactum ab antagonista corpus, verum etiam caedere et ferire adversarium, sic ille non satis habet germanam sacrae scripturae mentem, sinceramque doctrinam tradere, sed una eademque opera haereticorum pravas opiniones destruit. Quo in genere quid eo cogitari potest mirabilius? Nihil enim contra ipsos demonstrandum suscepit unquam, quod non plenissime probaverit, nihil oppugnandum, quod non penitus everterit. Jam vero cum prisci illi patres sui saeculi haereses confutaverint, B. Bonaventura perinde ac si prophetico instinctus spiritu futura tanto ante prospiceret, non illas modo, sed et quas Satan aetate nostra saevit, convellit. Ac illorum quidem, ut facultate oratoria suadere conantium, lenior et placidior fuit oratio. Hujus autem adamantinis logices et scholasticae disciplinae necessitatibus constricta, lacertisque dialecticis vibrata epicheremata, vel invitos et repugnantes quocumque volunt, pertrahunt, ut talem ipsum agnoscas, qualem episcopum B. Paulus describit, potentem exhortari in doctrina et contradicentes arguere. Quod cum passim ex ejus scriptis perspicias, tum vel maxime ex apologia pauperum, quorum obtrectatorem Giraldum quendam de Abbatisvilla, divina vindicta (ad confirmandam et stabiliendam summi viri doctrinam) duplici paena, paralyseos et leprae, ulta est: sic Mariam, quod in Moysen insurrexisset, lepra corripuit: sic Dathan, Core, et Abiron dehiscens terra absorbuit: sic pueros qui Eliseo maledixerant, ursi coelestis irae administri dilaniarunt: sic Arius qui impuram adversus veritatem linguam strinxerat, cum naturae necessitati pariturus paulisper a via secessisset, una cum visceribus et intestinis, instar Judae, impiam profudit animam. Adeo severe Deus jus suum in Prophetis sacrisque Doctoribus male acceptis violatum persequitur. Beatus autem Bonanventura, non ea tantum quae ante dixi, opera conscripsit, sed tam multa insuper, quorum partim in lucem prodierunt, partim in gallicis bibliothecis aliisque hactenus asservata sunt, ut vel ipsos recensere eorum indices longum sit futurum. Atqui ne illud quidem nos fugiat, ut eximia et admiranda sint ea, quae mandavit litteris, nec quis-

quam tot retro saeculis ad ejus sublimitatem adspirare potuerit; fuisse tamen illa, crassa quaedam et rudia doctrinae ingeniique ipsius simulacra, ut mihi, quod apud Platonem est, occurrat dicere: ludum esse sapientum scripta, prae ipsorum colloquiis et congressibus. Quocirca ne mihi tantum doctorem ex ejus dumtaxat scriptis aestimes, nisi forsitan, ut ex ungue leonem, sed metire ex Clementis Papae IV. judicio, qui cum perdivite Eboraci Britanniae oppidi episcopatu, ipsius litteras pietatemque decorasset, vir pius in eo munere repudiando Silvestros, Ambrosios, Gregorios Nazianzenos, Sinesios. Gregorios Magnos, atque alios praestantes sanctitate viros imitari maluisset; metire ex octodecennali totius franciscanorum ordinis praefectura, summa cum laude gesta; metire ex Lugdunensi concilio, quod ejus potissimum celebratum et administratum est consilio. Cum enim Gregorius X. maximis gravissimisque de causis, inprimis autem ut graeci ad Apostolicae Sedis unionem et observantiam revocarentur, Lugdunum Patrum concilium indixisset, e vestigio omnes in unum Bonaventuram conjecerunt oculos, quod eum quantislibet difficultatibus explicandis et expediendis omnium maxime idoneum ducerent. Itaque ut sententiam de superiori loco diceret (non enim tantum lumen ecclesiae aequum erat sub modio occultari diutius, sed ex altissimi cujuspiam montis vertice larga luce terras complere) idem Gregorius eum S. R. E. Cardinalem et Episcopum Albanensem dixit. Ac ut olim summum illum Thebanorum ducem Epaminondam, cum aliis ducibus constitutis, privatus mereret, copiis in procinctu stantibus ex milite imperatorem creatum legimus, sic sane difficillimis christianae rei temporibus B. Bonaventurae cardinalitia dignitas est delata, eidemque una cum duobus episcopis, Rhotomagensi et Tripolitano, triumviris utique familiae franciscanae alumnis, mandatum est, uti prospiceret, ne quid ecclesia detrimenti acciperet. Credidisses ipsam tum maxime unius D. Francisci humeris sustineri. Viri et termaximi et termaximae ac religiosissimae disciplinae principis, quae tantum cultorum et sectatorum nacta est, ut aeque numero, aeque litteris, aeque sanctimonia, caeteros una vicerit et longo praecurrerit intervallo. Ut enim cardinales, quos illa et plurimos et egregios extulit in praesentia omittumus, ne perorationi, ad quam festinat oratio, longior afferatur mora, an vel olim Nicolai IV. Alexandri V. Sixti IV. majores vestros poenituit? vel hodie, vos Illustrissimi Reverendissimique Patres, te sacra panegyris, te Roma, te Italia, vos omnium orarum et regionum gentes Sixti V. Pontificis Optimi Maximi poenitet? Quo sedente ac moderante terris (quantum potero voce contendam, ut hoc omnes exaudiant) beatissima urbium Roma est, felicissima provinciarum Italia, totusque terrarum orbis fortunatissimus. Tantum commodi apportat sapientia, quoties vel ea ad principem, vel ad eam principatus accesserit. Verum de tuis, Beatissime Pater, laudibus dicendi plenius et copiosius, Tua Sanctitas maximis et mirabilibus quotidie gerendis suppeditabit nobis argumenta saepissime. Nunc autem B. Bonaventuram Lugduni in sancta synodo paulo ante relictum, quid agat revisamus. Ipsi igitur praecipuum Lugdunensis concilii incumbebat onus, ut orientem cum occidente conjungeret, graecam cum latina ecclesiam, quas intermedius discrepantium in quibusdam religionis capitibus opinionum, partes dirimebat. Hunc verbi Dei malleo disjecit, et disturbavit, coegitque, ut pastor in stabulum errabundas aves

sic graecos antea balantes et devios in unum cum romanis corpus ecclesiae. Docuit enim ipsos, Sanctum Dei Spiritum una cum Patre et Filio, tamquam ab utroque, non ab altero tantum manantem adorare. Docuit Pontificem Romanum Summum esse toto orbe Pontificem. Docuit delicta nostra post mortem igne purgatorio expiari. Docuit celebrandam pane azymo Eucharistiam, ut appareat, quod ante dixi, ejus theologiam non in scriptis tantum eluxisse, sed etiam in sermonibus, disputationibus, congressibus, maximeque Lugdunensi concilio claruisse. Dignam quam omnis suspiciat, et veneretur posteritas, ac vel ipso graecorum testimonio augustam, qui quo tempore divinus ille Doctor supremum diem obiit, flentes et quiritantes clamabant christianisimi columnam corruisse, divino tamen augustiorem miraculo. Quid enim, quaeso, aliud voluit illa B. Bonaventurae capitis centesimo et sexagesimo post obitum anno integritas, quam, uti quondam humano capite, dum fundamenta Capitolii agerentur invento, responsum est ab hariolis, protendi futuram caput mundi Romam, sic ipsum aliquando Doctoribus ecclesiasticis, quod perfectum hodie videmus aggregatum, fore theologiae studiosorum caput? Ego vero video ex sacrarum rerum scriptoribus fuisse, qui Subtiles vocarentur, qui Angelici, qui Irrefragabiles. At hunc unum eximiarum virtutum et perfectionum merito consecutum, ut communi consensu concessuque omnium Doctor Seraphicus nuncupetur. Idque eam, opinor, habet sententiam, quod uti Seraphim ecclesiasticae hierarchiae primas obtinent, ad divinae majestatis amorem mirabiliter inflammati, sic ipse egregie inter caeteros, et scriptis et vita Deum spirat, ejusque colendi et venerandi ardore incredibili exardescat. Quamobrem aliis alii Doctorum dignoscantur notis et indiciis; Doctoris quidem Seraphici insigne, et character erit flagrantissimum pietatis, ut ita dicam, incendium: non eum solummodo perurens, sed et quicquid appropinquaverit, ad eumque accesserit, concalefaciens, et inflammans. Denique is vere Doctor est doctorum vetustissimos et celeberrimos aequiparans. Doctor omnibus eximii et exquisitissimi pastoris ecclesiae numeris absolutus. Doctor et olim, et nunc et in posterum, et a cunctis, et ubique laudatus. Doctor qui non secus inter theologos coruscat, quam inter sydera Hesperus. Jure igitur optimo publicoque bono factum est, ut tanti viri doctrinam SS. D. N. Sixtus V. de collegii pontificii sententia, vel potius Sancti Spiritus afflatu ad augustam Sanctorum Patrum priscorumque doctorum religionem et venerationem consecraverit. Quamquam si apud Sanctitatem Tuam fas est loqui liberius (ut vera dicenti semper fas erit) vereor ut non eum doctoribus ecclesiasticis primus annumeraveris, sed hoc pii jampridem omnes, hoc ecclesia universa, in qua tantum tamque celebre ipsius nomen est, jam dudum consensione tacita decreverit, apostolicam modo auctoritatem interposueris, ne quis cuiquam deinceps injiciatur scrupulus, ullave dubitatio supersit. Quod quidem a nemine Pontificum potius quam abs te, cui tanta cum Doctore Seraphico similitudo et cognatio intercedit, factum oportuit. Ecce enim principio, quod non sine Dei numine, tantis quidem in viris accidit: paria vobis et affinia non magis nomina, quam fausta et festa ipsorum omina: illi Bonaventurae, tibi Felicis. Exinde idem ordinis caput, eademque vos extulit, eduxitque familia, pietas, zelus Dei, eruditio singularis, theologiae in accademiis professio, conciones, elo-

quentia, scripta, praefectura ordinis, episcopatus, cardinalatus. De reliquo christiani illius Herois vita functi, sanctimoniam, et opera decretis confirmavit ecclesia. Tibi ad celsissimum et augustissimum inter mortales, longeque cardinalitio illo sublimiorem dignitatis gradum, divina providentia evecto (utpote non unius Pastori urbis, sed orbis terrarum Rectori et moderatori) ut ampliorem et uberiorem de re christiana benemerendi segetem et materiam Deus praebuit; ita posteaquam recte et ex dignitate (sicut fecisti hactenus, facturumque Te semper confidimus) ea in terris usus fueris: sed caetera quilibet laudatissimum et gloriosissimum vitae tuae curriculum intueris, facile per se adjiciet et divinabit. Quod restat, ut eum quem par est ex tanta SS. D. N. bonitatem tamque singulari beneficio fructum orbis percipiat, vos qui ubique estis gentium christianae sapientiae candidati, vos monachi, eremitae, anachoretae, qui puritatis et integritatis morum magistros solitudines incolitis, vos politici, qui pie fovendae, et tutandae humanae societati estis praepositi, vos theologi, quorum vita est assidua verbi Dei meditatio, et commentatio, vos sacerdotes, quibus sacrarum rerum tractatio et administratio delegata est, vos Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae quibus regendi et moderandi cleri potestatem, quasi quasdam habenas, Deus tradidit, vos fideles Pontificis Maximi consiliarii S. R. E. Cardinales, B. Bonaventurae Doctoris hactenus quidem Seraphici, nunc vero etiam Ecclesiastici sanctimoniam sectamini, doctrinam exosculamini et amplexamini, ejusque exemplaria, quae felicibus Sixti Patris Sanctissimi auspiciis, et munificentia auctiora et politiora brevi lucem aspicient, nocturna versate manu, versate diurna.

XVIII. Hoc item tempore ad totius seraphici ordinis decus alia praestitit Pontifex. Lata enim constitutione: *Ineffabilis* calendis Januarii in ipso sui ordinis SS. XII. Apostolorum de Urbe coenobio, S. Bonaventurae nomine collegium instituit, in quo ex laudati S. Bonaventurae praecipue operibus et commentariis sacra theologia rite explicaretur. Sub eadem die mandat archiepiscopo Theatin. *Ex justis*, ut nomine hujus collegii possessionem capiat omnium redditium monasterii S. Mariae Arabonae. Alteram sub id temporis constitutionem: *Apostolici muneris* xi. calendas Februarii edidit, qua bonis eodem collegio jam assignatis, alia superaddidit pro manutentione xx. saltem collegialium. Ut autem bono ejusdem collegii regimini prospiceretur, Pontificis jussu Alexander cardinalis de Monte-Alto ejusdem collegii protector sequentes vulgavit.

CONSTITUTIONES COLLEGII S. BONAVENTURAE DE URBE.

XIX. » Quoniam SS. D. N. Sixtus V. O. M. ob eximiam suam
» charitatem, qua seraphicam minorum conventualium religionem prose-
» quitur, assidue in ea cogitatione, curaque versatur, ut illam bonarum
» artium studiis, ac praesertim litterarum disciplina ornatiorem in dies,
» perpetuoque florentem reddat, ideoque collegium S. Bonaventurae in
» conventu SS. Apostolorum de Urbe, ubi ejusdem ordinis professi sa-
» crae theologiae operam navent, nuper instituit, Nobis praeterea prae-
» dicti collegii patrocinium, tutelamque demandavit, ut in litteris apo-
» stolicis, quarum exemplum inferius subjiciemus, plenius continetur.
» Propterea ut idem collegium perpetuo consequentibus temporibus fe-
» lici regimini gubernetur, ejusque alumni eos in vinea Domini fructus

» afferant, qui maxime expectantur, et quorum gratis prima hujus operis » fundamenta jacta fuerunt, has leges, et constitutiones ex Sanctitatis » Suae auctoritate, ac religiosissimi animi sensu condendas decrevimus ».

1. » Erit in primis eorum qui in collegio manebunt, non minor numerus, quam viginti, qui et professi omnes erunt, et baccalaurei, » habeantque omnes qualitates et requisita juxta formam litterarum erectionis collegii a SS. D. N. emanatarum. Erit etiam eorum una cum » aliis fratribus domus, seu conventus SS. Apostolorum, eadem communisque mensa, ac venerabili guardiano, qui pro tempore fuerit; » obedientiam praestent, tam quoad vitae disciplinam, quam ecclesiae » cultum, cujus quidem rei ea ratio habenda est, quae alibi, ubi fratrum S. Francisci studia vigent, haberi solet. Propterea procuratori » conventus, vel alii per guardianum deputato, ex collegii proventibus » constituit Protector pro regentis, et collegialium supradictorum victu » scuta triginta quinque monetae pro quolibet singulo anno, quarto quoque » mense anticipata solutione numeranda. Nec liceat procuratori, vel alii » deputato erogatam pecuniam ad alia, quam ad ea, quae victui necessaria sunt; comparanda, ullo modo convertere. Quod si in alios usus, » quam suprascriptum sit, pecunias erogaverit, a ministro generali ad » omnem requisitionem, et interpellationem Protectoris, officio privetur, » ac inhabilis ad alia obtinenda per triennium sit; quod ut servetur, » collegii regens, vel alius, quem ipse Protector constituet, diligenter » curabit. Quod si collegii proventus augeatur, praedictorum etiam collegialium numerus augebitur. Habeant singuli singula cubicula, lecto, » arca, tabula, et alia necessaria suppellectili instructa ».

2. » Qui eligendi sunt, aetatis erunt non minoris viginti annorum, » ex legitimo matrimonio procreati, et cum qualitatibus juxta formam » litterarum SS. D. N. ita ut nullius dispensationis, aut legitimationis » praetextus quoad eorum admissionem natalium suppleat defectum; nec » alius ullus eligatur, nisi qui Logicae, Physicae, et Methaphisicae cursum peregerit, et sacrae theologiae, ut infra dicetur, saltem per annum » operam dederit, ejusque rei in disputationibus, aliisque actionibus publicis specimen aliquod ediderit: tantum enim provectiores scholares » in hoc collegium Sanctitas Sua admitti voluit, quo demum ecclesiae » Dei fiant magis utiles, et ad honores magis idonei »

3. » Electionis autem ea ratio observanda est, ut generalis minister » ordinis (quippe quem fratrum suorum conditionem magis exploratam » habere existimamus) tribus mensibus ante capitulum generale, quadraginta saltem baccalaureorum nomina ex diversis provinciis, qui tales » sint, quales jam diximus, in schedula descripta ad Protectorem mittat; » et si eligendorum numerus major viginti fuerit, quo plures erunt, eo » major quoque numerus in eadem schedula annotabitur. Protector autem » adhibito generali ordinis procuratore, vel alio sibi beneviso, ex eo » numero illos eliget, qui in collegium cooptandi erunt, quorum etiam » nomina ad generale capitulum transmittat, ut in tabula religionis ordinaria possint adscribi. Quod si forte contigerit ex electis locum aliquem deficere, Protector ex illis eliget, qui in schedula sibi a generali porrecta superfuerint, atque in deficientis locum illum substituet.

» Quod si electio secus facta sit, irrita sit, et nulla, nec ullum juris » sortiatur effectum ».

4. » Manebunt autem in collegio triennio tantum, quod sane tempus » satis esse videtur ad eam consequendam eruditionem, qua Sanctitas » Sua eos erudiri, atque institui cupit, nisi ex aliqua rationabili causa » aliud Protectori videatur. Tum demum aliis, qui sibi succedent, loca » dimittant, ita enim fiet, ut in hac religione ad communem omnium » utilitatem eruditorum hominum numerus facile augeatur ».

5. Quamvis autem (ut experientia docet) nihil sit, quod felicem » studiorum cursum magis retardet, quam discentes hac illac, praesertim » quadragesimae tempore, pervagari, quo nullum est aptius ad litterarum » studia, et propterea melius cum illis ageretur, si se a praedicandi mu» nere continerent, considerata maxime brevitate temporis triennii hujus» modi studiis praescripta; quia tamen praedicatio evangelii necessaria est » et quod solitarum lectionem studiis aufertur, praedicationum exercitio » accrescit, et ut scholares ad Dei servitium in praedicandi munere se exer» ceant, concedimus ut qui idonei erunt, sive in Urbe, sive extra Ur» bem munus praedicationis suscipere possint. Qui vero extra Urbem con» cionatum ibunt, non alias discedent, nisi Protector et regens discedendi » dederint potestatem, certo tamen tempore pro locorum distantia limi» tandam, ne liberius vagandi occasionem habeant. Quod si debito tem» pore non redierint, ut decet, corrigantur »

6. » Ii vero, qui potius in collegio studiis, quam praedicationibus » inservierint, ea de causa quolibet anno scuta viginti duabus solutioni» bus dentur pro vestitu, pro libris comparandis, ac aliis necessitatibus » sublevandis ».

7. » Quia vero cupimus, quod regens, quoad fieri potest in suo do» cendi munere progrediatur, ipso praesertim quadragesimae tempore, » quae anni pars ad studia caeteris temporibus (ut diximus) videtur ac» comodatior, idcirco regentis necessitatibus providentes, eleemosynam illi » constituimus scutorum sexaginta singulis annis. Si vero alicubi praedi» cationis officium pro aliqua religionis utilitate, vel necessitate exercuerit, » scuta triginta ».

8. » Et quia pro divinarum litterarum disciplina sacrum hoc collegium » institutum est, supradictus regens, S. P. Bonaventuram super quatuor » libros magistri sententiarum, quasi ducem suis auditoribus semper in» terpretabitur. Unus enim ipse Sanctus, qui nuper inter praecipuos eccle» siae sanctae Doctores a SS. D. N. Sixto V. relatus est, ob singularem » doctrinam, ac sententiarum dignitatem, quibus pleni sunt ejus libri, » abunde sufficiet, ut ex ejus lectione librorum in summum quisque theo» logum possit evadere. Quoniam vero solo triennio vix fortasse poterit » regens quatuor ipsos sententiarum libros absolvere, volumus, ut ipsi » auditores in eadem S. Bonaventurae doctrina juxta materias sibi a re» gente constitutas, in disputationibus quotidianis sese mutuo exerceant, » et hac ratione libros absolvant. »

9. » Teneantur quoque singuli de collegio singulis mensibus ex eadem » doctrina assertiones publice in collegio disputandas proponere, prout u» nicuique eorum a regente fuerit constitutum, neque propterea solitas alio» rum studiorum exercitationes ullo modo praetermittant; et ut commo-

» dins studiis vacare possint, nec matutinis interesse tempore lectionum » neque mortuos associare, nisi defuncti nobilitas, aut alia necessitas coegerit, teneantur ».

10. » Magister studentium de more caeterorum ordinis studiorum non » praeficiatur, cum provectorum sit hoc dumtaxat collegium. Baccalaureus autem conventus instituatur is, qui a generali, et patribus in capitulo judicatus fuerit habilis, aetate, moribus, et doctrina »

11. » Is teneatur qualibet die a regente assignatam aliquam interpretari lectionem ejusdem S. Bonaventurae, sive in opusculis, sive in Sacra » Scriptura, ad quam caeteri baccalaurei accedere teneantur sub poena ejectionis a collegio, perseverante contumacia, nisi fuerint legitimo detenti impedimento.

12. » Idem etiam consuetis diebus conclusiones disputandas proponere » teneatur, ac duo saltem ex collegio arguant, et opponant; ad majorem materiarum examinationem ipse argumentis respondeat, et regens » cum opus fuerit, suppleat »

» 13. Volumus autem, quod scholares praedicti collegii, ut ampliorem » spem de se praebeant, jam antea in aliquo religionis seraphicae studio » per annos quinque logices, physices, et metaphysices studiis, et etiam » primordiis theologiae operam dederint, atque de tempore studium illorum, quinimo et de progresssibus in eis factis plenam fidem faciant, » antequam in dictum collegium S. Bonaventurae recipi possint; ibique » exercitia jam proposita frequentent per triennium in eodem remansuri, » viam B. Bonaventurae vigili cura terentesque, quousque magisterii lauream suscipiant. In qua assequenda priorem locum ante alios omnes » religionis baccalaureos, uti par est, non solum obtineant, sed etiam » peculiari privilegio gaudeant, ut scilicet praevio tantum aliquo disputationum publicarum solemni actu, nulli alii examini subjaceant, et » a generali dicti ordinis, seu praesidente in generali capitulo solitis tantum muniis per eos adimpletis, magisterii gradu exornentur, eumque » solemniter recipiant de nostra tantum licentia, prout ejus Sanctitas » nobis, et successoribus nostris protectoribus indulsit, non obstante aliqua » religionis constitutione, aut Sanctae apostolicae Sedis prohibitione, nisi » facta mentione de hoc indulto, quae hoc alias fieri prohiberet. Tales » enim futuros confidimus, qui ex hoc prodibunt collegio, ut merito » gradus iste illis debeatur, quo ornati, majore etiam auctoritate tam » in exponendis divinis Scripturis, quam in officio praedicandi verbi Dei, » aliisque religiosis ministeriis secure versari et veluti nova, et feracia » germina uberrimos fructus ad communem ecclesiae utilitatem, ac Dei » gloriam producere possint »

» 14. Teneantur etiam una cum regente cujuslibet mensis initio secunda feria (nisi quid impediat) alias subsequenti, pro defunctis familiae » nostrae de Perettis perpetuo futuris temporibus Missam (ut ajunt) » conventualem celebrare, et in aliis, quas privatim celebrabunt, pro » iisdem defunctis memoriam semper peragere ».

DE REGENTE

» Deligetur a nobis, aut protectoribus succedentibus regens collegii, » qui aetate, moribus, doctrina, et auctoritate sit inter praecipuos re-

» ligionis patres, quique duobus saltem trienniis theologiam in celeberrimo » aliquo religionis gymnasio, ut Patavii, Bononiae, Neapoli publice sit » professus. Ipse autem, ut supra diximus, S. Doctorem Bonaventuram » perpetuo interpretetur, et in ejus doctrina suos auditores exerceat, sicut » in caeteris ejusdem religionis gymnasiis observatur. Guardiano praeterea » SS. Apolorum, ut caeteri auditores sui aeque obediat; non tamen con» suetis immunitatibus ullo modo derogamus ».

DE OECONOMO

» Protector, adhibito etiam regente, eliget oeconomum arbitrio suo, » seu regularem, seu clericum saecularem, seu etiam integritatis, ac fidei » spectatae laicum, cujus circa collegii proventus praecipua sit diligentia, » cum iis tamen facultatibus, quas ipsi Protector impartiri voluerit. Oe» conomus calculandi rationem optime sciat, datorumque et acceptorum in » libro, quem signatum, et cartulatum dabit illi Protector, rationes » collegii diligenter conficiat, ac quolibet saltem mense eidem Protectori » mandaverit, administrationis suae rationem, praesente etiam regente, » fideliter referat ».

DE PROTECTORE

1. » Protector collegii, nobis vita functis, juxta mentem, et constitu» tionem SS. D. N. ille succedet, qui tunc ex familia nostra de Peret» tis cardinalis erit; idque ita semper fiat, quamdiu Deus annuet digni» tatem hanc in familia nostra permanere, et si plures essent, vetustior; » si ex his nemo superit, is qui ex agro Piceno vetustior cardinalis erit; » si vero ex agro Piceno cardinalis nullus existat, idem qui religionis pro» tector erit, in hujus collegii protectione succedat ».

2. » Protectoris quoque potestas erit eligendi una cum regente, prae» ter Oeconomum ut superius dictum est, et officiales, advocatos, procu» ratores, caeterosque ipsius collegii ministros, hos etiam et amovere, » et novos subrogare, constituere et decernere quidquid ad collegii ad» ministrationem tam circa spiritualia, quam temporalia bona pertinet, » quidquid etiam ad victum, et vestitum fratrum in collegio permanen» tium duxerit expendendum fore. Ubi vero aliquid speciale constitutum » expressumque non fuerit, antiquae caeterorum religionis gymnasiorum » constitutiones observentur ».

3. » Proventus collegii, si qui necessariis omnibus expensis supererunt, » aut aedificiis conficiendis, aut emendis libris, vel necessaria aliqua sup» pellectili comparanda Protectoris arbitrio expedantur

4. » Quoniam vero, quae collegio unita est abbatia, jurisdictionem spi» ritualem habet, Protector, adscito regente, arbitratu suo vicarium eligat, » qui juxta facultates sibi a Protectore concessas, eam jurisdictionem exer» ceat. Idem quoque protector cappellanos, qui rebus divinis in hujus » abbatiae ecclesia serviant, ut eligendi, ita et deponendi habeat pote» statem ».

5. » Abbatiae beneficia si quae vacare contigerit, ad liberam Prote» ctoris collationem spectent, ex auctoritate a SS. D. N. attributa, de» cretis tamen, ac constitutionibus sacri Tridentini concilii servatis ».

Has omnes Sixtus Pontifex confirmavit anno MDLXXXIX. *Cum nuper* idibus Aprilis.

XX. Confectis approbatisque super virtutum miraculorumve B. Didaci Complutensis franciscani laici de observantia professoris actibus, die II Julii hujus anni in Vaticana S. Petri basilica Summus Pontifex inter communia omnium gaudia eum in SS. confessorum album recensuit propositis litteris: *Rex regum* nonis Julii, cunctis christifidelibus ejusdem S. Didaci canonizationem notam faciens. Cum autem altare, in quo Sixtus divina mysteria confecit, sumptibus Philippi II. Hispaniarum regis instructum, hanc aureis litteris praeferebat memoriam: *Altare in quo celebravit Sixtus in canonizatione S. Didaci ordinis minorum S. Francisci quae facta fuit Romae in Basylica S. Petri Principis Apostolorum* VI. *nonas Julii an. Domini* MDLXXXVIII. *Pontificatus sui anno* VI. *instante potentissimo ac invictissimo Philippo Hispaniarum Rege catholico*: ideo prae aliis donariis hoc ipsum altare privilegiis decoratum ad eum misit Pontifex, diplomate commendatissimo adjecto: *Inter multa* die XX. Augusti. Alio etiam breve statuit Pontifex: *Gloriosus* die XVI. Novembris ritum, quo S. Didaci festum celebrari debebat, quem postea ampliavit, et plenariam indulgentiam concessit Clemens VIII. in die ejusdem festivitatis hac edita constitutione.

CLEMENS PAPA VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad Sanctorum venerationem augendam pertinent, ea libenter concedimus, prout fidelium devotio postulat, ac alias in Domino conspicimus expedire. Alias siquidem fec. rec. Sixtus PP. V. praedecessor noster motu proprio concessit et indulsit, quod omnes et singuli professores ordinis fratrum minorum S. Francisci, ac moniales et sorores tam S. Clarae et Conceptionis, quam tertiariae in congregatione sub obedientia eorumdem fratrum minorum de Observantia viventes, in suis quisque, videlicet ecclesiis in quibuscumque mundi partibus existentibus, festum S. Didaci Confessoris die XII. *Novembris sub duplici officio, in regnis vero Hispaniarum etiam illius octavam, quemadmodum festa aliorum dicti ordinis Sanctorum celebrare possent, prout in ejusdem Sixti praedecessoris in forma Brevis sub die* XVI. *Novembris anno* MDLXXXVIII *expeditis litteris plenius continentur. Cum autem sicut pro parte dilecti filii Commissarii generalis Curiae ejusdem Ordinis expositum fuit, religiosi ejusdem ordinis Nobis ordinis etiam extra Hispaniam ubique locorum existentes eumdem S. Didacum singulari devotionis affectu prosequantur, eorumque devotioni, ac spirituali consolationi satisfieri plurimum posset, si eis quoque praedictum festum cum octava celebrandi facultas concedatur. Quare Nobis nomine dicti Commissarii generalis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis ac aliis infrascriptis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem religiosorum, ac aliorum chistifidelium erga ipsum B. Didacum devotioni, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, ac lit-*

terarum Sixti praedecessoris praedictarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis ejusdem ordinis professoribus, necnon monialibus et sororibus S. Clarae et Conceptionis, quam tertiariis in congregatione sub obedientia eorumdem fratrum minorum de observantia viventibus, extra regna Hispaniarum in quibuscumque mundi partibus existentibus, ut eorum singuli festum praedictum S. Didaci, ac etiam illius octavam, quemadmodum festa aliorum ejusdem ordinis Sanctorum celebrare valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Praeterea cum ab eodem Sixto praedecessore ordinatum fuerit, ut in universis Orbis ecclesiis festum ejusdem S. Didaci celebraretur, sed qua solemnitate celebrandum sit, non fuerit declaratum, Nos eorumdem tenore praesentium decernimus et declaramus, in universis Orbis terrarum ecclesiis, ac ab omnibus tam saecularibus quam quorumvis ordinum et institutorum regularibus, et aliis ecclesiasticis personis utriusque sexus, festum praedictum S. Didaci sub ritu semiduplici, in civitate vero, ac dioecesi Hispalensi, unde praedictus S. Didacus ortus est, necnon in civitate et dioecesi Toletana, in qua illius corpus requiescit, sub duplici ritu celebrandum esse. Praeterea ad eorumdem fidelium devotionem non modo conservandam, sed in dies magis augendam, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus meritis confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sanctissimo Eucharistiae sacramento refecti aliquam praedicti ordinis utriusque sexus ecclesiam die festo praedicti S. Didaci a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Non obstantibus etc. Volumus autem ut praesentium transumptis etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. *Martii anno* MDXCVII. *Pontificatus nostri anno* VII.

XXI. Haec breviter retulimus, ne manca sit annalium nostrorum historia; quae enim de eo gesta fuerunt tum in conficiendis processibus, tum in canonizatione, jam fusiori calamo expleta sunt a Vaddingo ad annum MCDLXIII. quo S. Didacus ad astra migravit.

Ann. m. n. ad an. 1463.

XXII. Collatum est hoc anno a Pontifice Episcopale munus die XXIX. Januarii Andreae N. . . . pro Ecclesia Urgellen. in Hispania sub Archiepiscopo Tarraconen. ob mortem Hugonis Ambrosii illius civitatis Episcopi; die XII. Februarii Nicolao Ramos pro Ecclesia de Portorico sub Archiepiscopo S. Dominici in Insula Cubae. Haec ex Torrubia retulimus; die XIII. Junii Joanni Izquieredo pro Ecclesia de Jucatan in Indiis occidentalibus, ob translationem Gregorii de Montalvo ad Ecclesiam de Cuzco; Andreae a S. Maria Lusitano praesidi custodiae S. Thomae in India orientali pro Ecclesia Cochinen. In sua civitate Cochinensi, teste Paolo a Trinitate, gymnasium fundavit generale, et Ecclesiam S. Thomae Apostolo dicatam erexit. Subest Archiepiscopo Goano in regno Malabarico. Die XIV. Novembris Franciscus de Stephano electus est Episcopus Bosnensis per obitum Antonii illius Ecclesiae Antistitis.

Torrubia pag. 11.

Paulus a Trinitate chron. prov. lib. 1. cap. 43.

XXIII. Episcopalem dignitatem assequuti sunt inter minores conventuales die xxii. Januarii Pompeus Perrillus Segusiae in Pedemontio natus, Aptensis Ecclesiae Episcopus renunciatus; die ii. Maii Joannes Baptista Potentinus Episcopus Tiberiadis datus est Julio Rossini Maceratensi Archiepiscopo Amalphitano, velut coadjutor cum spe futurae successionis; die xvii. Octobris Evangelista Pellens de Furce Picenus electus Episcopus S. Agathae Gothorum, retento tamen ordinis regimine; die xviii. ejusdem mensis Augelus a Gradibus Venetus, institutus est Episcopus Nonensis in Dalmatia: *Apostolatus officium* xvi. calendas Novembris; Bernardus Quirinus item Venetus inauguratus Episcopus Ariensis et Chissanensis in Insula Cretae; Gaspar Paschalius a Monteregali Aprutinus Episcopus Ruvensis sub Archiepiscopatu Barensi. Inquisitores contra haereticam pravitatem ex eadem familia assumpti sunt pro ditione Senensi magister Nicolaus de Pinna, et Julianus Cansi de Moleano Picenus.

Ughellus tom. 7. pag. 253.

Flaminius Cornelii in suppl. t. 14. pag. 34.

Idem tom. 6. p. 296. Ughellus t. 1. p.

XXIV. Erecta est hoc tempore in Insula Florida, sic dicta a Dominica Palmarum, quae ab Hispanis vocatur *Pasqua de Flores*, quo fuit detecta, fratrum minorum de observantia Custodia, S. Elenae titulo, in qua ab anno MDXXVII. ipsi insudarunt, propriumque sanguinem fuderunt pro Christi fide ibidem disseminanda. Excurrit illa ad instar peninsulae, respicitque Cubam et Jucatan. Omnis generis fructibus, ac in primis *Maitz*, fumenti genus, quo communiter utuntur indigenae, abundat. Incolae incedunt nudi, praeter senes et feminae, quae pellibus cervinis vestiuntur; nares auresque habent perforatas. Quod ad mores attinet, foedi et flagitiosi sunt. Liberos suos neque ulla domestica disciplina erudiunt, nec corrigunt, attamen suam quilibet uxorem habet et severa illic matrimonia sunt. Bella adversus finitimas gentes, sed sermone dissonas gerunt. Arcus et sagittae autem sunt tela illis praecipua. Plurimi ibi reperiuntur androgyni, quos pro mancipiis habent, iisque velut jumentis utuntur. Qui in Panuca diversantur, captos devorant hostes. Vescuntur interim vermibus, scorpionibus, alioque venenatorum animalium et insectorum genere. Solem velut Deum venerantur et colunt.

Cluverius p. 553.

XXV. Fundaverant jam ab anno MDLXXIV. iidem fratres sub invocatione Immaculatae Conceptionis coenobium in civitate de la Habana in Insula Cubae, ex quo facilius ad Insulam Floridam praedicandi Evangelii gratia sese conferrent. Hoc anno ibidem degebat cum sex aliis sodalibus Franciscus Marrono praeses et commissarius. At cum optime intelligeret, messem quidem paratam multam fore, operarios paucos, ideo litteris datis ad Hieronymum Gusman apud aulam Philippi II. regis commissarium generalem Indiarum, ipsius Philippi et laudati Commissarii voluntate eo missi fuerunt xii. fratres ex provincia Castellae, dilatandae fidei ardenti zelo succensi. Nomina eorum sunt Michael de Annon, Petrus Fernandez de Cocas, Petrus de Aunon, Blasius de Montes, Petrus Bermejo, Franciscus Bareja, qui doctrinam christianam vertit in idioma illius Insulae, Petrus de S. Gregorio, Franciscus de Velascola, Franciscus de Abula, Franciscus de Bonilla, Petrus Ruiz sacerdotes; Petrus Viuegra licet laicus, ob suas insignes virtutes, et doctrinam, ex obedientia factus postea fuit sacerdos. Iis a Francisco Marrono distributis in diversas illius regionis partes, quamplurimi infideles sacro baptismate abluti fuerunt. Hinc anno MDCIII. erectis in eadem insula xviii. fratrum domibus, et uno monasterio Clarissarum,

Didacus Lopez in prov. de Jucatan p. 411.

Torquemada tom. 3. pag. 350.

custodia haec provinciae dignitatem obtinuit. Licet haec indubia sint, miramur Patritium Wittman in suo opere: *Storia universale delle cattoliche missioni* Mediolani MDCCCXLII. ne verbum quidem de franciscanis fratribus, qui ea in Insula ingentem infidelium messem Christo Domino adduxerunt, fecisse.

Conv. Igaracù. *Monum. prov.* XXVI. Auxit hoc eodem anno Melchior a S. Catharina in custodia S. Antonii Brasiliae duo fratrum coenobia, alterum in oppido Igaracu ad v. leucas a principe civitate Phernambuci, S. Antonii titulo, eleemosynis christifidelium erectum; alterum vero anno transacto instructum Conv. de Bahia. *Monum. prov.* extra civitatem de Bahia, sub invocatione S. Francisci; ob incursionem infidelium translatum fuit hoc anno intra moenia civitatis, dum illic esset cum duobus sociis laudatus Melchior a S. Catharina. In ejus ecclesia impense veneratur imago S. Antonii Patavini, ob nonnulla quae in dies edit prodigia.

Conv. de Aracoeli. *Monum. prov.* XXVII. Positum fuit circa haec tempora ad unam leucam a civitate Ulyssiponensi coenobium titulo de Aracoeli, fundatum in loco Telheiras expensis duorum d. Joannis et d. Philippi principum germanorum, regis Insulae Ceylan filiorum, quos franciscani fratres de observantia in Lusitaniam jam conduxerant, ob occupatam a Maduno ejusque primogenito Rajo Insulam, ut in omni pietate et studio litterarum imbuerentur. U- Gonzaga p. 1208. num tantum et illum regis *fratruelem* fuisse scribit Gonzaga. Hi enim, et eorum pater rex, Lusitani quamplurimi, et XII. m. christifideles in Columbi civitatem fugam capientes, liberalissime aerario Lusitanorum regio sustentabantur. Interim Joannes Princeps jam clericali militiae adscriptus, cum Goam pervenisset, morbo correptus ibidem decessit, conditus in Ecclesia S. Francisci ejusdem civitatis. Haec ex monumento provinciae retulimus; si tantum conventus fundationem excipias, de quo ne verbum quidem, caetera omnia consona sunt cum iis, de quibus sic lau- Idem ibidem. datus Gonzaga. *Zelamicus interim* (suo regno privatus) *christianus rex Columbi cum tota curia, atque cum quadrigentis Lusitanis, necnon et duodecim millibus christianis ex ea patria* (Ceylan) *oriundis, plurimisque aliis gentilibus impraesentiarum agit, majorique ex parte regis Portugalliae liberalitate sustentatur, cum ab eo mille fere coronatos aureos in singulos annos recipiat. Cui tamen maxima amissi regni recuperandi, faventibus sibi tamquam legitimo regi omnibus insularibus, Ragyque tyrannicum imperium egerrime ferentibus, spe affulget. Duxerant nostri fratres hujus Zelamini regis christiani quemdam fratruelem in Portugalliam, quem Lusitanorum rex suis sumptibus apprime in omni scientia atque in lingua lusitanica edoctum, ad Indos sua opera utilissime usurus remisit. Qui tamen immatura morte in ipso regressu e vivis sublatus est.*

Conv. de Olivença. *Monum. prov.* XXVIII. Intra moenia oppidi de Olivenca dioecesis Elvensis in eadem provincia Lusitaniae data est opera aedificationi conventus, titulo S. Francisci in fundo Ferdinandi Federici illius Oppidi incolae. Hunc locum incoluere fratres anno MDXCIV. Postea ob aeris insalubritatem petierunt alterum coenobium sub eadem invocatione, non longe positum ab eadem ditione. Commorantur XVII. fratres.

Conv. Deniae. *Monum. prov.* XXIX. Ad litus maris civitatis Deniae dioecesis Valentinae extitit hoc anno pro fratribus recollectis coenobium S. Antonio Patavino sacrum, fundatum eleemosynis piorum loci. Post annum MDXCVIII. ampliatum fuit

ab excellentissimo domino Francisco de Rojas, cujus patronatum obtinuerat a Clemente VIII. Pontifice. Inhabitatur a xxv. fratribus.

XXX. Hoc anno indulgente Pontifice : *Exponi nobis* die xxii. Octobris, relicto a fratribus de observantia ob sui vetustatem et ruinam coenobio S. Hieronymi de Cazalla *de la Sierra* dioecesis Hispalensis, uno milliario ab eodem oppido, sese contulere ad alterum ejusdem nominis intra moenia aedificatum piorum sumptibus. Fratribus discalceatis provinciae S. Josephi accesserunt conventus S. Francisci in Empudia dioecesis Abulensis, opibus aedificatus Joannis Mendez de Ungria, et conventus S. Antonii extra civitatem Guadalaxarae dioecesis Toletanae, expensis constructus equitis Antonii de la Cerda canonici Ecclesiae Toletanae.

Conv. de Cazalla. *De Guadalupe pag. 181.*

Conv. in Empudia. *Joann. a S. Maria t. 1. p. 393.*

XXXI. Sunt litterae Caesaris Speciani Episcopi Novariensis in Hispaniarum regnis Apostolici Nuntii, quibus datur facultas fratribus discalceatis provinciae S. Josephi erigendi coenobium in civitate Hispalensi.

Conv. Guadalaxarae. *Idem ibidem*

Caesar Specianus Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Novariensis et Sanctae Sedis in Hispaniarum regnis cum potestate Legati de Latere Nuntius.

Admodum reverendo magistro provinciali provinciae Cataloniae ordinis minorum ac provinciae S. Josephi fratrum discalceatorum nuncupatorum ejusdem instituti commissario provinciali salutem in Domino.

» Cum ex parte illustrissimi domini Roderici de Castro, moderni archiepiscopi Hispalensis, ac S. R. E. cardinal*is*, necnon ipsius civitatis Hispalensis a Nobis postulatum fuerit, ut fratres ipsius provinciae S. Josephi ad eamdem civitatem, apud quam aliquamdiu morati sunt, de eorum laudabili vita, et in qua exemplari conversatione animabus fidelium, ut Nobis relatum est, valde utilis et fructuosa satis constat, deduci mandaremus, et cum effectu faceremus, eo maxime, quod Serenissimi Philippi Hispaniarum Regis Catholici ad id accedit desiderium, prout in patentibus Regis desuper confectis latius continetur, et modernus minister provincialis praedictae provinciae S. Josephi, officio jam quasi functus fuerit, ne propterea res tanti momenti infecta permaneat vel diutius suspensa existat, et petitioni hujusmodi tam rationi consona in Domino annuentes, tibi qui ministri generalis in eadem provincia S. Josephi ad praesens vices geris, ad meritum salutaris obedientiae per praesentes apostolica auctoritate districte praecipiendo mandamus, quatenus re cum praedicto patre ministro provinciali collata, fratres ipsius provinciae S. Josephi, quos ad id duxeris eligendos, ad eamdem civitatem Hispalensem, in ea unum conventum, seu domum ipsiusmet provinciae, dicta auctoritate fundaturos, illamque inhabitaturos, et per ministros provinciales S. Josephi ad libitum pro tempore ponendos, commutandos, et amovendos, eisdem praesentibus visis quantocitius mittere, et destinare procures. Inhibentes dicti ordinis praelatis et fratribus, necnon quibusvis aliis, quavis auctoritate fungentibus sub excommunicationis et privationis officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia quaecumque, eo ipso incurrendis poenis, ne te, vel ipsos fratres quominus praemissa liberum sortiantur effectum, directe, vel indirecte, ullo unquam tempore impedire quomodolibet audeant, vel praesumant. Non obstantibus ipsius ordinis statutis, et consuetudini-

Ex bull. Francisci Matritan. tom. 1. pag. 322.

» bus, et aliis quibuscumque in contrarium facientibus.

» Datis Matriti Toletanae dioecesis anno Incarnationis Dominicae » MDLXXXVIII. III. calendas Decembris Pontificatus praedicti SS. Domini » nostri Papae anno IV.

Caesar Novariensis Episcopus
et Nuntius Apostolicus.

Loco † sigilli

Fr. Novellus abbreviator

Conv. Busachii. *Monum. prov.*

XXXII. Intrarunt hoc anno domum positam in loco Busachii a Jesuitis derelictam, quam pro eis paullo antea excitaverat Hieronymus Terresani comes de Sedilio, fratres de observantia provinciae Sardiniae, commissario provinciae Francisco Fuster. Multa inde pro consulenda fratrum egestate contulit pientissimus fundator. Coenobium hoc titulum praesefert S. Mariae de Gratia.

Conv. Prasnensis. *Monum. prov.*

XXXIII. In provincia Poloniae hoc anno recipiunt minores observantes coenobium S. Jacobi Apostoli in civitate Prasnensi in ducatu Masoviae, eis oblatum a Petro Dunin episcopo Plocensi. Hujusmodi cessionem ratam habuit Summus Pontifex: *In supremae* VI. calendas Novembris, et anno MDXCVIII. Sigismundus III. rex Poloniae. Quiescunt ibidem Stanislaus Jerowsti spectatissimae virtutis, Felicianus Szalmirius clericus, et Anonymus tertiarius a Cosacis ex odio catholicae fidei crudeliter occisus.

Conv. Lancoviensis.

Greiderer tom. 1. lib. 3. num. 121. p. 333.

XXXIV. Recuperarunt hoc anno fratres minores de observantia coenobium B. Mariae de Gratiis Lancoviense, in Styria inferiori dioecesis Salisburgensis, a quo Lutheranorum vi anno MDLXVI. expulsi fratres, in sanctam aedem vinorum dolia reposita fuere. Sacra B. Virginis Gratiarum imago, quae inter haereticorum ludibria extabat, elegantiori in trono postea sita, miraculis ita claruit, ut plurimi ad eam confugientes, coelestibus donis cumularentur. Austriacae domus impensis instauratum extitit totius ecclesiae et conventus aedificium.

Conv. Passaviensis.

XXXV. Urbanus Trennbach episcopus Passavien. sive Patavien. condidit hoc anno pro eisdem fratribus in provincia Austriae coenobium Reginae Angelorum et Omnium Sanctorum in eadem sua civitate. Fundationem hanc ratam habuit Pontifex: *Piis fidelium* die I. Januarii anni insequentis. Dominicus Hessius Franciscanus de observantia poeta et orator praeclarissimus anno MDLXXXIX. Ingolstadii poema edidit eucharisticum, in quo agens de vita et moribus laudati Episcopi, cui illud nuncupavit, sub initium poematis ita cecinit.

Hac Trennbachiaci generis clarissimus Heros
Aetate, Urbanus, Christi qui munere Praesul
Legibus antiquis Patavinas temperat arces
Coenobium propria nobis extruxit in Urbe.

Conv. Siclis.

Pirrus in notit. eccl. Syrac. p. 687.

XXXVI. Incolarum oppidi Siclis in dioecesi Syracusana impensis constructum est hoc eodem tempore coenobium S. Mariae de Jesu in provincia Siciliae pro eisdem observantibus. Anno MDCXXXVII. ibidem mortales exuvias deposuit fr. Jacobus Bonincontrius, qui teste Pirro *tanta fuit in hoc homine et dicendi et retinendi vis, ut admirationi semper fuerit.*

Conv. Montisauri. *Monum. prov.*

In provincia Principatus eis item accessit conventus S. Mariae Angelorum in oppido Montisauri, sive Montorii dioecesis Salernitanae, a fundamentis erectus a d. Carolo Mastriangeli loci incola, et ad perfectionem adductus

eleemosynis universitatis. Sunt litterae Apostolicae : *Personarum* die vii. Novembris, quibus ministro provinciae datur facultas locum acceptandi, et eo aliquot fratres mittendi. Ibidem requiescit Clara de Tamquintis tertiaria, quae suo orbata viro, ita viam virtutis arripuit, ut et ciliciis revincta, et jejuniis dedita, jugiter coelestia meditaret.

XXXVII. Confratres confraternitatis S. Crucis Soliani, oppidum quod distat xv. m. p. a civitate Arimini in provincia Bononiensi, cesserunt hoc anno fratribus de observantia Oratorium cum praedio adjacente, ut ab iisdem fratribus incoleretur. Loci possessionem ex episcopi voluntate accepit Andreas de Carpo a Marco Antonio Castellani ejusdem congregationis praeside. Inde fratres eleemosynis oppidanorum ampliarunt domum et ecclesiam. Non recte igitur scribit Josephus Maria ab Ancona coenobium hoc datum fuisse fratribus anno mdlx. cum de eo nullam mentionem faciat Gonzaga. Natalem habuit hoc in loco Thomas, qui ob sui ingenii praestantiam theologi munere obivit in Tridentino Concilio.

Conv. Soliani. Flaminius a Parma tom. 2. p.546.

Ann. min. ad an. 1560. num. 44.

XXXVIII. Conventus Dunangalliensis dioecesis Rapotensis in provincia Hiberniae die xiii. Aprilis expilatus fuit ab haereticis, ibique mortem oppetiit p. Buighil concionator eximius, ac coenobii praesul. Paullopost illuc accedens gubernator Hiberniae cum copiis suis, Ecclesiam in stabulum convertit, imagines confregit, picturasque delevit. Hoc anno peste vacuus remansit conventus Assumptionis B. Mariae Oppoliensis in provincia Bohemiae, anno mdxvii. probabilius datus observantibus; antea enim incolebatur a minoribus conventualibus. Eisdem denuo restitutus fuit anno mdcv. Rodulphi II. Caesaris gratia.

Conv. Dunangalliensis expilatus. *Ann. min. ad an. 1473 num. 25.* P. Buighil M.

Conv. Oppoliensis peste vacuus. *Greiderer tom. 1. lib. 3 num. 68. pag. 865.*

XXXIX. Concedit Summus Pontifex : *Nuper* die xiii. Martii, ut servatis quibusdam conditionibus possit Custos reformatorum extra custodiale capitulum et congregationes novitios ad suum institutum recipere; confirmat : *Dudum* die vi. Octobris cessionem conventuum S. Crucis Neapolis, S. Antonii Theani, S. Francisci Castrimaris, et S. Pauli extra Bononiam eis factam; postremo : *Cupientes* die xxiv. Decembris conventum B. Mariae de Monte Oliveto Arquatae dioecesis Placentinae in eadem provincia.

Conv. Reformatorum.

XL. Hieronymus Cardinalis Matthaejus romanus supremus ordinis Patronus, ob resignationem sacrae purpurae Pontifici factam a Ferdinando Cardinali Medices mox ejusdem ordinis Protectore, renunciatus : *Cum ordo* die xxi. Februarii; decreta aliquot edidit pro eisdem reformatis.

1. » Die xxii. Aprilis mdlxxxviii. feci verbum cum SS. D. N. ut dignaretur concedere, quod fratres reformati non tenerentur servare capitulum illud factum in generali capitulo, quo continetur non posse promovere aliquem fratrem ad officium guardianatus, qui per annos decem in religione non steterit, et qui aetatis triginta annorum non fuerit, et qui alias guardianus, vel per triennium vicarius, aut novitiorum magister non fuerit; et Sanctitas Sua renuit hoc concedere, sed bene contenta fuit dare facultatem, prout dedit, custodibus ipsorum reformatorum super praemissis dispensaudi, quando pro utilitate religionis necesse esse dispensare cognoverit, excepto tamen capite illo quod guardiani debeant esse aetatis annorum triginta, super quo noluit facultatem dispensandi tribuere ».

Ex archivo S. Francisci Transtyberim.

Loco † sigilli

Hieron. Card. Matthaejus Protector.

Ex eodem arch.

2. » Fidem facio ego Hier. Card. Mattaejus totins ordinis S. Francisci » de observautia Protector, qualiter SS. D. N. vivae vocis oraculo uobis » facto die xii. mensis Maii mdlxxxviii. contentus fuit custodes reformatorum cumulative tamen cum p. ministro, et commissario generalibus » dicti ordinis, posse dispensare super capitulo prohibente ministris provinciae, ne ad sacros ordines sumendos fratres alienarum provinciarum, » nisi lectores eut studentes fuerint. In quorum omnium robur has praesentes litteras manu propria subscripsimus, nostroque in talibus utimur » sigillo, munivimus. Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae » die xviii. Maii mdlxxxviii.

Loco † sigilli

Hier. Card. Matthaejus Protector.
Horatius Parisanus Secret.

Ex eodem arch.

3. » Ut observantes, licet contradicentibus ministris, possint acceptari » » custodibus reformatorum, si inter eos cooptari voluerint. *Hieronymus S. R. E. Diaconus Cardinalis Matthaejus nuncupatus, ac totius ordinis minorum S. Francisci de observantia protector, corrector, et gubernator rev. patri Custodi fratrum reformatorum ejusdem ordinis* » *ac provinciae romanae salutem in Domino.* Nonnullos fratres de observantia pietate ac religione, necnon propriae salutis zelo motos, ex aliquibus provinciis transire velle ad vestram reformationem intelleximus; verumtamen quod id facere nequeunt, nisi prius a suis ministris obtenta » licentia, qui se haud parum difficiles hac in re exhibent, quinimo saepius » dare recusant; ideo nos quibus ex officio incumbit salutem eorum, qui » nobis commisi sunt procurare, et honorem Dei promovere, tibi p. Custodi, tuisque successoribus praesentium serie facultatem concedimus, ut » volentibus se vestrae vitae associare, si petitis prius a ministro provinciae » corem duobus fratribus litteris obedientialibus, illas dare recusaverint, » vos ipsas obedientiales litteras dictis fratribus, quamvis alienae provinciae sint, vestra auctoritate transmittere possitis, ipsique ad vos libere » et absque ulla apostasiae nota venire valeant, vosque libere eos recipere possitis, nisi ad effugiendam poenam alicujus delicti ab eis perpetrati ad vestram reformationem transire voluerint. Inhibentes omnibus » nobis inferioribus cujuscumque dignitatis, seu conditionis fuerint per » obedientiam, ne quis eorum quosvis ad vos transeuntes cum litteris obedientialibus e te vel tuis successoribus eis concessis, quovis modo vel » praetextu molestare, vel obstaculum aliquod ponere queant, quominus » desideriorum suorum consequantur effectum. Eadem insuper auctoritate » nostra, tibi tuisque successoribus concedimus facultatem mittendi fratres tuos tibi subditos extra provinciam causa occurrente legitima, quam » tuo, tibique succedentium relinquimus judicio, quos ita dimissos, ab » omni ibidem apostasiae nota alienos esse volumus. Vale in Domino eumdem pro me oraturus. Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae die xvi. Septembris mdlxxxviii ».

Loco † Sigilli

Hier. Card. Matthaeius Protector.
Horatius Parisanus Secret.

De Gubernatis tom. 2. pag. 331.

XLI. Interim die xii. Novembris plura eisdem concessit et ordinavit. » 1. Ut quoties reformatorum custodem eligendum esse contingat, quo

» tempore per fratres de familia capitulum provinciale non celebretur, li-
» ceat ipsis reformatis sua seorsim capitula custodialia celebrare ».

2. » Ne possint reformati in confessarios monialium deputari, quae » non sint reformationi subjectae ».

3. » Ne confessarii de observantia in conventibus reformatis valeant co» habitare ».

4. » Ne reformati ad generalia ordinis statuta, reformatorum rigori » praejudicialia obligentur »

5. » Non liceat custodi observantes ad reformationem venientes extra » capitulum sine fratrum suorum assensu, quorum in conventu recipien» dos deputare intendit, nec in capitulo sine vocalium suorum expresso » consensu recipere ».

6. » Observantes sine custodis reformati licentia in reformatorum pro» priis confiniis quaestnare non possint ».

7. » Nemini liceat in custodem, ac guardianum pro reformatis eligi, » nisi continuo biennio a suo ingressu ad electionem usque inter ipsos » perseveraverit, quamvis longiori etiam spatio temporis alias inter ipsos » convixerit ».

XLII. Joseph Mandria Panormitanus minorita conventualis extruendum curavit hoc anno pro suis in eadem civitate conventum titulo *Annunziatella*, positum extra moenia portae Mazzariae; qui cum esset angustus et eccelsia nimis parva, primum utrumque aedificium ampliavit Vincentius Gallo Alcariensis, Metropolitanae Ecclesiae musices magister, ac postea a religiosis, piisque christifidelibus ad perfectionis apicem adductum. Litteris: *Ex injuncto nobis* calendis Februarii immittit Pontifex eosdem fratres in aedes parochiales S. Georgii Terrae Molleani in dioecesi Firmana, eisque cedit redditus illius parochialis Ecclesiae. Idem Pontifex declarat: *Exponi nobis* die viii. Maii, ut fratres conventuales manuteneantur in possessione cappellaniae erectae in Ecclesia B. Mariae Virginis vulgo nuncupata il *conventuccio di Casalostro*. Jubet tandem: *Exponi nobis* die xxix. Octobris, ut in provincia Argentina restituantur eis coenobia Elsiszabren, Ruffen, Cheisersperg, et Molzen, antea a minoribus conventualibus, et postea ab observantibus occupata, ac postremo derelicta, dummodo tamen extarent. Coenobia haec, licet laboribus multis, haud in albo illius provinciae invenire iisdem nominibus expressa, potuimus.

Conv. Panormi. *Cagliola in cust. Panormitana pag. 104.*

XLIII. Fratres minores capucini recipiunt in provincia Rhegiensi in Calabria conventum in oppido Quarterorum dioecesis Melitensis; in provincia Consentiae conventum in Oppido Saracanae dioecesis Cassanensis; in provincia Hydruntina conventum in civitate Brundusii, et in Oppido Tricasii dioecesis Alexanensis; in provincia Panormitana conventum in Oppido Ciminnae dioecesis Panormitanae; in provincia Turritana (Sasser) conventum in eadem Civitate; in provincia Veneta conventum in fortalitio Piscariae Veronensis dioecesis, et in civitate Vicentiae; in provincia Brixiensi conventum in eadem civitate: *Pastoralis officii* vi. idus Junii, et in pago Gambanae ejusdem dioecesis; in provincia Genuae conventum in Oppido Sexti ejusdem dioecesis, et in Oppido Spediae Sarzanensis dioecesis; in provincia Turonensi conventum in civitate Blesiae; in provincia Burgundiae conventum in civitate Grayaci Bisuntinensis dioecesis; in provincia S. Ludovici conventum in civitate Tolonis.

Conv. Capucinorum.

Monast. Ulyssiponen. Monum. prov. Monast. Lamacen.

XLIV. Hoc anno pro monialibus clarissis sequentes extructae sunt aedes. Extra moenia civitatis Ulyssiponensis donatum eis fuit monasterium nuncupatum de Calvano, aedificatum opibus christifidelium. In monasterium Lamacensis civitatis in eadem provincia Lusitaniae, indulgente Pontifice: *Quod Dei* die v. Septembris, transferuntur quatuor moniales clarissae e collegio de Monrique civitatis Ulyssiponensis Subest episcopi curae.

Ex Gallia Christiana tom. 11. pag. 417.

Moniales clarissae Claromontensis in ducatu Genevensi, Sixti V. diploma dato calendis Decembris elapsi anni, obtinuerunt abbatiam S. Joannis Baptistae, positam prope Urbis januam S. Petri dictam, et hoc anno die x. Novembris in possessionem admissae fuere, monasterii abbatissa Francisca de Chaussecourte, alias de Cherdon.

Monast. Altimurae *De Fusano p. 76.*

In oppido Altimurae provinciae S. Nicolai Barensis fundatum fuit monasterium S. Clarae subjectum regimini fratrum ejusdem provinciae. Circa annum MDC. episcopi regimini devolutum fuit. Illud incolunt XLII. moniales.

Monast. Anconae. *Monum. prov.*

XLV. Anconitanorum civium preces commendans Pontifex: *Exponi nobis* die XXI. Maii, ejusdem civitatis Episcopo mandat, ut ex redditibus, quae supersunt, Montis Pietatis construi faciat monasterium clarissarum titulo S. Palatiatis V. et M. pro XL. vel L. monialibus. Anno MDXC. primum aedificii lapidem posuit Carolus de Comitibus episcopus Anconitanus; admissae tamen ibidem fuerunt moniales anno MDCXXXI die XXXVIII. Decembris. Monasterium hoc nunc temporis pro publica improborum hominum custodia destinatum est.

Monast. Psanneregense. *Greiderer tom. 2. lib. 4. num. 147. p. 600.*

XLVI. Ludovici de Saxonia capucini studio reformatum fuit monasterium S. Mariae Angelorum Psannereggense dioecesis Constantiensis in provincia Helvetica, anno MCDXXXI. pro sororibus de tertio ordine de poenitentia fundatum. Ex hoc virginum collegio prodierunt tres moniales, quae in variis plagis missae, alia ejusdem ordinis monasteria condidere.

Sbaralea in supp. ad ann. ordinis ad an. 1221 n. 14.

XLVII. Nosocomium S. Pauli Florentiae erectum juxta S. Mariam Novellam hortatu S. P. Francisci, anno MDXXIX. datum fuit sororibus de tertio ordine; hoc autem anno a Ferdinando I. Etruriae duce fuit denuo conversum in infirmorum valetudinarium.

Antonius a S. Maria *Monum. prov.*

XLVIII. Plures viri Dei coelestia petierunt inter minores observantes reformatos, et discalceatos. Die VIII. Decembris decessit in recessu, quod oratorium vocant, Cornotae in provincia S. Antonii Lusitaniae Antonius a S. Maria, nobilibus parentibus natus in civitate Visensi. Ea fuit pietate ac doctrina, ut pluries guardiani ac semel provincialis obierit officia. Qua quidem in dignitate constitutus, abstinentia, oratione, corporisve afflictatione omnibus se praebuit exemplar. Cum autem tot tantisque virtutibus floreret, Franciscus Gonzaga generalis ordinis minister eum appellare consueverat suum provincialem sanctum. Ejus corpus tumulatum fuit in claustro ejusdem coenobii, insculpto ejus nomine in sepulchrali lapide.

Stephanus Foix. *Certamen seraph. prov. Angliae p. 12.* *Ann. min. ad an. 1582. num. 34.*

Stephanus Foix custos Grenovicensis, Elisabethae jussu ex Anglia extorris, qui cum in conventu S. Francisci Antuerpiae diversaretur, grassantibus et cuncta in ea civitate diripientibus haereticis, viginti monialibus clarissis secum assumptis, una cum Joanne de Bruxellis primum Rothomagum, inde Ulyssiponam se contulit, ubi Philippi II. gratia, instructo pro iisdem monasterio titulo Dominae nostrae de Quietudine, hoc eodem anno in Ecclesia ejusdem monasterii dormitionis quietem accepit cum sanctitatis opinione.

XLIX. In coenobio S. Stephani de Zehegin dioecesis Carthaginensis die VII. Octobris obiit Franciscus, natus in Oppido de Bonillo Toletanae dioecesis sacerdos, qui ab ineunte aetate humilitate, simplicitate, et castimonia clarus extitit. Inter minores observantes cooptatus, laudatis virtutibus adjecit orationis, et contemplationis studium, jejunium, membrorumque cruciatum. Vicinae mortis praescius, obitus sui horam laetus fratribus indixit. Ad ejus funus confluxerunt oppidani, praedam facturi de illis rebus quae servi Dei corpori inservierant. Ejus sanctitatem insigni prodigio Deus testatam voluit, dum parentalia pro ejus anima agebantur; nam cerei, qui toto sui funeris tempore combusserant non decremento, sed augmento inventi fuerunt. Facti memoria rite per loci regium tabellarium confecta, in archivo ejusdem coenobii asservatur.

Franciscus a Bonillo. *Huelamus in prov. Carthagin. cap. 8. §. 6.*

L. Obdormivit in Domino in conventu S. Mariae Oppidi Julianae dioecesis Agrigentinae in provincia Siciliae Cherubinus Mostracius a S. Lucia, vir profundissimae humilitatis, et abstinentiae; nusquam vinum potavit, et unica rudique tunica semper usus fuit. Miraculis etiam cornscasse tradunt. In conventu S. Francisci Massae Firmanae dioecesis in provincia Marchiae sancte obiit Baptista a S. Ginesio sacerdos, innocentia, et asperitate vitae spectabilis.

Cherubinus Mostracius. *Pirrus in notit. eccl. Agrigentinae pag. 732.* *Baptista a S. Ginesio.* *Monum. prov.*

LI. Franciscus Navariae in Insubria anno MCDLXXIX. ex illustri prosapia Comitum de Torniellis in ditione Tarvisina natus, adhuc adolescens praeclara edidit futurae sanctitatis specimina, morum honestate, oratione ac corporis castigatione refulgens. Hinc spretis familiae suae, quae pluribus affluebat, opibus, anno aetatis XXI. minoritis de observantia se adscripsit in veteri coenobio S. Angeli Mediolani, quod tunc temporis positum erat extra moenia ejusdem civitatis. Mox ut se vidit per solemnia vota Deo suo mancipatum, tanto spiritus ardore divinis litteris, et religiosae perfectioni acquirendae operam dedit, ut ab omnibus ob sui sanctitatis et doctrinae praestantiam, summo in honore haberetur. Rigidiorem inde vivendi semitam arreptam, iis se ultro addixit fratribus, Petro nimirum a Varisio, Angelo de Mediolano, Angelo item de Vigevano, et Benedicto de Manera, qui in eadem Mediolanensi provincia ad capessendam puriorem observantiae regulam animum intendebant in conventu Montisbarri et in altero S. Jacobi de Lecco. Ut autem firmius haec vivendi ratio ea in provincia ac in caeteris consisteret, Romam eorum nomine missus, cum in Urbe consilium super hac re iniisset cum Stephano de Molina, et Bernardino Astense ex Romana, et Francisco ab Aesio ex Marchiae provincia reformationis promotoribus, eo insimul devenerunt negotium omne universo minorum ordini valde proficuum, Clementi VII. Summo Pontifici, opera Stephani Molinae aperiendum. Ab eo certior factus Summus Pontifex, auditisque nonnullorum S. R. E. Cardinalium votis, datoque diplomate anno MDXXXII. *In suprema* XVI. calendas Decembris reformationis initia in ordine firmavit.

Franciscus Tornielli. *Marianus ab Orscellar p. 605.* *Gonzaga in prov. Mediolani conv. 1.* *Chronolog. Seraph. tom. 1. pag. 213.* *De Gubernatis tom. 2. pag. 337.*

LII. Inde ad mediolanensem provinciam reversus, verbo ac sanctitatis exemplo novam reformationem summopere propagavit. Divini honoris interim zelo succensus, nulli vitio vel defectui parcebat adeo quidem, ut in nobilium, illustrium virorum, ac praelatorum errores spiritus libertate inveheretur. Hinc cum ad eum consilii causa accurrerent parochialium ecclesiarum rectores, alto sermone eos exhortabatur, super gre-

gem sibi commissum sedulas vigilias agere oportere, hisce usus verbis: *discite, studete, nostra enim socordia et ignorantia quot animas depellit in domum diaboli?* Quae cum proferret dexteritate ac suavitate summa, laeti recedebant, parati quae male egerant, emendare. Afflictos et infirmos quibus praesto aderat, solabatur sanctorum exempla ad imitandum proponens.

LIII. Munus divini verbi evangelizandi, quod in florenti aetate ex obedientiae merito susceperat, L. annorum spatio sedulo administravit, uberrimos animarum fructus ubique referens. In iis licet laboribus attritus, solo pane et aqua reficiebatur, additis postremis decem annis, aliquibus tantum castaneis coctis. Haereticorum insectator accerrimus, scripsit *tractatum de unitate Ecclesiae contra Lutherum*, qui Waddingi tempore mss. asservabatur in bibliotheca Trivilii; et cum Ludimagistrum quemdam in partibus Tarvisinis, qui erroribus suis rudem plebem corruperat deprehendisset, tantum se adhibuit donec a finitimis illis errorem publicum, necnon et viciuis oppidis illum depelleret. Quo pulso, fratres innocentes poenas luere coeperunt; nam magna illius gentis portio infecta zizaniis hominis ejecti, indignatione frendens, fratribus franciscanis manum elemosynae contraxit. At Deus, qui corda hominum movet, spontanea liberalitate d. Gotthardi Chioggi viri Tarvisini, servis suis alimoniam et amictum extemplo praebuit cumulatissimum. Interim Francisco Deum pro salute populi exorante, vulgus tanta suorum errorum poenitudine commoveri coepit, ut magna frequentia ad coenobium fratrum properans, a viro justo et Dei amico cum ingenti humilitate veniam peterent, oblatis in fratrum usus omnibus et opibus ac personis suis.

Wadding. de Script. lit. F.

LIV. Haud absimili prodigio egentibus fratribus providit misericors Deus. Dum idem Franciscus aliquando in coenobio S. Mariae Montisbarri versabatur, accidit, ut prae ingenti nive delapsa, fratres omni subsidio destituti, manifesta morte periclitarentur. Tunc Franciscus fiducialiter in Domino spem reponens: *fratres mei*, dicebat, *modo experientiam fidei nostrae sumit Altissimus. Accingamur velociter ad orationis opem, quia non est abbreviata manus Domini, quae volucres pascit, et implet omnem carnem, quia servis suis insperato subveniet.* Dum preces Deo effundebant, pulsatum fuit continuo prae foribus conventus, ubi janitore accito, juvenis ad ostium extemplo adstitit, qui annona copiosa oblata illico evanuit.

LV. Hic idem Franciscus cum in Veneta ditione de more in haereticos acrius in concione insectaretur, ipsi ira contra ipsum perciti, cujusdam satellitis ictu, dum ad sacrum altare pergebat, ad verticem capitis excusso, prope exanimis corruit. Viribus inde aliquantulum resumptis, a judiciaria potestate quaesitus, quanam animadversione in haereticum et sacrilegum hominem procedi desideraret, respondit: *non fiunt processus, neque inquisitio justitiae pro martyrum poenis et ictibus: quinimo magnas illi grates exhibeo, devinctumque me illi existimo, qui me pati pro nomine Jesu ejusque fide dignum reddidit.* Et cum ex ipsius capite ossa comminuta magna vi doloris eximerentur, calvariaque chirurgorum ferro penetraretur, laetabunda facie cougratulabatur, sustinens in patienti longanimitate dolores; dolebat tantum martyrii lauream non fuisse assequutum.

LVI. Tantum de se demisse sentiebat, ut licet ad omnia explenda instructus, munia tamen et dignitates oblatas firmiter recusaverit. Nec enim praelati mores induere poterat, qui corde et corpore jam omnium depressior, latere statuerat. Unde cum illi Episcopalis dignitas oblata esset, protinus se abdidit in abscondita coenobii sui, humiliora illic officia laicorum more interim expleturus. Octoginta suae aetatis annos numerans, scopis arreptis claustri habitacula repurgare, verrere solum, hortorum semitas cultiores reddere, caeteraque novitiorum opera obire, in deliciis habebat. Iis aliisque virtutum meritis cumulatus, praenuntiatio suae mortis die sanctam Deo animam placidissime reddidit die viii. Octobris in conventu SS. Annuntiationis Tarvisii, anno aetatis suae xci. elogio ad tumulum apposito in ara majori ejusdem ecclesiae, quod frustra desideravi, licet sodalium meorum opera usus.

LVII. In coenobio S. Francisci Transtyberim de Urbe provinciae Romanae die xxi. Februarii rapuit Deus aetatis suae an. xlviii. Nicolaum de Sardinia sacerdotem, summae patientiae in infirmitatibus; qui cum paralysi in tibia laboraret, a qua valde molestia afficiebatur, nihilominus eam semper aequo et miti animo tulit. Die noctuque praesto orationi aderat, et laetus stans in Ecclesia, devote psallebat. Expleto matutino, insomnis in Ecclesia usque ad primam morabatur. Solitudine ita delectabatur, ut suorum consortium fugeret, et maxime saecularium, quorum nullum in illa frequentissima Civitate agnoscebat. Septuagenarius ibidem die xviii. Martii decessit Onuphrius laicus professus in provincia S. Angeli, diu demoratus in coenobio S. Francisci Fontis Columbae, janitoris munus ibidem explens. Mira simplicitate et charitate enituit. A carnibus perpetuo abstinuit, modico somno contentus erat, assiduumque silentium agebat. Esurienti in loco deserto, cibaria coelitus administrata fuerunt. Dum Romae erat, tactu ipsius cordae uxor comitis de Olivarez apud Summum Pontificem Philippi II. nomine oratoris, a partus periculo illico erepta est. Ambo adscripti erant in sacro minorum reformatorum ordine provinciae Romanae.

Nicolaus de Sardinia. Baretius part. 4. lib. 8. pag. 847.

Onuphrius Laicus. Idem ibidem.

LVIII. Mortalem cum immortali vita inter capucinos commutavit in conventu Drepani provinciae Panormitanae Franciscus a Mazzara Siculus, antea conventualis, ac sacrae theologiae magister, qui provinciam hanc administravit, ac tredecim annorum spatio tironibus capucinis sacram facultatem exposuit. Emicuit vitae austeritate, sui ipsius contemptu, ac studio regularis observantiae. Scripsit *praelectiones in libros Aristotelis, et praelectiones theologicas secundum doctrinam Scoti* duobus tomis, et alia quaedam quae perierunt; hoc eodem anno ibidem pie decessit Philippus a Camerata, item Siculus sacerdos, ex observantium familia inter capucinos adnumeratus, cujus virtutibus, ut ait Boverius, exorientem suum ordinem exornavit. Praestans fuit in juvandis, alendis, sublevandis infirmis, ac pauperibus. Plura ex divina didicit revelatione, suique etiam temporis obitum significavit germano fratri in Praedicatorum Ordine adscripto; in Messanensi provincia Marianus a Naso sacerdos, in vita et post mortem miraculis insignis: in coenobio Neapolitano multis virtutibus praestans colestia petivit Joannes Illyricus sacerdos, ab observantibus inter capucinos cooptatus. Licet aetate grandaevus, guardiano semper flexis genibus loquebatur, et similiter sibi illum loquentem audiebat. Ad illius funus tanta populi frequentia fuit, ut ad tumultum sedandum Proregis et

Franciscus a Mazzara. De Arembergh. pag. 388.

Sbaralea in suppl. ad Script. lit. F.

Philippus a Camerata. Boverius tom. 2. pag. 356.

Marianus a Naso. Idem pag. 389.

Joannes Illyricus. De Arembergh pag. 443.

Ludovicus a Sulmona. Idem pag. 345.

Apostolici Nuncii auctoritate opus fuerit; in coenobio Aquilae provinciae Aprutinae dies complevit suos Ludovicus a Sulmona concionator ac novitiorum magister, commendatus ob vitae innocentiam, morumque honestatem.

Thomas a Caravinia. Idem pag. 445.

LIX. Baruli in provincia Hydruntina quievit in Domino Thomas a Caravinia sacerdos, vir simplex, nocturnis vigiliis, quotidianisque ferme jejuniis intentus. Jesu et Mariae nominibus ob eo in chartulis inscriptis, infirmisque dispertitis varias pellebat infirmitates; imo iisdem in agris arundini affixis, bruchorum copiam agros vastantem fugavit. Post mortem candidam columbam ante ejus pedes insedisse tradunt; in provincia S. Nicolai summo morum candore cursum vitae consumavit Lucas a Bardania sacerdos; in Umbriae provincia Joannes ab Ameria clericus, angelica ditatus puritate, ex cujus vultu lucis fulgor in morte emicuit, et post mortem odor in nitidae suae castimoniae signum ex corpore emanavit; in coenobio Perusiae obiit Bernardinus a Trebia laicus die II. Augusti, a S. Francisco sibi adparente in oratione instantia suae mortis admonitus. Effulsit in eo studium orationis, fervor erga SS. Eucharistiae Sacramentum, et dira corporis castigatio. De rebus coelestibus tam alte disserebat, ut de fidei nostrae mysteriis interrogatus, mira protulerit; item Onuphrius a Colle Crucis, Nursiae oppido, laicus in conventu Fulginei decessit, diu versatus in hortorum cultura, qui tam hyberno quam aestivo tempore nudis pedibus semper incessit. Saepe in oratione elevabatur per jactum lapidis, instar fulguris, ante Jesu Christi crucem.

Lucas a Bardania Idem ibidem. Joannes ab Ameria. Idem pag. 515. Bernardinus a Trebia. Idem pag. 638. Onuphrius a Colle Crucis. Idem. pag. 639.

Petrus a Murro. Idem. pag. 423.

LX. In conventu Amandulae raptus est Petrus a Murro Aesii provinciae Marchiae, praetoris officio functus in saeculo. Ob sui virtutis praestantiam ejusdem provinciae vicarius renuntiatus, egregii pastoris partes cumulatissime explevit. Divinae praedicationi interim incumbebat eo felici successu, ut permultos Christo lucrifaceret. Virum nobilem multis vulneribus ita saucium, ut illius a medicis salus jam desperata esset, ter super vulnera Crucis signo facto, ad pristinam incolumitatem reddidit. Similia egit cum quadam muliere hydropiai laborante in civitate Urbini, quam sanavit. Ex eadem provincia sui obitus hora a B. Virgine admonitus, ad Dominum abiit Antonius a Fano sacerdos, omnium virtutum genere praeditus; in conventu Modetiae provinciae Mediolanensis mortales exuvias deposuit Aurelius a Mediolano sacerdos, nobili genere ortus, qui pueritia inter jejunia, corporis afflictationes, et obsequia B. Virgini transacta, ad capucinos XXX. aetatis suae anno convolavit. Modico victu contentus, jejuniis frequentibus operam dabat, pane et aqua tantum nutritus. Ad novitiorum educationem vocatus, iis anteibat virtute totius regularis observantiae. Si quia eorum graviter a daemone tentaretur, sola manuum suarum impositione a tentatione liberabat. Eo defuncto super tumulum ejus flores pulcherrimos hactenus ignotos pullulasse ferunt.

Antonius a Fano. Idem pag. 21. Aurelius a Mediolano. Idem pag. 225.

Joanna Baptista Cordubensis. De Torres p. 552.

LXI. Eis hoc anno adhaeserunt in coelis quaeque ex seraphico ordine sorores. In monasterio S. Agnetis Cordubae in provincia Granatensi Joanna Baptista, in recolenda Christi Domini passione assidua. Decessit inter contritionis actus in pervigilio SS. Trinitatis, cum in choro ejusdem mysteria, cujus erat devotissima, decantarentur a monialibus vespere. In monasterio S. Antonii Patavini Baetiae in eadem provincia Catharina a Jesu, quae cum a daemone plurimum vexaretur in oratione, crucis signo

Catharina a Jesu. Idem pag. 360.

fugabat. Erga sorores infirmas singulari charitatis dono exornabatur, pauperibusque quidquid poterat, largiebatur. Haec una cum Juliana de Lamas, et Eleonora de Torres se contulerat ad aedificandum monasterium S. Clarae Lacunae in insula Teneriffae in provincia Canariae, an. MDLXXVI. erectum intra moenia praefatae civitatis. Quo expleto, cum repetiisset monasterium Baetiae, hoc eodem anno beate decessit. Dies complevit suos in sacro virginum collegio Dominae nostrae de Bretonera in villa de Velorado provinciae Burgensis Francisca Valienta. Corpus ad sanguinis usque effusionem dire caedebat, jejuniis in pane et aqua vacabat, et noctes in coelestium meditatione jugiter traducebat. Die XII. Novembris in monasterio S. Agnetis Fulginei tertii ordinis obdormivit in Domino Agnes de Paschara, oppido dioecesis Fulginatensis; silentio, oratione, obedientia, perfectioneque praestans. In ejus funere apparuit multitudo peregrinorum dulciter canentium, et cito disparentium.

Gonzaga in prov. Canariae monast. unic.

Francisca Valienta.
Monum prov.

Agnes de Paschara
Jacobilius in vita B. Margaritae 13. Junii.
Ann. min. ad an. 1440. num. 23.

LXII. Hoc anno, licet Waddingus typographorum forsan mendo signet annum MCXXXVIII. effossum fuit corpus Margaritae Dominici fundatricis monasterii tertii ordinis S. Agnetis Fulginei, loculo anno MCDXL. inclusum ad laevam altaris majoris Ecclesiae. De hac corporis inventione ita rite scribunt Bollandistae inter praetermissos ? « Ex ea tamen solum colligitur, » privato affectu religiosarum, intraque parietes claustri talem, *idest* » *Beatam*, haberi; publicum vero cultum nullum extare, adeo ut igno» tum etiam fuerit sepulchrum, quod anno MDLXXXVIII. 23 Junii con» tigit illud occasione reficiendi pavimenti inveniri, atque aperiri; unde » extractum caput nonnullaque ossa, necdum ab ingressu humore con» sumpta, et collecta in arculam, reverenter serventur a sororibus, ejus » anniversariam memoriam aliquam cum cultu S. Antonii de Padua con» jungentibus ». Ipsam post sui corporis inventionem quaedam operatam esse miracula notavit idem Waddingus.

Ann. min. ad an. 1440. num. 22. et 23.

Acta SS. ad diem 13. Junii.

LXIII. B. Virginis imago apud franciscanos observantes Trajectenses ad Mosam summo in honore habita, erga suos prodigialis adparuit. Catharina uxor Guilielmi Nypel ejusdem civitatis, quartadecima die a suo partu, immani totius corporis dolore correpta fuit, ut nec die, nec nocte quiescere posset, interim semper clamores edens. Voto emisso devote novendio dicendi dominicam orationem, et angelicam salutationem, atque in solemni supplicatione laneis se solis amicta, nudisque pedibus trium annorum spatio procedendi, ante expletum novendium ab omni dolore liberata fuit.

Sedulius pag. 180.

LXIV. Quidam incola Panormitanus ex gravi infirmitate crura ad corporis usque medietatem ita infecta habebat, ut per se stare nequiret. Hinc fulcris ligneis innixus, accessit ad coenobium S. Mariae de Jesu Panormi auxilium impetraturus a S. Benedicto de S. Philadelpho. Ut illum vidit Sanctus, fusisque pro eo ad Deum precibus, ille extemplo incolumnis factus est.

Joan. a Capistrano in vita S. Benedicti de S. Philad. pag. 92.

LXV. Claudit diem supremum hoc anno Maurus Saracenus, Forosempronii in provincia Picena nobili familia anno MDXL. natus, minoritis conventualibus cooptatus anno XIII. aetatis suae. Ab optimis praeceptoribus instructus ita profecit, ut anno XIX. natus, in generalibus sui ordinis comitiis theses DCCXXXVIII. summa omnium admiratione publice propugnaverit. Moderatis exinde Florentino, Mediolanensi, Bononiensi, Neapolitano,

Sbaralea in suppl. ad script. lit. M.

Patavinoque fratrum gymnasiis, an. MDLXXVIII. generalis ordinis Procurator eligitur. Variis linguis cum loqueretur, egregie concionabatur gallice, hispanice, germanice, et polonice; disputabat vero latine, graece, hebraice, caldaice, et arabice. Edoctus erat arte dicendi, poesi, algebra, optica, geometria, astronomia, musica, imo et medicina. Extitit anno MDLXXX. vicarius, et visitator generalis provinciarum Siciliae et Galliarum. Anno MDLXXXIII. Parisios adveniens, in ea frequentissima universitate constitutus est *lector Sacrae Scripturae* haebraica lingua, ubi et *magni conciliatoris* nomen obtinuit. Ad Polonos et Lithuanos se transferens, operam dedit Wilnae tum instituendis catholicis, tum refellendis novatoribus, a quibus civitas maxime afflictabatur; ejus tamen labore plurimi ad sinum Ecclesiae adducti fuerunt. Contracto ibidem tandem epidemiae, dum in xenodochiis opem aegris ferret, morbo, meritis et virtutibus cumulatus, die XXII. Octobris aetatis anno XLVIII. decessit, apud suos humatus, illustri ei apposito, quod desideravimus, epitaphio. Ejus tumulum venerantur votis ac luminibus. Scripta vero ipsius, inquit Sbaralea, partim habentur in tabulario urbis Forosempronii, partim vero alibi apud diversos. Sunt autem, quae hic subnectimus. — *Expositio in primum sententiarum publice habita Neapoli* — *Altera expositio in primum sententiarum Scoti habita Wilnae in Lithuania apud suos*— *Compendium totius theologiae*— *Tractatus de scientia demonstrativa* — *Item quaestiones rethoricae* — *In octo libros de physico auditu* — *Tractatus physicus de iis, quae fiunt in aere, mineralibus et mari, fluxu, refluxu, salsedine etc.* — *Compendium physicum in tria commentaria distinctum* anno MDLXXXVI. apud Jacobum de Luis Lutetiae Parisiorum editum. — *Tractatus philosophicus de anima* — *In* XII. *libros metaphysicorum* — *Philosophia moralis* — *De modo conciliandi opiniones diversas tam in philosophia, quam in theologia* — *De modo interpretandi Sacram Scripturam* — *Quaestiones scripturales in sex prima capita Genesis* — *Centum quaestiones in librum Job* — *Expositio in canticum Moysis* — *Expositiones supra viginti duo Psalmos* — *Moralitates in psalterium Davidis* — *Expositio in Osaeam prophetam* — *Glossemata in evangelium Joannis* — *Opus varium peripetasmaton inscriptum* — *De auctoritate Summi Pontificis* — *De haeresibus cognoscendis et distinguendis* — *Conciones quadragesimales* italico sermone— *Homiliae tres habitae Romae coram Gregorio XIII.* Illa quam dixit Dominica II. adventus anno MDLXXX. coram Pontifice, ob quam male audit Maurus, edita fuit a Franchino una cum *apologetica epistola oblonga pro dicta sua homilia*.

Franchinus in biblios. num. 270. pag. 481.

LXVI. Hoc tempore litteris florebat penes eos Petrus Antonius Rosinus, Pinzolli vallis Randanae oppido in agro Tridentino natus, et coenobio Ferrariensi aggregatus, insignis poeta latinus et graecus, qui cum esset Veronae studii praeses, scripsit *compendium librorum de coelo, et mundo, de anima, ac primorum sex metaphysicorum Petri Tatareti*, asservatum mss. in coenobio Saxoli supra Mutinam. Item scripsit *elogia Evangelistae Pellei Forciani ex sui ordinis ministro generali S. Agathae Gothorum Episcopi*; ibidem mss. extat.

Wadding. et Sbaralea de script. ord.

LXVII. Ordinem minorum observantium scriptis illustrabant hoc anno quamplurimi. Philippus Boscherius, a Cangio in praefatione glossarii latini num. 47 dictus de S. Ghislено, Belga, natus circa annum MDLXII.

Sbaralea lit. P.

In prologo *Speculi vitae B. Francisci et sociorum ejus* ipsemet catalogum suorum operum, eorumque editionum ad annum MDCXXIII. exhibens, scribit anno aetatis suae XXVI. idest anno MDLXXXVIII. opus gallice edidisse typis Caroli Michaelis Montibus Hannoniae hoc titulo *tragaedia nova*, *cui novaculae nomen adversus luxum vestium versu Alexandrino* imposuit. Franciscus Sanchez a Campo provinciae S. Jacobi concionator edidit Salamanticae *compendium sive indicem conceptuum* qui reperiuntur in omnibus operibus Philippi Diez ejusdem instituti, de quibus jam diximus. Lusitano idiomate Ulyssipone vulgavit Joannes Baptista Feyo typis Antonii Ribeyro *Calendarium perpetuum cum solutionibus dubiorum ad divinum officium attinentibus*, et *Calendarium perpetuum cum* XXXVI. *tabulis* latina lingua. Christophorus Morenus in Moxent oppido Valentinae dioecesis natus, in coenobio tamen Aracoelitano de Urbe regulam seraphicam professus est. Inde rediens in Hispaniam, Valentiae provinciam administravit, vulgavitque Compluti hoc anno apud haeredes Joannis Gratiani *vitam B. Nicolai Factoris* sui sodalis, quam postea Baretius Venetiis italice edidit. Antea vulgaverat an. MDLXIX. typis Joannis Iniguez *itinerarium in coelum*; Valentiae anno MDLXXV. per Joannem Navarrum *segunda parte de la claridad intitulad lumbre del christiano*, *vitam S. Antonii de Padua anno* MDLXXVI. *et de puritate B. Mariae Virginis* hispanice commisit Valentiae anno MDLXXXII. *De claris S. Francisci familiae viris* extat mss. Seraphinus Pagnius a S. Maria in Balneo dioecesis Aretinae oppido, a Waddingo aliquando Pagnius, et aliquando a Moravia dictus, scripsit *trattato*, *ovvero dichiarazione delle indulgenze con un discorso della concezione di Maria vergine*, *con la preparazione al SS. Sagramento libro primo*. *Trattato delle indulgenze di Roma libro secondo*. Hic vulgatus fuit Florentiae anno MDLXXXIII. vel anno MDLXXXV. typis Bartholomaei Sarmatelli, et hoc anno Mantuae per Franciscum Osannam.

Wadding. et Sbaral. lit. F.

Ann. min. ad an. 1586 num. 59.

Sbaralea ibid lit. J.

Wadding. et Sbaralea ibidem lit. C.

Sbaralea ibidem lit. S.

LXVIII. Antonius a S. Maria hispanus Placentiae in Extremadura nobilibus parentibus ortus, metro, soluta oratione, vulgari et latina lingua instructus, et doctoris laurea donatus, inter fratres discalceatos quibus adscriptus erat in provincia S. Gabrielis, composuit lingua vernacula, et versu *vitam S. Francisci*, *et S. Antonii Patavini*, una cum *carmine latino in laudem ejusdem S. Antonii*, *et dialogo adversus otiositatem*, interlocutoribus Antonio et Bernardo, Salamanticae excusam apud Guilielmum Toquel. Gregorius Neapolitanus capucinus magni nominis theologus acconcionator italico idiomate plura edidit diverso tempore. Scribit Possevinus Neapoli hoc anno prodiisse 1. par. *enchiridion ecclesiasticum*; 2. par. *expositiones regulae minorum seu S. Francisci*, *et S. Clarae cum declarationibus Summorum Pontificum* Venetiis anno MDLXXXIX. typis Hieronymi Poli; 3. par. epitomen privilegiorum RR. PP. in favorem religiosorum mendicantium usque ad Clementem VIII. ad formam Concilii Tridentini Neapoli anno MDXCIV.

Wadding. et Sbaralea lit. A.

Sbaral. ibid. lit. G.

LXIX. Mortales exuvias deposuit hoc anno Antuerpiae doctissimus vir David Michael Regius ex instituto tertii ordinis claustralium S. Francisci, qui quidem magna meditatus est, pauca tamen ob immaturam sui mortem edita sunt. Extat dumtaxat opus, cujus titulus *indices Missalis Romani*. Quidquid in eodem compendio continetur, dilucide ante oculos po-

Wadding. ibidem lit. D.

nit Illud edidit anno MDLXXIII. nuncupavitque amico suo Christophoro Plantino. Nicolaus Agricola de eo hoc inscripsit epitaphium.

Hic situs est David Michael Regius ; omen
Esse sub his titulis rex dedit ipsa fidem.
Davidem Hymnographum expressit meditatio verbi
Divini , et facilis condere vena melos.
Belligerum coeli ductorem retulit ardens
Zelus in haereticae dogmata perfidiae.
Regius emicuit regali pectore , mundi
Praemia cum rigidus sprevit inani flui.
Sumptibus immensis conflarat bibliothecam ,
In qua παιδείας qua patet orbis erat.
Hic se versabat , curisque suavibus ultro
Victus Apollineas mellificabat apes.
Hanc et amicorum studiis prostare volebat ,
Nam neque cum musis stat comes invidia.
Aevi hic florentis primos vix legerat annos ,
Cum mox attonito mors inopina subit.
Hoc reliquum superest nobis , pia fundere vota ,
Ut lux defuncto coelitus irradiet ;
Qua pastus mentem , calidoque incensus amore
Pro nobis validas fundat et ille preces ,
Ut pax in terris , misero hoc dum jungimur aevo ,
Nos gremio foveat Sedis Apostolicae.

LXXX. Joannes Vitelleschi Cornetanus, Recineti primo Episcopus, mox Patriarcha Alexandrinus , et commissarius apostolicus Eugenii IV. Pontificis cum anno MCCCCXXXVII. solo aequare jussisset cathedrale templum Praenestis sub invocatione S. Agapiti, ea in civitate ab Aureliano Imperatore securi percussi, tum ipsius S. Agapiti, quam Gordiani, Abundii, ac aliorum SS. Martyrum pignora , quae ibidem quatuor marmoreis capsulis occlusa erant, hoc eodem anno ad aedem S. Francisci de observantia Corneti transtulit. Ut autem haec firma consisterent , ejusdem Pontificis oraculo Ludovicus Patriarcha Aquilegien. in provincia Patrimonii legatus anno MCDXL. sequentes litteras dedit ad fratres ejusdem coenobii , quibus statuit, ne ea de cetero possent amoveri.

Petrini memoria Prenestina p. 176.

Ludovicus miseratione divina Patriarcha Aquilegien. SS. D. N. Papae Camerarius in provinciis Patrimonii, Tuscia etc. Apostolicae Sedis Legatus, venerabilibus et religiosis fratribus , et conventui ordinis S. Francisci de observantia civitatis Corneti salutem.

Devotionis vestrae sinceritas promeretur , ut quae a nobis suppliciter petitis, vobis affectu benevolo concedamus. Sane pro parte vestra Nobis supplicatum est, ut cum eo in loco per olim Reverendissimum D.D. Joannem Cardinalem Florentinum Apostolicae Sedis Legatum , ex cujus parte et mandato posita fuerant ac recondita corpora SS. Agapiti, Gordiani, et Abundii, atque aliorum Sanctorum , seu reliquias traductae ab urbe Praenestina post combustionem et desolationem ipsius , ea illi loco assignare , et auctoritate Nobis praestita donare , ne de caetero possint amoveri , de gratia speciali dignaremur. Nos igitur piis supplicantium votis audientiam exhibentes, praesertim illi , quibus fidelium devotio augetur , et animarum salus accedit ; et quia

Idem ibidem pag. 494.

item absurdum et abominabile Nobis admodum videtur reliquias illas veneratione, et cultu dignas remanere inveneratas, neve in contemptum et neglettum tamquam dispersae ducantur, supplicationibus vestris inclinati, corpora ipsa seu reliquias dictorum Sanctorum et Martyrum ab Apostolica Sede concessas vobis, et vigore nostrae legationis officii, quo fungimur, in loco et ecclesia ubi in praesentiarum positae dicuntur tamquam in loco depositi, et repositae in capsulis marmoreis, ubi cum authentica reclusae et conservatae sunt, concessas, et vobis donatas, vobis concedimus, et donamus omni contradictione cessante etc.

Datum Viterbii ex habitationibus ecclesiae S. Fortunati sub appensione nostri majoris sigilli die XXVII. *mensis Maii* MCDXXXX. *indictione* III. *Pontificatus SS. D. in Christo Patris et D. N. D. Eugenii divina providentia Papae IV. anno* X.

LXXXI. Ad pristinum honorem restituta cathedrali ecclesia Praenestina, plura apud Romanos Pontifices egerunt canonici et episcopi civitatis, ut aliqua S. Agapiti patroni ac concivis sacrarum reliquiarum pars eis concederetur. Res tamen dilata fuit usque ad Sixtum V. Pontificem, qui edito brevi: *Cum nos* die VII. Julii jussit Francisco Liparulo episcopo Capriensi, ut Cornetum se conferret, ac S. Agapiti caput in theca occlusum extraheret, ac ad ipsum deferret, fratribus parte ejusdem sacri capitis sibi bene visa relicta. Quod cum accepisset Pontifex, hoc eodem anno ac mense illud restituit ecclesiae Praenestinae, litteris datis: *Cum nuper* die XVIII. ejusdem mensis ad Marcum Antonium Cardinalem Columna laudatae ecclesiae episcopum.

LXXXII. Derogat Pontifex statutum ordinis super electionem abbatissae in provincia minorum observantium Portugalliae: *Exponi* die XVI. Septembris; subjicit Episcopi guberuio monasterium Engratiae dioecesis Pampilonen. *Exponi* die V. Septembris; subjicit Archiepiscopo Lucan. monasterium S. Clarae ejusdem civitatis antea administratum a Decano cathedralis ecclesiae: *Cum monasterium* die V. Octobris; respondet propositis dubiis super illegitimos ad habitum religiosum assumendum: *Ad Romanum spectat* XII. calendas Novembris; confirmat privilegia locis Terrae Sanctae a suis decessoribus concessa, et indulgentias largitur: *Piis fidelium* die IX. Octobris.

LXXXIII. Hoc anno ad Hierosolymitanos fratres misit Ferdinandus Medices Magnus Etruriae Dux arcam mire elaboratam, quam hisce verbis describit Quaresimus testis de visu » Serenissimus Ferdinandus Medices M. *Quaresmio tom. 2. pag. 494.*
» Etruriae Dux hujus nominis II. misit Hierosolymam affabre eleganterque
» elaboratam arcam aere fusam, desuper patulam, in cujus quatuor angu-
» lis ejus stemmata sunt, et circa ipsam mysteria nostrae salutis. Ex una
» parte duo, elevatio Christi in Cruce, et ejusdem exaltatio vel statio.
» In altero ex capitibus arcae, depositio de Cruce. Ex altera parte ibi-
» dem duo, Christi unctio, et sepultura. Et in altero denique capite,
» Christi resurrectio. Longitudo est palm. VIII. et unciae VI. latitudo palm.
» III. profunditas vel altitudo palm. II. unciae III. Sunt etiam in ejus
» parte superiori, et in medio duplici, duplici ex parte incisae litterae,
» largitorem, et in inferiori aliae, artificem explicantes sic

FERD. MEDICES MAG. DUX AETRURIAE PIETATIS SIGNUM D.MDLXXXVIII. FRATER DOMINICUS PORTISIANUS CONVENTUS SANCTI MARCI DE FLORENTIA ORD. PRAED. ROM. PROV. PROFESSUS FECIT ANNO DOMINI NOSTRI MDLXXXVIII.

Ibidem insculptum etiam fuit una cum corona ducali, etiam ornamentum cardinalitium. « Igitur, prosequitur idem auctor, pie iste et liberalis prin- » ceps, et alia dona Jerosolymam, et hanc aram misit, ad sui perpetuam » memoriam, et ut sacra unctionis petra magis honoraretur, illaque super » hanc posita, posset in illa, aliis necessariis appositis, sacrosanctum mis- » sae offerri sacrificium . . . . Fratribus piam Ducis exequi voluntatem » studentibus se opposuerunt graeci, qui primo Cadì adierunt, et, ne » nil circa unctionis petram innovaretur, instituerunt; praesertim quod » arcae illius appositione magnum damnum civitati, et ejusdem guber- » natori proventurum esse affirmarent, dicentes (considera quaeso ma- » lignantium istorum malitiam) mulieres praegnantes, quae pietatis ergo » ingrederentur Sanctum Sepulchrum, volentes, secundum veterem con- » suetudinem, petram illam deosculari, inclinando se super arcam illam » abortum passuras, ex quo homines, et consequenter vectigalia defice- » rent; quia pueri qui nascuntur, cum ad aetatem xiv. annorum perve- » nerint, singulis annis pro tributo quatuor argenteos gubernatori civitatis » solvere tenentur. Agnovit ille graecorum solitam calliditatem, et natu- » rale odium in Francos, ac nullius momenti accusationem; ideo illos » repulit; sed non propterea destiterunt, at ad aliud tribunal confuge- » runt, scilicet gubernatoris civitatis, qui timens ne quod illi dicebant » accideret, et vectigalia illius minuerentur, illorum annuit voluntati. Quo » audito, fratres arcam illam super montem calvariae deferentes, sub arcu » aquilonari capellae crucifixionis collocarunt, proque altari accomodarunt, » in qua omnipotenti Deo incruentum offertur altaris sacrificium ».

LXXIV. Novam concordiam confirmavit Sixtus hoc anno: *Ex debito* calendis Novembris inter moniales *Collisazonis* et moniales *Montis Christi*, ut bona nempe dividerentur et monasterium Collisazonis jam suppressum restitueretur, et duo moniales, quae remanserant Alexandra et Michelangela possent acceptare et vestire alias. Rem petimus ab exordio. Monasterium Montis Christi non anno mdxx. ut ex Gonzaga scribit Vaddingus, e Benedictinis ad Clarissas transiit, aeque e Benedictinis ad nostras; sed illud est, quod erat ab initio fundatum apud castrum Collisazonis vulgo *Collazone*, dioecesis Tudertinae; hoc enim saeculo xiii. bellorum turbine dirutum fuit, et moniales se confugerunt Tudertum, ubi extra quidem, sed prope muros civitatis acquisierunt locum et ecclesiam anno mccxlviii. ex diplomate Innocentii IV. *Religionis vestrae proventus* die ii. Julii pontificatus sui anno vi., eamque dixerunt S. Laurentii Montis Christi, a titulo Ecclesiae veteris prope Collemazonem, ibique prospere commoravere usque ad an. mdxiii. sub cura et regimine minorum conventualium; quo anno illorum bellum moverunt nonnulli apud Leonem X. accusantes eos prave et inhoneste vivere, rectumque fieri, si accersitis e locis monasteriisque reformatis sororibus, locus minoribus regularis observantiae subjiceretur; quibus annuit Leo X., deditque litteras: *Exposuerunt nuper nobis* anno mdxiii. die xviii. Aprilis Legato Umbriae, ut locus reformaretur; iterumque anno mdxvii. per alias: *Pia nos excitat* die xxiii. Februarii datas, vicario minorum regularis observantiae dictum monasterium subjecit. Sed interim moniales cum abbatissa reformationi obsistentes, sese contulerunt ad Castrum Collisazonis, ubi adhuc vetus S. Laurentii Ecclesia cum nonnullis domibus veteris monasterii extabat, ibique manere statuerunt, quam-

Annal. min. ad an. 1520 num. 56.

damque concordiam cum sororibus reformatis Montis Christi, opera civium Tudertinorum, inierunt, quam et Pontifex Leo probavit. Sed sorores Montis Christi cognito aegre sese posse vivere media illa concordia, instarunt apud Legatum Umbriae, egeruntque ita, ut Clemens VII. et antea ipse Leo X. concordiam illam revocavit, cassavitque, sancientes, ut mortuis monialibus apud Collemazonem, locus cum omnibus bonis uniretur ut antea monasterio Montis Christi datis his litteris: *Dudum postquam* die xxxi. Octobris mdxxiv. Vicario Episcopi Tudertini, renovatis a Paulo III. anno mdxxxvii. *Dudum postquam alias* die xvi. Aprilis Legato Umbriae, et insequenti anno per alias: *Dudum* die xxiv. Aprilis mdxxxviii. et iterum anno mdxlviii. die xv. Junii: *Dudum postquam per nos*, et a Julio III. anno mdl. die vi. Septembris: *Benigne consuevit*; et tandem Gregorius XIII. anno mdlxxiv. *Exposcit vestrae devotionis* die xxxi. Augusti monialibus Montis Christi adjudicavit ecclesiam, et bona apud Collemazonem, ita tamen, ut duo moniales, quae adhuc superstites erant, alerentur una cum capellano S. Angeli, olim S. Laurentii Collisazonis fere mille animarum curam habente ex brevi ejusdem Gregorii XIII. *Decet Romanum Pontificem* die prima Octobris mdlxxx. Sed veteres duo moniales apud Collemazonem sub Sixto V. novam cum illis Montis Christi concordiam egerunt, ut nempe loco bonorum apud Collemazonem daretur Ecclesia S. Andreae de Carnano; quam concordiam probavit et Clemens VIII. initio sui pontificatus. Verum perpenso et animadverso laesionem ea in compositione monialibus Montis Christi accessisse, impetrarunt ab eodem Clemente, ut unio dictae Ecclesiae S. Andreae de Carnano dissolveretur, qui litteras: *Romani Pontificis* die vi. Maii mdxcvii. dedit Angelo Caesio Episcopo Tudertino, ut cognosceret causam; qua cognita, dissolvit unionem, et ecclesia de Carnano obvenit monasterio olim S. Laurentii, postea S. Angeli de Collazone, et bona apud Collemazonem Montis Christi prope Tudertum per litteras: *Cum alias mensibus* anno mdxcix. die viii. Julii. Quae litterae omnes servantur in archivo dicti monasterii Montis Christi. Ita sopita ea controversia, exstarunt duo monasteria ex uno veteri illo exorta, quorum illud prope castrum Collisazonis, olim titulo S. Laurentii, prope finem saeculi xvi. coepit vocari S. Angeli; alterum prope Tudertum, quod ante annum md. vocabatur S. Laurentii Montis Christi, quod ignorarunt Gonzaga et Waddingus.

LXXV. Indulget Pontifex, ut a fratribus minoribus de observantia et a monialibus clarissis recitari possit per totam octavam officium Immaculatae Conceptionis: *Ineffabilia* die xxx. Martii; ut Moniales clarissae monasterii Mexici recitent officium SS. Ursulae et sociarum mm. *Cum propter* die xix. Martii; ut Nicolaus Zuccarini de Monte Falco conventualis possit aedificare valetudinarium in conventu S. Francisci ejusdem oppidi bonis a se acquisitis: *Cum sicut* die xx. Januarii; ut Laurina Cesi comitissa Montiscuculi Mutinensis bis in mense ingrediatur monasterium S. Clarae Bruxellensis: *Piis devotis* die viii. Aprilis; ut Maria de Cabraros professa in monasterio S. Clarae Palentiae se conferat ad aliud ejusdem ordinis in civitate Placentiae: *Exponi* die iv. Septembris; ut Joanna de Attaide nobilis Ulyssiponensis una cum ancilla possit ingredi et pernoctare in monasterio S. Clarae a Lerra dioecesis Ulyssiponen. *Tuae erga nos* die v. Septembris; ut Ludovicus da Velasco pro-rex apud In-

dos occidnos possit transferre suas filias moniales in Hispaniam, easque immittere in aliquod monasterium ejusdem ordinis in eodem Hispaniae regno: *Exponi nobis* die xv. Octobris.

LXXVI. Largitur indulgentiam in die Assumptionis B. Mariae Virginis ecclesiae conventualium Prugdemur Salisburgensis dioecesis: *Cum sicut* die xiii. Januarii; benedictionem apostolicam monialibus capucinis Brixiensis recitantibus quotidie ad sonum campanae meridiei orationem dominicam, et salutationem angelicam: *Ad augendam* die xxi. Septembris. Sunt litterae Thomae a Massa Commissarii generalis minorum de observantia, quibus datur facultas priori et confratribus societatis chordigerorum eamdem sodalitatem instituendi in Ecclesia ejusdem ordinis Posnaniae in provincia Poloniae. Hoc eodem anno juxta Flaminium a Parma erecta eadem societas fuit in coenobio S. Francisci observantium Castri S. Joannis in provincia Bononiensi.

Monum. prov.

Flaminius a Parma in chron. prov. tom. 1. pag. 209.

Ex Archivo conv. Perusini.

LXXVII. Ad annalium nostrorum integritatem coronidis loco ponimus monumentum, quod ex auditis a bo. me. Pio Papa III. Summo Pontifice de quotidiana indulgentia in sacra aede Portiunculae Asisiensis posteris reliquit Massaeus Bardi, antea franciscanus de observantia, mox episcopus Clusinus.

Massaeus Bardus nobilis Florentinus Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Clusinus.

Fidem indubiam facimus, et veritatis verbo attestamur, qualiter de anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto de mense Septembri infra octavam Nativitatis B. Mariae semper Virginis, Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus Noster Dominus Paulus divina providentia fel. record. Papa III. dum esset Perusiae in conventu S. Francisci de Monte fratrum minorum observantiae ad puteum S. Aegidii, ubi omnes fratres ejusdem conventus, inter quos et nos tunc temporis adscripti eramus, et sanctissimos ejus pedes deoscularemur, R. P. fr. Massaeus de Perusio, tunc vicarius ejusdem conventus narravit praelibato SS. D. N. PP. fratres omnes minores de observantia pie credere omnes christifideles intrantes capellam Divae Mariae Angelorum de Asisio consequi semper plenariam indulgentiam, prout consequuntur calendis Augusti; et audivisse praefatum SS. D. N. PP. dixisse, sic et nos hucusque credidimus; et quatenus in eadem capella plenaria indulgentia, prout et nos credidisse attestamur, eam ponimus, et auctoritate apostolica concedimus. Et quoniam omnia et singula dum sic agerentur audivimus, et una cum multis aliis fratribus, et praesertim R. P. fr. Josepho Rosciolo tunc temporis guardiano in eodem conventu, et praefato fratre Massaeo praesentes fuimus, propterea ad perpetuam rei, sicut supra, gestae memoriam has praesentes fieri jussimus, per nos subscriptas, et nostro quo in similibus utimur majori sigillo muniri fecimus, et per infrascriptos notarios publicos subscripsimus. In quorum omnium et singulorum fidem etc.

Datum ex aedibus nostris episcopalibus in terra Castri Plebis die vii. *mensis Octobris* mdlxxxviii. *indictione prima Pontificatus SS. in Christo Patris et Domini nostri Domini Sixti divina Providentia Papae V. anno* iv.

ARGUMENTUM.

Sixtus edito crucis signo, aegrotum gravi morbo afflictum sanat. Scalas Sanctas transfert. Obeliscos erigit, classem apostolicam parat, pontemque felicem excitat. Pro gallicis motibus tristatur. Cardinales instituit. S. Franciscus Solanus in Peruanum regnum proficiscitur. Excitantur coenobia, ac monialium monasteria. Decedit S. Benedictus a S. Philadelpho, cujus acta notantur pro ejus canonizatione. Obeunt etiam sancte religiosi ac virgines. Occumbunt et florent viri docti. Quorumdam SS. corpora inveniuntur, miracula recensentur, ordo privilegiis exornatur.

I. Cum elephantiasi morbo Romae laboraret Philippus Justinianus Genuensis, die prima Jannarii, quae est Domini nostri Jesu Christi circumcisioni sacra, ut coram Summo Pontifice in Vaticano templo sisteretur impetravit, eumque humiliter, devote, et confidenter exoravit, ut apostolicam illi benedictionem impertiretur, ea intentione, ut ab omni morbo, quo afflictabatur, liberaret. Fidem ac simplicitatem oratoris admiratus Pontifex, illum signo crucis benedixit. Philippus autem illico ab omni malo se liberum sensit, ac praedicavit. Domum inde laetus cum amicis reversus, cum vestes sibi detraheret, illas squamis quae ex corpore decedebant, plenas invenit. Tanti prodigii memoriam litteris quamplurimi mandarunt; praestans tamen fuit carmen eo tempore in Urbe vulgatum, quod subjicimus.

Tempesti tom. 2. lib. 7 num. 27. et seq. p. 106. Joannes Pinadello apud Tempesti. Sacchini in annal. Societ. Jesu part. 5. tom. 1. lib. 10. p. 493.

Ergo fugas aegro veterem de corpore morbum
  Cum dextera signas maxime Sixte crucem?
Hoc Christi, hoc Petri est, Christi nam sceptra, vicesque
  Rite geris Petri jura thronumque tenes.
Magna fides, aegri, major tua Sixti potestas,
  Utraque languorem, ceu medicina levat.
Hinc aedes alii, ductus mirentur aquarum
  Fontes, atque obelos, templa, sacella, vias
Miror ego solo sanari corpore signo;
  Scilicet illa hominis sunt opera, ista Dei.

II. Lateranensem aedem pene dirutam, et absque contignationibus, quam initio pontificatus sui magnis sumptibus coeperat aedificare, hoc anno complevit Sixtus eleganti amplaque structura, hisce characteribus in ipsius facie positis.

SIXTVS V. PONT. MAX. ANNO IV.

Hinc die xiii. Martii patrum purpuratorum consistorium habuit, Paulo Alaleona teste, in aula imperatorum pro reditu ad urbem Illu. et Reve. Domini Cardinalis Aldobrandini legati de latere apud Regem Poloniae a Sixto missi, ut ejus studio catholicus illius regni rex deligeretur, quod et praestiterat.

III. Quoniam vero in angulo incommodo hujus Lateranensis palatii ad septentrionem posito, *Scalae Sanctae* Romam ex aedibus Pilati a S. Elena

Joan. Marangoni Storia del ven. ed antich. oratorio ad Sancta Sanctorum p. 226.

Constantini Imperatoris matre translatae, et itidem a Coelestino Papa III. repositae extabant, ideo hoc eodem anno eas Sixtus collocari mandavit in oratorium *Sancta Sanctorum* nuncupatum, instructo jam aedificio pro iisdem Sanctis Scalis ponendis. Hinc duce Dominico Fontana architecto, unius noctis spatio, adstantibus sacrosanctae Patriarchalis Basilicae canonicis et clero, illuc Scalae Sanctae illatae fuere. Ad totius operis molitionem xxv. aureorum millia insumpsit Sixtus, in cujus externo fornice haec leguntur.

SIXTUS QUINTUS FECIT SANCTIORIQUE LOCO
SCALAM SANCTAM POSUIT MDLXXXIX. PONT. IV.

Anno insequenti edita bulla: *Cum singularum* IV. nonas Junii ibidem presbyterorum Collegium cum Praeposito instituit, cappellanos quatuor, sacristam, quatuor clericos, et unum ostiarium, juspatronatus suae familiae Peretti attribuens.

IV. Ad vetera monumenta erigenda, barbarorum incursu vel incensa, vel collapsa iterum et hoc anno manus admovit idem Summus Pontifex. Ad pristinum splendorem restituit Antonianam cochlidem columnam, sic dictam ab Antonino Pio Imperatore, cui Marcus Aurelius philosophus ejus filius adscitus illam olim erexerat, et in cujus fastigio nunc S. Pauli simulacrum collocari mandavit. Ejus altitudo citra basim est palmorum CCLXXIX. gradus intus marmorei CCVI. fenestrellae LXVI. juxta ea quae notavit Mutius Pansa. Triplex in ejus basi inscriptio legitur; haec ante Sixti tempora extabat.

Mutius Pansa ser. G. de operibus Sixti.

Ad occidentem

M. AVRELIVS IMP.
ARMENIS PARTHIS
GERMANISQ. BELLO
MAXIMO DEVICTIS
TRIVMPHALEM HANC
COLVMNAM REBVS
GESTIS INSIGNEM
IMP. ANTONINO PIO
PATRI DEDICAVIT.

Ad meridiem

SIXTVS V. PONT. MAX.
COLVMNAM HANC
COCHLIDEM IMP.
ANTONINO DICATAM
MISERE LACERAM
RVINOSAMQ. PRIMAE
FORMAE RESTITVIT
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Ad orientem

SIXTUS V. PONT. MAX.
COLVMNAM HANC
AB OMNI IMPIETATE
EXPVRGATAM
S. PAVLO APOSTOLO
AENEA EIVS STATVA
INAVRATA IN SVMMO
VERTICE POSITA D. D.

Ad septenptrionem

A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.
TRIVMPHALIS
ET SACRA NVNC SVM
CHRISTI VERE PIVM
DISCIPVLVM FERENS
QVI PER CRVCIS
PRAEDICATIONEM
DE ROMANIS
BARBARISQ.
TRIVMPHAVIT.

V. Alterum Semnesertei Regis obeliscum, aegyptiacis litteris nobilem, Heliopoli Romam Caesare Augusto jubente translatum, et in Circo Maximo Soli sacratum, et a Sixto erutum, idem Pontifex SS. Cruci sacravit, et erexit in platea S. Mariae de Populo. A terra CXL. palmis attolitur. In duplici fronte basis, antiqua haec obviat inscriptio. *Ciaconius tom. 4. col. 118.*

IMP. CAESAR DIVI F.
AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
AEGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACT.
SOLI DONVM DEDIT.

Ante portam Flaminiam, quae templum B. Mariae sacrum respicit hanc Sixtus apposuit.

ANTE SACRAM
ILLIVS AEDEM
AVGVSTIOR
LAETIORQ. SVRGO
CVIVS EX VTERO
VIRGINALI
AVG. IMPERANTE
SOL IVSTITIAE
EXORTVS EST.

In opposita parte.

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC
A CAESARE AVG. SOLI
IN CIRCO MAXIMO RITV
DICATVM IMPIO
MISERANDA RVINA
FRACTVM OBRVTVMQ.
ERVI TRANSFERRI
FORMAE SVAE REDDI
CRVCIQ. INVICTISS.
DEDICARI IVSSIT
AN. M.D.LXXXIX. PONT. IIII.

VI. Duorum equorum ac juvenum eos domantium simulacra, olim, ut ajunt, sculpta a Praxitele et Phidia praestantissimis scultoribus, quae diruta et thermis Fl. Constantini obscuro loco extabant, ad Quirinalem Montem contra pontificium palatium, quod ipse ad perfectionis culmen adduxerat, pristinae formae ac elegantiae restituta, transtulit Sixtus, additis ad basim geminis inscriptionibus. Quoniam vero in illis aliqua inerant historicae veritati minus consona, ideo Summus Pontifex Urbanus VIII. illis deletis, hanc alteram illi substituit. *Bonanni p. 422.*

SIXTVS V. PONT. MAX.

COLOSSEA HAEC SIGNA TEMPORIS VI DEFORMATA RESTITVIT VETERIBVSQVE REPETITIS INSCRIPTIONIBVS E PROXIMIS CONSTANTINI THERMIS IN QVIRINALEM AREAM TRANSTVLIT ANNO SALVTIS MDLXXXIX. PONT. IV.

OPVS PHIDIAE. OPVS PRAXITELIS.

VII. Hoc eodem anno die xxv. Novembris Pontifex Centumcellas, classem apostolicam quam fieri jusserat, et fontes quibus civitatem exornaverat, visendi causa se contulit. Rem ipsam testatus est Paulus Alaelona in suis diariis de Sixto: *Ivit Pontifex Centumcellas cum septem Cardinalibus die* xxv. *Novembris visendi triremes.* Plura de hac re vulgata fuere ad Sixti laudes carmina. Joannes Baptista Stella ita prae aliis cecinit.

Vindice te, furor intectis fraenatus habenis
Quaeque vagata diu est genitrix faecunda malorum
Audax multiplici compressa licentia nodò,
Ne terra placasse satis. Jam littora late
Reddere tuta paras, et quod latus urget utrumque
Italiae, purgare vagis praedonibus aequa
Instructamque armis, instructam milite classem
Componis . . . .

Centumcellis hoc prostrat monumentum

SIXTVS V. PONT. MAX.
CLASSIS APOSTOLICAE
ET FIDELIVM NAVIGANTIVM
COMMODITATI FIERI IVSSIT
AN. MDLXXXIX. PONT. IIII.

De fontibus ab eo ibidem ductis extat et hoc alterum.

SIXTVS V. PONT. MAX.
CENTVCELLAS
AQVAE INOPIA LABORANTES
FONTIBVS SVBLEVAVIT
AN. MDLXXXIX. PONT. IIII.

VIII. Tyberis Pontem, a suo nomine Pontem Felicem appellatum, hoc anno et inchoavit Sixtus in regione Sabinorum inter Ocriculum, et pagum *il Borghetto* positum. Conjungit viam Flaminiam ab ipso Tyberino fluvio divisam. Olim ibi erat transitus per pontem Augusti lapideum; cujus exinde praegrandes ruinae prolapsae fluminis alveum obstipabant prope Ocricoli oppidum. Hinc Sixtus publicae commoditati *Idem ibidem*

prospiciens, opus caeteroquin arduum, Dominico Fontana architecto, aggressus est, quod tamen morte praeventus absolutum non vidit. Eo in ponte incisa sunt haec verba.

SIXTVS V. PONT. MAX.
VT COMMEANTES TRAIECTIONIS MOLESTIA
ET VECTIGALI SVBLEVARET
PONTEM INCHOAVIT
AN. S. MDLXXXIX. PONT. SVI V.

Eum anno MDCIII. absolvit Clemens VIII. Pro illius fabrica insumpsit Sixtus scuta 40600; Clemens vero 36035, quae in unum collecta efficiunt summam aureorum 76635.

IX. Firmanam Ecclesiam in Piceno in metropolim erexit: *Universi* x. calendas Junii, et in ea civitate olim jam a Bonifacio VIII. universale disciplinarum domicilium institutum restauravit. Quare cives haec in marmore inscripserunt. *Ciaconius tom. 4. colum. 129.*

SIXTO V. PONTIFICI MAXIMO
PATRIA FIRMANO OB EPISCOPALEM
IN METROPOLITANAM ERECTAM
ET GYMNASIVM GENERALE RESTITVTVM
S. P. Q. F. POS.

X. In urbe Maceratae tribunal civile item erexit: *Romanus Pontifex* idibus Martii. Hujus civitatis incolae tantum privilegium hoc publico monumento posteris transmittere curavere.

SIXTUS V. PONT. MAX.
ADMIRABILI PRINCIPVM PRINCIPI
PACATA PROVINCIA NOVIS VRBIBVS AVCTA
VIRIS INCLITIS ILLVSTRATA
IVSTITIAE CVLTV PROPAGATA
AD SACRAS PROFANASQVE LITES SEDANDAS
TRIBVNALI AVDITORIO ERECTO
FOELICI PP. MVNIFICENTISSIMO
S. R. Q. MACER.
RERVM GESTARVM MEMORIA
GRATO ALACRIQ. ANIMO
EREX.
PONT. SVI AN. V. MDLXXXIX.

XI. Dum haec et alia munificentissime ageret Pontifex, rerum humanarum et divinarum in Galliarum regnis subversio, ipsius animum alte torquebat. De duorum germanorum Ludovici Cardinalis, et Henrici ducis nece ab Henrico III. Rege jussa, graviter et severe in purpuratorum Patrum consistorio die IX. Januarii habito conquestus est. Ut haec rescivit Rex, per marchionem Pisanum suum in aula romana oratorem, per Cardinalem Joyosam ibidem agentem, et Claudum Angenneum a Rambulieto episcopum Cenomanensem Romam legatum ea de causa, Gusiorum *Spondanus ad an. 1589. n. 7. et seq.*

caedem apud Pontificem excusavit. Idem Episcopus eodem tempore a Rege instructus, suo nomine petiit absolutionem a Pontifice. Renuit Sixtus, nisi prius ab ipso Rege Cardinalis Borbonius, et archiepiscopus Lugdunensis restituerentur. Cum autem id absque Regis et publicae tranquillitatis periculo fieri haud posse respondisset legatus, ideo Sixtus precibus ducis Mayeni Gusiorum caesorum fratris, et foederatorum principum nomine, ne Regi absolutio daretur, vehementer inflammatus, in solemni Patrum consessu die xxv. Maii monitorium in regem immisit, sacrisque interdixit.

XII. At Henricus Rex cum Lutetiam se conferret, et ad S. Clodoaldi municipium ad Sequanam fluvium moram traheret, proditorie aggressus et lethali vulnere sauciatus, Sixti monitorium, quod juxta plurium scriptorum sententiam ignoraverat, audiens, jurejurando sacerdoti spopondit se, ut filium catholicae ecclesiae primogenitum, religiose voluntati Pontificis satisfacturum. Quae tamen pia Regis dispositio Sanctae Sedi authentice non constitit, neque sub Sixto, Urbano, Gregorio, et Innocentio Pontificibus. Unde mirum esse non debet, quod Sixtus, et Gregorius XIV. obstiterunt, ne suprema religionis officia Regi defuncto deferrentur, aut pro eo publice suffragia ac preces pro defunctis fieri solitae, exhiberentur, cum eum in excommunicatione mortuum fuisse persuasum haberent. Re tamen anno MDC. dilucide cognita, Clemens Papa VIII. quartus post Sixtum in Petri cathedra sedens, mandavit ut Regis corpus in S. Dionysii Parisiensis templo tumularetur, ac solitae pro defunctis preces super eum agerentur. Blaesii hoc anno die v. Januarii jam decesserat Catharina Mediocaea ejus mater, vidua Henrici II. Henrici III. regis morte defecit Valesiorum regia progenies.

XIII. Eo igitur IV. nonas Augusti anni MDLXXXIX. defuncto, a principibus, proceribus, ducibus, primariisque multis coronae regni administris assumptus est eadem die ad Francorum regimen Henricus hujus nominis IV. Borbonius, Navarraeorum Rex, edito jurejurando de religione catholica inviolate conservanda. Foederati vero Principes, duce Mayenio, Carolum Cardinalem Borbonium Navarraei regis patruum, qui adhuc in custodia erat, regem salutarunt. Dira subinde in tota Gallia rerum perturbatio sequuta est, quae talis ac tanta fuit, ut non civitates dumtaxat, sed familiae ipsae intestinis discordiis arderent. Quare Sixtus indicto jubilaeo, divinum auxilium pro calamitatibus illius regni a Deo enixe postulavit. Interim summa instantia solicitatus de mittendo in Gallias a Latere Legato, qui auctoritatem foederatorum armis Sedis Apostolicae afferret, Henricum Cajetanum, virtutibus et eruditione clarum una cum Francisco Panigarola ordinis minorum de observantia Astae Episcopo ad tantum opus delegit.

Tempesti lib. 15. n. 7. et seq. pag. 230.

XIV. Post haec Sixtus inter S. R. E. Cardinales adscripsit XIX. calendas Januarii quatuor spectatissimos viros, nimirum Marianum Perbenedictum Camerinensem, Marturanum episcopum, et Urbis praefectum, Gregorium Petrochinum item Picenum ordinis Eremitarum S. Augustini Priorem generalem, Carolum a Lotharingia, Caroli Lotharingiae Ducis filium, episcopum Metensem, et Guidonem Pepulum Bononiensem, camerae apostolicae thesaurarium. Ad ecclesiam Tucumanensem episcopum assumpsisse Ferdinandum de Trojo Sanabrie in Paraguaya,

Ciaconius ibid. column. 194. et seq.

in civitate Assumptionis in Peruano regno natum, qui anno transacto institutus fuerat minister observantium SS. XII. Apostolorum de Lima tradit Haroldus. At scimus anno transacto ea in Episcopali Sede constitutum fuisse Joannem Izquieredo, a Rege catholico Pontifici praesentatum. Igitur dicendum cum Petro de Alva huic Ecclesiae praesedisse anno MDXCIV. laudatum Ferdinandum.

Haroldus in Lima limata pag. 193. Ann. min. ad an. 1588. num. 18.

XV. Ad hanc Tucumanam vineam finitimasque regiones excolendas misit hoc eodem anno coelestis paterfamilias S. Franciscum Solanum ex eadem observantium familia, illectum ex iis quae retulerat Alphonsus a S. Bonaventura ex illis plagis in Hispaniam mox reversus, ut copiam fratrum eo secum adduceret; quod et praestitit anno elapso, XXV. fratribus observantibus assumptis. Tucumana haec regio ad Americam meridionalem spectat; ab occasu contermina est regno Chiliensi, et Peruano; ab oriente Buenos Ayres, et Chaco; a septentrione item terris Magellanis adhuc ignotis. S. Francisci acta verbis exponimus prout in altero nostrorum annalium volumine jam edito gessimus, cl. Papebrochii « Praeclara sanctitatis indicia, quibus Francisci Solani vita apud » homines resplendebat, magnam ipsi in Hispaniae partibus conciliaverunt » aestimationem; quam ut effugeret, et in angulo quodam (absque ta- » men charitatis dispendio, et sine proximi detrimento) incognitus lati- » taret, periculum mortis non reformidans, sed gloriosi martyrii agonem » exoptans, instanter apud superiores egit, ut Africanas barbariae gentes » adeundi sibi licentia daretur. Verum ea denegata, a proposito non de- » stitit, sed ad longinquas novi hemisphaerii plagas, operariis evangelicis » indigentes respiciens, cum catholicus Rex Philippus II. a franciscanae » religionis praelatis fratres ad Indias mitti jussisset, qui populis illis » christianae veritatis lucem communicarent, occasionem sibi ratus favo- » rabilem, vir Dei sacris missionariis annumerari instanter petiit, ut pia » hac arte praeceptum charitatis non frangeret, et humilitatis instinctum » impleret. Obtenta itaque facultate, religiosis (*Petro de Peneda, Fran-* » *cisco de Torres, et Francisco de Leyva*) sub patre Balthazaro Navarro » commissario ad provincias Tucumani potius, quam aliis ad diversas » Americae regiones pergentibus, se socium adjungi elegit, quia hanc » prae caeteris partem minus praeceptis evangelicis imbutam, et opera » difficiliori audierat indigentem »

Corduba in chron. prov. Peruana lib. 3. epist. 22. pag. 227.

Busching tom. 31. pag. 180.

Ann. min. ad an. 1583. num. 1.

Acta SS. ad diem 24. Julii tom. 5. p. 863. et seq.

XVI » Fratribus autem valedicens, et populis (quos antea salutaribus » documentis informaverat) in transitu visitatis, cum navalibus copiis sub » domino Garcia Hurtado de Mendoza Caneti marchione, Peruani regni » pro-rege, ad Indias tendentibus, et cum pluribus ordinis sui religiosis » anno salutis MDLXXXIX. ex Hispalensi urbe profectus est. In navi quasi » in solitudine monasterii, spiritualia exercitia complevit; nec multitu- » dine navigantium, aut spatii parvitate ab orationis interno colloquio, » vel ab externa proximi cura est impeditus. Postquam enim a privatis » precibus cessaverat, alios verbis igneis ad amorem divinum intende- » bat, apprehenso manibus Crucifixo, mortem peccato praeferendam con- » testabatur, et quos sermonis jaculo sauciaverat, poenitentiae sacramen- » talis medicina sanabat ».

Didacus Navarro in vita S. Francisci pag. 26.

XVII. « Viam autem prosequente navigio ad S. Dominici Insularum » (*ad insulam scilicet Hispaniolam et reliquas adjacentes, quae in parte*

» *Americae septentrionali positae sunt*) prospectum venere, ad quas religiosi quidam, inter quos et ipse vir Dei tunicas loturi, descenderunt. Hora post meridiem quarta, quoquot cymbula capere potuit, ad navem in alto positam redierunt. Remansit cum aliis Franciscus, donec scaphae iterum rediturae beneficio trajiceret; quae quidem ob nimiam distantiam, usque ad horam a media nocte secundam non est reversa. Interim vero periculosae expectationis traedium servus Christi orationis perseverantia superavit, et barbarorum in horridis illis montibus habitantium ferocitatem (quam alii timebant) ipse non veritus, gaudio exultans, laudes Domini et Deiparae Virginis alte concinebat, ac consequendi martyrii optatam sibi adesse occasionem oris et cordis jubilo tripudiabat ».

Joan. Baptista Antonellus apud Joan. de Laet lib. 8. capite 5.

XVIII » Ad navem reversis omnibus, cursuque navigationis resumpto, classis Carthagenam (*urbs est maritima Americae meridionalis in Novo Regno Granatensi, ab Hispanis Cartagena la Inda, ob incolis Caraman dicta*) appulit, ubi diebus aliquot transactis, ad portum Nominis Dei, sive Portovelum (*sive Portobelum*; *vitae auctor forte confundit portum Nominis Dei cum Portobelo, quia Hispani ob aeris intemperiem, ad Portum Belum commigrarunt*; *nam hic distat ab illo quinque leucas*) proram direxit; unde relicto mari, Franciscus noster cum praelato et sociis terrae iter aggressus, Panamam (*emporium Americae meridionalis celeberrimum in provincia Terrae Firmae*) venit. Hac in civitate nullum laboriosae peregrinationis refrigerium admittens, sibi in angulo chori fiscum sparteum pro grabato, et lignum cervical aptavit: terminatis officii et orationum horis, ad urbis xenodochium infirmis humiliter ministraturus visitans.

XIX. » Elapsis nonnullis diebus, sacri missionarii navem Joannis de Morgana ingressi, e Panamae portu solverunt. Vix autem velis extensis, eam ad Peruana regna direxerant, cum ecce juxta sinum Gorgonae (*parva Americae insula*) navigantibus, subito tempestas oborta est, cujus impetu et ventorum flantium furore, navis hinc inde rejecta, circa mediam noctem in arenas impegit, et violentis impulsibus conquassata, exundantibus aquis aditum aperuit; quibus et imbrium ab aere decidentium copia, certum minabatur naufragium, et praesens mortis periculum miseris intentabat. In extrema hac salutis desperatione, nanta cymbulam mari commisit, in qua cum praecipuis viris et religiosis ad terram properare decrevit ».

XX. » Rogatur itaque vir Dei Franciscus, ut secum sociis morti subduceret. Sed cum majorem hanc charitatem in corde gestaret, qua pro amicis et proximis vita ponitur, considerans, quod infelix exitus expectabat eos, quos suscipere scapha non valebat, sui corporis vitam spirituali eorumdem saluti postponens, adduci non potuit, ut afflictos illos, quorum quamplurimi barbari gentiles nigri, in aquis baptismalibus veterem Adam nondum sepelierunt, omni destitutos auxilio desereret. Alte itaque exclamans, ait: absit, ut lucis temporalis amore, ab istis fratribus meis in utriusque vitae discrimine positis sejungar. Mox cruce assumpta, eos ad oculos in montem divinae misericordiae levandos, et ad sperandam ab illo, qui dominatur potestati maris, fluctuum mitigationem est cohortatus. Barbaris quoque gentilibus in fer-

» vore spiritus Christi nomen, paucis sed efficacibus verbis, annuntiavit » et sufficienter dispositos baptismi lavacro regeneravit ».

XXI. » Vix onerata dignioribus cymbula, sd litus tendere incoeperat, » cum valida maris procella, et fluctus irruentis violentia navem in duo » fragmenta divisit, quorum unum cum multis hominibus, inter quos » recens baptizati nonnulli, aequor absorbuit; alterum, in quo vir Dei » cum pluribus aquis supernatavit. Ad tam luctuosi casus eventum, » omnes pavor extremus invasit; solus Franciscus intrepidus crucem o» stentans, eos ab alto puppis ad spem in Domino collocandam horta» batur, adfuturum post tres dies auxilium, et naviculam ad eos rever» suram affirmabat. Ut autem in corporum periculo animarum securitati » provideret, eos secunda post peccati naufragium tabula, poenitentiae » scilicet sacramento, ad portum salutis inveniendum disposuit; ac etiam » ut propitium miseris coelum redderet, intus cordis hostiam suspiriis et » precibus, foris corporis victimam flagellis super nudos humeros injectis » immolavit. His in angustiis totum tridui spatium duxere, non alio cibo » refecti, quam verbis procedentibus ex ore Francisci; quo se quidam » ita fuisse roboratos professi sunt, ut nullam senserint famis inediam ».

XXII. » Tandem juxta viri sancti sermonem, coelestis aura subsidii » coepit aspirare: cereis enim quibusdam a mari in navem rejectis (quod » aliqui miraculo servi Dei precibus operato adscripserunt) et accensis, » his qui in scapha ad litus trajecerant, se adhuc superstites et prompto » esse indigentes auxilio significarunt. Die ergo tertio (ut impleretur ver» bum Francisci) educta ab aquis cymbula, quibus erat immersa, nec» non sufficienter instructa, remigum manu ad miseros rediit naufragan» tes; in quam non prius descendit vir sanctus, donec omnes in eam » fuissent recepti, tuncque deposito habitu et fune colligato, tunica inte» riori vestitus, crucem manu gerens, sd naviculam undarum motu » aliquantisper a nave sejunctam natando, pervenit; projecta vero vestis » in aquas decidit. Vix scapham ingressi sunt omnes, cum quod hucus» que supernataverat navis fragmentum, subito in profundum demersum » est. Illi vero salvi et incolumes delati ad terram, perbidui viam ad tu» guria (in quae se socii receperant) accesserunt, eisque quantam a P. » Francisco consolationem, et auxilium accepissent, narraverunt ».

XXIII. » Contigit autem in ipso maris egressu res non praeterenda » silentio, quod scilicet vir Dei ad quaerendum (quem in fluctus ceci» disse diximus) habitum, juxta pelagi oram progressus, impossibilem, as» serentibus aliis, ejusdem inventionem; ille quasi de exitu non incer» tus respondit: *in Deum spero, quod seraphicus pater meus Franci» scus, quam mihi ordinis sui largitus est vestem, nunc restituet*. His » dictis, iter prosecutus intra semihoram habitu et caputio indutus, et » cingulo praecinctus, nullo madefactionis in eis remanente vestigio, ad » illos rediit ».

XXIV. » Qui vero tempestates maris evaserant, in terra positi mor» tiferae famis cruciatu laborabant: in regione enim illa deserta, et a» speris montibus rigente, nihil aliud miseris suppetebat ad victum, quam » insipidae radices, et fragiles herbae, necnon genus aliquod pomorum, » mortem intra 24. horas comedentibus afferentium. His commotus aerum» niis pius Pater, herbas manu propria colligebat, et in nomine SS. Tri-

» nitatis benedictas caeteris porrigebat. Saepe etiam pisces (divina ut creditur arte) ab aquis eductos, singulis dividebat, quibus alimentis charitate viri sancti conditis, omnes sani et incolumes per sexaginta peregrinationis dies persistiterunt ».

XXV. » Praeterea, ut Dei justitiam flecteret, in tuguriolo angusto » et paupere oratorium extruxit, et in eo altare cum imagine Dei genitricis Mariae a naufragio erepta, ut juxta eam quotidie ad vesperam » *Salve Regina* decantaretur. Insuper abhinc quingentis passibus aliud » sibi habitaculum angustissimum erexerat, in quod, post administratum » caeteris verbum Dei, et cibum corporalem, se recipiebat, ibique continuis orationibus (inter quas apparitione coelesti visus est aliquando gaudere) poenitentiis et flagellis aeternam implorabat clementiam. Cumque » occasione supellectilis e mari ad litus rejectae, inter naufragos illos, » alia periculosior irarum, et dissensionum tempestas esset exorta, vir » sanctus illam extinguere volens, ex tugurio suo nudus (retentis dumtaxat braccis) egressus, aspero verberum imbre ex humeris sanguinem innocentem extrahente, clamorosisque gemitibus animos dissidentium » ita emolliit, ut pacem subito ineuntes, ad pedes ejus confusi, et veniam deprecantes prociderent ».

XXVI. » At vero cum post naufragium, instructa navicula, P. Balthazar Navarro commissarius cum quibusdam hispanis, ad civitatem Panamam, centum inde leucis distantem, victum et navem petiturus navigasset, jam quinquaginta dies ab eorum discessu effluxerant, nec optati subsidii iis, qui in horrido deserto remanserant, hora apparebat. » Itaque vigilia Nativitatis Christi elucescente, spem omnem evadendi » abjicientes, in luctuosos gemitus, et miserandos clamores ora solverunt. His in angustiis vir Dei Franciscus ipsa Natalis nocte totus » mente absorptus, jubilans et exultans, quasi angelus pacis, tugurium » (in quo jacebant) ingreditur, eosque pro imminenti consolatione ad » laudes Deo et Virgini deferendas invitat. Verbis illius toties probatis illico » fides adhibetur; luctus in gaudium convertitur, et dies natalis Christi » cum magna omnium laetitia celebratur. Triduo nondum elapso, impleta » est prophetia Francisci; redeunt socii, navem cibis onustam, a regali Panamae Audientia acceptam adducunt. Omnes refocillati usque ad portum » Paytae feliciter navigarunt; Franciscus vero itinere terrestri cum aliis » religiosis ad civitatem Limanam perrexit ».

XXVII. » Ut sacri missionarii confractas tam laboriosa peregrinatione » corporis vires in urbe Limana resumpserunt, iterum difficiliori viae se » committentes, ad provincias Tucumani, vel ut vulgari nomine *Rio* » *de la plata*, seu *flumen argenti*, ultra septingentarum spatia leucarum » per invia et arida loca, fluviis rapidis et profundis intersecta, per mille » pericula, et immensos labores, solo salutis animarum zelo stimulati, » contenderunt. Illis equidem barbaris et feris nationibus nuper evangelicae claritatis lumen patris Idelphonsi a S. Bonaventura provinciae Andalusiae regularis observantiae recollecti praedicationibus affulserat, quem » etiam praecesserat (*ante annum* MDXXXVIII.) fr. Ludovicus Bolanus, » tunc dumtaxat diaconus, qui quoniam illorum idiomata perfecte didicerat, doctrinam christianam, et catechismum Limensem in eadem traduxit, ac postmodum factus sacerdos, magnam multitudinem ecclesiae

Arturus ad diem 6. Decembris.

» gremio aggregavit, regionum illarum apostolus merito appellandus ».

XXVIII. » Ad hanc vineam excolendam, et multiplicandam noster Franciscus se destinari optavit; in quam ingressus, populorum qui Socotonium et Magdalenam (*situs horum locorum ignotus est*) incolunt, » ac plurium aliorum curam suscepit, ut eos quasi pastor et parochus » sanctis imbueret doctrinis, et sacramentis initiaret: ac propterea se omnibus apostolici missionarii virtutibus munivit. In primis opera verbis » anteponens, orationibus, jejuniis, et voluntariis cruciatibus spiritum » Deo, et carnem spiritui subjiciebat; modestiam, mansuetudinem, zelum, » charitatem, et rigidam in pedum nuditate, in habitus vilitate, et in » cibi parsimonia poenitentiam exhibebat. Videbatur frequenter in ecclesia ore in terram pronus, et in figuram crucis extensus, ex intimo cordis longa cum Deo protrahere colloquia, et se suumque ministerium » ejus protectioni commendare ».

XXIX. His accinctus armis, ut bellum vitiis alienis ea expurgando et » arguendo indiceret, linguis gentilium illorum difficillimis addiscendis » ardenter incubuit, quas non tam acumine ingenii, et memoriae sagacitate, quam divina communicatione transfusas accepit. Omnium namque testimonio res mira et coelestis visa est, quod brevissimo tempore » tam perfecte omnia illa confusa et varia idiomata, praesertim Toconoticum (*valde difficile*) intra quindecim dies didicerit, ut se clare intelligibilem redderet, ipsosque nativos locorum incolas facilitate et proprietate dictionum superaret, ac in sermone deficientes corrigeret. Quod » cum barbari, divinam non intelligentes gratiam, adverterent, in principio arti magicae tribuebant. Imo famae publicae testimonio creditum est, quod hispanico Castellae idiomate divinas edocentem doctrinas, » variae nationis Indi, quasi propria cujusque lingua loquentem intelligebant ».

XXX. » Illas itaque loquelas edoctus, in verbi divini praedicatione » sedulo laboravit: percurrebat enim omnes illas horridas regiones, et » mortis timore postposito, ad remotiores partes evangelicos sermones » deferebat. Nulli parcebat labori, nulli difficultati, ut errantes illas » oves e lupi tartarei truculentis faucibus eriperet. Omnium confessiones » benigne excipiebat, afflictos et in angustiis positos verbis dulcissimis » solabatur, et eorum miserias, quasi proprias reputabat. Infirmorum » specialem solicitudinem gerens, eos frequenter visitabat, et alimenta » secum delata porrigebat. Graviter aegrotantem Indum semel invisit, » cui in agone versanti, et loquela privato, alte exclamans significavit, » ut materno idiomate (quod se licet alias incognitum, intellecturum » asserebat) cordis secreta, et voluntatis occulta loqueretur. Tunc aeger, soluta ad voces lingua, christianam legem doceri se, et ad baptismi sacramentum disponi expetiit. Edoctus ergo a sancto Patre, et » salutari lavacro ablutus, quievit in pace ».

XXXI. » Ad devotissimos viri mansueti sermones, deposita feritate » barbari convertebantur, quos sacris undis mundatos vitae spiritnali regenerabat. Alii ipsius fama sanctitatis allecti, ad eum sponte veniebant, » quos benigne instructos baptizabat, sicque innumeram eorum multitudinem evangelica benignitate cicuravit. Tantaque erat ejus apud omnes » aestimatio, ut quod justitiae rigor, et metus poenarum ab illis extor-

» quere non poterant, ipse solo vocis imperio obtineret: vocati quippe » statim aderant, et quae fieri jubebat, alacres exequebantur ».

XXXII. » Hujus auctoritatis, quam sibi humilitate et amore comparaverat, indicium est, quod cum aliquando in die sancto Coenae Domini, dum christiani sacris ritibus occuparentur, numerosa multorum millium caterva infidelis et barbara, armis instructa, bellum et mortem fidelibus illatura convenit. Ad quem inopinatum eventum perterriti christiani, magnam sui stragem metuebant, cum vir Dei Franciscus gladio sacri verbi ad medullas pertingentis, armatus accessit; et licet diversae sibique ignotae linguae homines unius idiomatis sermone allocutus sit, adeo fructuose tamen doctrinam catholicam, pacem et concordiam annuntiavit, ut ex illis ultra novem millia converterit, et baptisma petentes, christianos effecerit. Quorum quidem tam vera et sincera mutatio fuit, ut eorum quamplurimi eadem nocte se simul cum catholicis, ad Christi in columna pro nobis flagellati imitationem flagellaverint. Ex tunc autem fama publica apud gentes illas invaluit, quod unico praedicans idiomate, a multis variarum linguarum fuerit distincte perceptus. Eadem quoque mansuetudinis innatae potentia populos prope civitatem S. Jacobi de Estero (*praecipua civitas provinciae Tucumani*) incolentes, a mutuis, quibus conflagrabant, odiis, statim ad pacem reduxit ».

XXXIII. » Augebant hanc viri sancti famam et aestimationem magna, quae populis contulit beneficia et miracula, quibus coruscavit. Cum in territorio oppidi Talaverae (*ab Indis Estero*) a Matrito (*locus forte qui distat ab oppido S. Michaelis quinquaginta, a Talavera viginti quinque leucas*) e provincia et episcopatu Tucumani apud Indos terrae Socotonii, evangelica dogmata praedicaret, audito, quod ob aquae penuriam quidam ex illis populis grave paterentur incommodum, et discessum ab hoc loco cum magna sui jactura et labore meditarentur, adfuit homo Dei, et divino lumine illustratus, non procul latere aquarum venam affirmavit. Negabant illi ob diuturnam ariditatis experientiam; at hic egressus cum eis in agrum, locum in terra omnino arida, baculo designavit, et incredulis, ut foderent, jussit. Quibus vix terram scindere incipientibus, fons aquae dulcis et nitidae copiosissimus emanavit, cujus tanta adhuc abundantia perseverat, ut molendinis duobus volvendis sufficiat, et usque in hodiernum diem *fons Sancti Solani* ab Hispanis, Indisque terrigenis dicatur, atque insuper ad sanandos ab infirmitatibus homines, virtutem habere mirificam signis quamplurimis comprobatur ».

De Laet lib. 14. cap. 12.

XXXIV. » Peregrinante viro Dei per illas Tucumani inaquosas regiones, et ab oppido S. Fidei a Paraguai (*adverso flumine argenteo* LXXX *leucas abest a portu Buenos Ayres*) Cordubam (*habet haec civitas ad ortum urbem S. Fidei, ad occasum civitatem S. Joannis de la Frontera, distatque ab utraque quinquaginta leucas*) pergente, contigit, ut in toto tridui itinere, ad quartam usque diem aqua deficeret. Erant in comitatu multi sitis aestu adusti, sed inter illos duo milites prae caeteris impatientes, animam desperationi et linguam horrendis blasphemiis laxarunt. Tunc Franciscus acri dolore ob injuriam Deo illatam commotus, venerabili viro patri Andreae de Fizaguirra ordinis B. Mariae de Mercede

» praedicatori simul progredienti, ait : *licet, quas in Dei nomen evo-* » *munt blasphemiae, illos omni gratia reddant indignos, tamen eis et* » *aliis aquae fontem indicare volo. Tu itaque ad collis hujus culmen* » *ascende, ibi locum aridum, sterilem, et vento apertum, in eoque* » *chartulam in medio plicatam invenies. Ad duos ultra passus lapis ro-* » *tundus est, quem si amoveris scaturientem aquae venam deprehendes.*

XXXV. » Obedivit iste voci servi Dei, et eo, quo significaverat, » ordine cuncta reperit; aqua autem ab omnibus sufficienter hausta, cum » chartulam, quam infra reliquerat, assumere vellet, non adinvenit. » Descendens tandem de colle, et ad virum sanctum reversus, faciem » ejus igneo quodam colore et miro splendore suffusam est demiratus. » Inde viam prosequentibus, ubi patibulum juxta Cordubam erectum » apparuit, ad praefatum p. Andream conversus Franciscus Solanus, duos » illos milites ob illatam cuidam crudelissimam mortem in eo, die se- » quenti suspendendos praedixit. Et revera missis eodem die a praeside » Audientiae Charcharum (*regio Americae meridionalis et australis pars* » *regni Peruani versus mare pacificum, et regnum Chiles*) informa- » tionibus, jussi sunt apprehendi, et juxta verbum Prophetae altero » mane suspendio necari ».

XXXVI. » Accidit etiam aliquando, ut ab Indo ad sepeliendum de- » functum filium rogaretur, cujus cum domum intrasset, puerum sanum » et juxta ignem se calefacientem reperit. Arguit propterea parentes, quod » sibi ita illusissent; at illi filium vere mortuum fuisse affirmabant. Unde » exiit sermo inter omnes finitimos populos, quod puer ille precibus et » meritis viri sancti Solani fuisset a morte suscitatus ».

XXXVII. » Dum in Omnium Sanctorum oppido (*vulgo la Rioja*) » Tucumanae provinciae, Dei servus Franciscus infirmitate detentus mo- » ram faceret, illo spiritu, quo Christus Dominus Nathanaelem sub ficu » vidit, illustratus, quamdam Indam, Petri Soteli servam, se propriis » manibus suspendio necantem agnovit. Quare vocatum Emmanuelem Mu- » nez presbyterum rogavit, ut quamcitius ad tale montis latus, per hanc » et illam viam iret, ac quam ibidem reperturus erat Indam, ad se de- » duceret Perrexit itaque iste, sed in itinere occurrentis cujusdam con- » fabulatione detentus, tarde nimis accessit, cum jam Indam ultimum » halitum emittentem invenit. Reverso ad se, sanctus Pater dolens, et mor- » tem miserae lugens, detentionis occasionem distincte aperuit, adjungens, » ut cum ad meridiem Hispanis suspensa occurreret, ab ipsismet Indis » cadaver flammis comburi in exemplum ipsorum, et facinoris detestatio- » nem juberet. Post haec autem ipse vir sanctus gravem ad Indos ser- » monem habuit, cujus efficacia permoti, hoc genus mortis in posterum » pro abominabili habere coeperunt ».

XXXVIII. » Ad majorem servi Dei Francisci Solani apud Indos reve- » rentiam plurimum conferebat divina protectio, quae ipsum in omni » periculoso eventu peculiari assistentia tuebatur. Cum aliquando in op- » pido S. Michaelis provinciae Tucumani (*S. Miguel de Tucuman illud* » *vocant, quod abest ab oppido S. Jacobi de Estero* XXVIII. *leucas*) so- » lemnis taurorum exercitatio haberetur, indomitus quidam et ferox re- » pagula transgressus, aliquos Indos misere necavit. Tunc forte per eam- » dem viam servus Dei incedebat, quem cum a ferocis belluae occursu

» nulla vis humana eripere posset, non tamen ideo timore correptus est, » sed cruento animale intrepide funiculum suum objecit; illud vere continue mansuefactum ore et olfacto chordam contingebat, mox quasi in » ovem mutatum ulterius progressum est. Magna fuit populi spectantis admiratio, immo et ipse gubernator obvium se Francisco faciens, ait: » *sic Pater tauros feroces domas?* At ille totum divino beneficio eventum » humiliter adscripsit ».

XXXIX. » Apud populum Socotonii notissimum est, quod cum alia » vice Franciscus Solanus eamdem Tucumani regionem peragraret, obvium habuit indomitum taurum, qui sua ferocitate illac transeuntes » valde terruerat. Huic ad se cum furore currenti genuflexus vir Dei » manus innocentes objecit, quas etiam curvato poplite animal exosculans, pacifice in montem recessit, et liberum ipsi iter reliquit. Sic » tandem et alius non mitior taurus visus est sancti Patris manus lambere, habitum ore venerari, et qui alios in periculum vitae conjecerat, » sub isto Dei amico mansuefieri et cicurari ».

XL. » Cum provincias illas vir sanctus evangelizando percurreret, ad » ripam rapidi et profundi fluminis venit, ubi deficiente navicula, elevatis sursum oculis, pallium super aquas stravit, et fide, quasi remiga ductus, prospero divini auxilii vento, cum omnium spectantium stupore trajecit. Alias flumen transeunti aquarum impetus pallium » forte eripuit, et in decliviores undarum decursus adduxit. Ad adversam oram cum pervenisset vir sanctus, viam ad superiora prosecutus » est; quidam vero Andreas Garcia de Valdes, qui in comitatu erat, » aliquantulum cum eo progressus retrogradi voluit, ut forte rejectum » ab aquis pallium reportaret. Et ecce ad locum, in quem in trajectu » appulerant, illud super herbas complicatum, et quasi manu humana » repositum invenit, licet decurrentis fluvii tractu, multo inferius fuisset » deferendum ».

» XLI. » Cum ab oppido S. Michaelis ad civitatem S. Jacobi de Estero transiret, recusato omni itineris adminiculo, ad flumen profundum, ob hibernam tempestatem plus solito rapidum et exundans pervenit. Trajiciendi nulla spes erat; hinc metus culicum, quibus hic tractus infestari solet, illinc famis in deserta regione periculum erat: transitum expectabant cum viro Dei ultra viginti homines, et ex parte opposita quadraginta currus, et copiosa viatorum multitudo. Horum moerore afflictus Franciscus, ad Deum conversus, prompti remedii spem certam accepit, et circumstantibus ait: *ne terreamini fratres clarissimi,* » *crastina enim die hora nona* (*tertia ante meridiem est*) *fluvium nitidum*, et *aquis demissum trajicietis*, et *quoniam vos esurire cognosco,* » *coenam ministrare volo* ».

XLII. » Mox projecta in aqua reticula, plurimos pisces extraxit, et se » solo paratos et coctos aliis in abundantem escam distribuit, omnesque » etiam illa nocte a nullo infestari culice, suae efficacia virtutis imperavit. Die autem sequenti et hora praedicta, fluvius quietus, demissus, et ad vadum facilis apparuit; quem cum omnes ex utraque ripa » trajecissent, subito ad pristinam rediit altitudinem, licet nec toto illo » tempore pluerit, nec naturalis aliqua causa de novo accesserit »

XLIII. » Quadam die locustarum densissima nubes capitanei Andreae

» de Iuoisa triticum invasit. Vocatus in auxilium vir Dei, assumpta stola et » factis de more exorcismis, aqua lustrali granum aspersit, positisque geni» bus insecta animalcula jussit intacto tritico abire, et montes infidelium » quosdam digito praeestendens, ac manifeste designans, ad eos illico tran» svolare. Auditum est a locustis Francisci, vel melius Dei in ipso loquentis » imperium, subito recesserunt, et ad designatas terras agmine denso » congregatae per aera transierunt. Siscitantibus autem hominibus, cur eas » imprecationibus non affecisset, respondit vir pius: *quia sicut olim illis* » *Joannes Baptista, ita nunc Indi eisdem in cibum uti solerent* ».

XLIV. Per id temporis infidelium conversioni studebat in Brasilia ejusdem Americae meridionalis regione una cum sociis Melchior a S. Catharina custos, cujus labore erectum fuit ex luto coenobium in civitate Parahybae, S. Antonii Patavini titulo. Civitas haec a qua Parahybae provincia nomen sortitur, abest a Phernambuco XXIV. leucas. Ut neophitorum necessitatibus consuleretur, aucta fuit haec custodia duobus domibus doctrinalibus, quarum prima erecta fuit in loco de Maracanaioacaca, in qua solicitudine Bernardini de Nivibus sacerdotis, ubi anno MDCVIII. decessit, quamplures infideles Christi fidem susceperunt; altera S. Michaelis titulo in loco de Iguna, XX. leucas a Phernambuco distans.

XLV. Rediit hoc anno ad minores observantes provinciae Burgensis conventus S. Bartholomaei de S. Gadeá dictus, erectus anno MCDLVIII. a fr. Lupo Salinensi, multorum conventuum fundatore, quem post annos septuaginta Conceptionistae sorores incoluerunt, autoritate Castellae Antelati. Moniales translatae fuerunt intra urbem Burgensem in monasterium S. Ludovici. Nil mirum ergo si de eo nil habeat Gonzaga. In provincia Angelorum jacta sunt fundamenta conventus S. Didaci in villa de Hinojosa in ducatu de Bejar dioecesis Cordubensis, incolarum expensis, accedente Pontificis auctoritate: *Singularis* die XIII. Decembris. In eum intrarunt fratres anno MDXCI. Joannes Hayus minister Provinciae Coloniae ex Pontificis mandato: *Ex injuncto* die XI. Novembris immisit fratres de observantia in conventum de Olivas civitatis Coloniae, in quo unus tantum sacerdos et tres laici de tertio ordine claustralium degebant.

XLVI. Multiplicatis fratribus, e coenobio S. Nicolai Viennae anno MDXXXIII. instructo, commigrarunt observantes in monasterium monialium S. Hieronymi ejusdem Civitatis incolis vacuum. Quibusdam difficultatibus superatis, Ernestus Archidux Austriae hanc fratrum translationem sequenti diplomate confirmavit.

Nos Ernestus D. G. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Charintiae etc.

Fatemur postquam honorabiles religiosi, nobis dilecti, ac devoti N. provincialis ac totus conventus ordinis S. Francisci discalceatorum Viennae in submissione significarunt, quomodo concreditae illis aedes ad S. Nicolaum ob fratrum in dies accrescentium numerum, aliasve urgentes rationes iterum illis angustae, et pro digne consequendis divinis laudibus minus aptae sint, ac incomodae nimis, ac obinde nobis humillime supplicaverint, quatenus praedicti S. Nicolai loco, monasterium S. Hieronymi (ubi aliquando moniales degebant, jam omnes demortuae) actu vacuum illis indulgeremus, in cujus etiam permutationem S. Caes. Majestas noster perclemens, et amicissime dilectus Dominus et germanus

Rodulphus II. nosque ejusdem loco facta nobis sufficiente relatione benignissime consensimus, hac harum virtute consentimus. Cum autem in ejusmodi permutatione honorabiles et erudili, nobis singulariter dilecti N. Consul, et Senatus urbis Viennensis, qua collatores et fundatores monasterii S. Hieronymi partem habeant, hinc ad melius esse, perfectamque transactionem ex speciali gratia utrique parti ob hanc a nobis indultam permutationem rev. honorabilem, doctum, nobis dilectum, et devotum, et fidelem Joannem Gasparum Episcopum Viennensem, Stephanum Engelmayr J. U. D., et Mathiam Pervven, omnes S. Caes. Majestatis consiliarios pro commissariis deputavimus, qui et ambas partes juxta nostram benignissimam ratificationem unierunt. Obinde post praeviam discussionem rerum, ac circumstantiarum, consilium, et deliberationem in ambarum partium gratiam, et ultimam factae permutationis ratificationem, nos quoque clementissime consentimus, confirmando, ratificando et roborando ante memoratam transactionem, et permutationem quoad omnem sui formam et tenorem suprema auctoritate nomine S. Caes. Majestatis perclementis et amicissime dilecti domini germani nostri, scienter et virtute praesentium litterarum, quantum de jure, et aequitate confirmare, ratificare, et roborare possumus, ac valemus.

Datum in urbe Viennensi x. *mensis Maii post Christi Nativitatem anno* MDLXXXIX.

Ernestus
J. B. Weber.

Ad mandatum Sereniss. Archid. proprium
S. Wernacher.

Conv. Nuceriae Paganorum Monum. prov.

XLVII. In provincia Principatus obtinuerunt et ipsi observantes conventum S. Mariae de Angelis Nuceriae Paganorum, ministro provinciae Hieronymo Villani in eadem civitate nato. Illum propriis sumptibus aedificavit pro VIII. fratribus d. Marcus Antonius, vir nobilis, et pius prope oppidum, vulgo *le Gutte*; siquidem civitas diffunditur in plures diversosque pagos. Guardianus loci parochi munus gerit, qui die S. Marco sacro convenire debet cum aliis parochis coram Episcopo ad ei offerendam libram unam cerae albae. In sacello S. Euphemiae asservantur SS. reliquiae, ossa nimirum S. Andreae Apostoli, S. Casoli confessoris, S. Barbarae V. et M. S. Stephani protomartyris, S. Laurentii M., S. Ursulae V. et M., S. Gregorii Papae, S. Pantaleonis, S. Placidi Abbatis, S. Philadelphi Episcopi et conf., et S. Euphemiae V. et M. illius civitatis patronae. In hac civitate vitales aures hausit S. Ludovicus, parentibus Carolo Siciliae rege, et Maria Hungariae Regina, qui inter minores cooptatus, et episcopus Tolosanae ecclesiae inauguratus, ita mire in virtutibus coruscavit, ut mortem justorum obierit, et a Summo pontifice Bonifacio VIII. in Sanctorum album accenseri meruerit. In eadem provincia, agente apud Pontificem Paulo Gravina commissario generali curiae Romanae, data est opera fundationi conventus S. Mariae Sanitatis in oppido de Pogliano dioecesis Salernitanae, illius universitatis impensis: *Expositum fuit* die XI. Januarii.

Ann. min. ad an. 1275.

Conv. de Pogliano

XLVIII. Datis a Pontifice litteris: *Religiosos viros* die XXIII. Novembris minister provinciae S. Bernardini possessionem accepit coenobii terrae Pacentri dioecesis Sulmonae sub invocatione Immaculatae Conceptionis,

eleemosynis incolarum instructi. In provincia Siciliae eis accessit coenobium S. Mariae de Jesu, ad III. lapidem a civitate Leocatae dioecesis Agrigentinae. Ecclesia, quam tradunt fuisse erectam a S. Gregorio, aucta fuit aedificiis anno MDCXXII. studio Francisci ab Alicata ejusdem ordinis sacerdote. In ea veneratur SS. Crucifixi imago, qua pro sua devotione usus fuerat olim S. Carolus Borromaeus Cardinalis ac archiepiscopus Mediolanensis, quaeque fratribus donata fuit a duce militum Petro Pardo. A XV. sodalibus incolitur. Ministro provinciae Siciliae indulget Pontifex: *Personarum quarumlibet* die XV. Februarii, ut pro suis construere faciat conventum in civitate Cephaludensi juxta ecclesiam S. Nicolai, ubi erectum erat quoddam confratrum sodalitium. Pro eo aedificando multa, quaa ei obvenerant haereditario jure ob mortem ducis Vespasiani Gonzaga consobrini sui, erogavit Franciscus Gonzaga episcopus hujus civitatis. *Tanta superfervit*, ita de hoc episcopo scribit Pirrus, *charitate*, *ut suis manibus quotidie*, *nudis pedibus incedens*, *eucharisticum sacramentum infirmis administraret*, *illisque eleemosynas praestaret largissimas*. Coenobium continet XII. fratres. Minister provinciae Genuae licentiam habet a Pontifice: *Religiosos viros* die XXIII. Septembris acceptandi monasterium monialium S. Marthae in terra Medae Papiensis dioecesis sororibus vacuum, pro illuc introducendis fratribus de observantia.

Conv. Leocatae Pirrus in not. eccl. Agrigent. pag. 740.

Conv. Cephaludensis. Idem in not. eccl. Cephaluden. pag. 816.

Conv. Medae.

XLIX. In provincia Romana denuo incoluerunt observantes conventum Anquillariae, ab eis antea derelictus. Anno MDCLXXV. obvenit fratribus de tertio ordine. Accesserunt in eadem provincia patribus reformatis hoc anno conventus S. Mariae de Gratiis Scandriliae, et S. Silvestri Montis Soractis, a quo tamen anno insequenti ob fulminum frequentem percussionem abierunt.

Casimirus de Roma pag. 12. in praefat.

L. Sigismundus Saldinus conventualis possessionem hoc anno accepit coenobii erecti in civitate Centumcellarum in provincia Romana, a Francisco Andreotti loci incola. In custodia Syracusana eis tributus fuit conventus S. Michaelis Aydonis sub ministro provinciae Marco a Calatahierone.

Conv. Centumcellarum. Teuli pag. 215. Ann. min. ad an. 1583. num. 29. Conv. Aydonis. Cagliola pag. 132.

LI. Posita sunt hoc tempore pro minoribus conventualibus reformatis in provincia Neapolitana coenobia S. Joannis Baptistae Antripaldae, Anguillarae, et S. Catharinae V. et M. in oppido Grumi dioecesis Aversanae, quod fundatum fuit a domino Carolo Laffredo de Georgii Mutulo, Episcopi illius civitatis consensu.

Conv. Antripaldae, Anquillarae, et Grumi. Chron. discalceat. Neapolis tom. 1. pag. 36.

LII. Quoniam vero nulla Pontificia auctoritate fretus, saepe a nobis laudatus Joannes Baptista de Pisauro, aliqua in Italia pro fratribus discalceatis, quos ex Hispania induxerat, domicilia erexerat Genuae titulo montis calvarii, et Romae prope ecclesiam S. Mariae miraculorum, ideo Sixtus lata constitutione: *Cum sicut* die XX. Decembris institutum discalceatorum in Italia extinxit, et loca fratribus conventualibus reformatis attribuit, interim praecipiens Joanni ac sociis ejus, ut vel ad suos vel ad fratres reformatos conventuales convolarent.

Conv. Genuae. Conv. de Urbe Idem ib. p. 18.

LIII. Coacto die XX. Maii a fratribus claustralibus tertii ordinis in conventu S. Mariae de Piratello extra Imolam generali ordinis comitio, proclamatus fuit supremus eorum moderator Dionysius Columba de Oriolo Calaber; definitoris munus susceperunt Bonifacius de Sillis, Seraphinus Ciambra Siculus, Nicolaus Cadarinus Cremensis, et Pompejus Peronelli.

Bordonius p. 315.

Verum cum eodem anno e vita ereptus esset laudatus generalis, loco ejus anno insequenti, litteris die XXII. Januarii a Sixto expeditis, suffectus est in vicarium apostolicum Seraphinus Masnaga. Ab hoc anno ad annum usque MDCII. eorumdem fratrum provinciae undecim numerabantur, nimirum provincia Mediolanensis, Brixiensis, Veneta, Bononiensis, Anconitana, Umbra, Romana, Aprutina, Neapolitana, Calabra, et Sicula.

LIV. Eisdem fratribus in provincia Romana conceditur conventus S. Mariae Illuminatae in loco Vivarii dioecesis Tiburtinae. Iidemque in provincia Umbriae incoluere conventum S. Mariae de Pace penes oppidum Massae dioecesis Tudertinae, ad quem transierunt anno MDXCII. de licentia Angeli Cesi episcopi. Ante id temporis incolebant coenobium S. Antonii Abbatis, anno MCDXCIII. aedificatum a Jacobo de Novara ejusdem instituti in loco buxetis referto. Scipio Provalio Brixiensis cessit eisdem fratribus ecclesiam S. Mariae extra moenia oppidi Sajani dioecesis Brixiensis, ac fundum pro aedificatione conventus, ea lege tamen, ut pro ejus anima sacrum quotidie facerent. Haec omnia rata habuit Pontifex: *Exponi siquidem* die XX. Maii.

Conv. Tiburis. *Idem pag. 391.*

Conv. Massae. *Idem pag. 374.*

Conv. Sajani. *Idem pag. 346.*

LV. Pro minoribus fratribus capucinis multiplicati sunt conventus diversis in provinciis; in provincia Panormitana conventus in civitate ducali Cacabi dioecesis Panormitanae, et in civitate Salemii dioecesis Mazzariensis; conventus in oppido Caliobetae dioecesis et provinciae Syracusanae; in provincia Neapolitana conventus in civitate Ponticurri; in provincia Cosentiae conventus in oppido Arioli dioecesis Anglonensis, in oppido Pedaci dioecesis Cosentiae, et in oppido Planae ejusdem dioecesis; in provincia Apuliae conventus in oppido Campibassi Boviensis dioecesis; in provincia Barensi in civitate regia Aquavivae, et in oppido Rojae dioecesis Barensis; in provincia Romana conventus Viterbii; in provincia S. Francisci conventus in civitate Interamnae, et conventus S. Antonii Tipherni; in provincia Lombardiae conventus in oppido Saxoli dioecesis Regii Lepidi; in provincia Veneta conventus in oppido Athesis Patavinae dioecesis, et in oppido Conigliani Cenetensis dioecesis; in provincia Brixiensi conventus in oppido Montis Clari ejusdem dioecesis; in provincia Flandro-Belgica conventus in civitate Gandavi; in provincia Tolosana conventus in oppido Vinzae dioecesis Perpinianensis.

Ex catalogo Michaelis a Tugio, et ex Boverio.

LVI. Intrarunt hoc anno monasterium S. Salvatoris Eborae in provincia Lusitaniae Catharina et germana sua Messia de Agujar nobiles et divites virgines, earum expensis instructum, quod tamen incoluerunt ad annum usque MDCII.; nam post hunc annum earumdem opibus alterum aedificatum fuit intra moenia ejusdem civitatis, ad quod se contulerunt. Subest loci ordinario, ac profitentur secundam S. Clarae regulam. Ad illud in regulari vita imbuendum accesserunt ex sacro virginum collegio Ulyssiponen. Margarita de S. Michaele, Maria de Conceptione, et Anna de S. Maria, quae omnes coelestibus donis et virtutibus cumulatae, ibidem obiere cum sanctitatis opinione.

Monast. Eborae. *Monum. prov.*

LVII. Annum aetatis suae LXIII. agebat S. Benedictus de S. Peladelpho laicus franciscanus reformatorum familiae, de mense Februario contracto lethali morbo, Joanni Dominico Rubbiani mercatori valde diviti sibique conjunctissimo, et de ejus valetudine solicito dixit: ex gravi infir-

Ex processu pag. 49. §. 137. in synopsi. Ann. min. ad an. 1578. n. 1. et seq.

mitate se fore sanandum, sed postea brevi moriturum. Praesagium probavit eventus; nam die iv. subsequentis Martii, alio morbo tam graviter est correptus, ut die iv. Aprilis in feria iii. solemnitatis Paschatis coelestia petierit. Integro hujusce mensis decursu unum fuit sancti viri studium, ut daemonis, carnisque colluctationibus resisteret. Hinc in spei firmissimam innixus anchoram, amorisque Dei ardore succensus, gravissimae infirmitatis dolores, molestiasque aequanimiter hilariterque pertulit, quin ullam quaerelam, ullumque fastidii indicium praebuerit, imitari tunc maxime enixus divinum Christi exemplar, cujus acerbissimam passionem jugiter recolebat. Hujus argumentum praeclarum exhibuit, dum percunctanti aegrotorum curatori, an sitiret, et an potum cuperet, sincero animi sensu respondit: *etsi sitiam, cum illius reminiscor, quam Christus Jesus pro nobis in cruce sitim sustinuit, ego etiam illam tolerare possum.* Perfectissimam tamen obedientiam medico et aegrotorum curatori exhibens, nullum ex propinatis remediis, licet eorum inutilitatem superne praenosceret, respuit unquam, nihilque non exhibitum sponte sua postulavit, sed omnimodae voluntati superiorum, aliorumve placitis se praestitit conformatus, profundissimae humilitatis specimina sic exhibens innumera quotidie.

LVIII. Caeterarum interim omnium virtutum actus praeclarissimos elicuit; bis et tertio maximoque spiritus fervore, ea decurrente infirmitate petiit, et suscepit Ecclesiae Sacramenta, et divinissimam praecipue Eucharistiam. Tunc enim lacrymarum imbre perfusus, ignita amoris suspiria, vivae fidei, ardentisque charitatis aspirationes et jaculatorias preces erga tantum mysterium ex cordis intimo eructans, cingulo suo ad collum appenso, a cunctis suis sodalibus veniam praestolatus est; susceptaque inde divina synaxi, in dulcissima amoris deliquia et exstases raptus est, miro interim in facie splendore circumfusus. Ideo toto hoc tempore ab orationis meditationisque jugi exercitio, cui bene valens tantopere fuerat addictus, invictum spiritum numquam relaxavit, dignus propterea, qui divinis SS. Ursulae et sociarum virginum visionibus, et suavissimi odoris effluxu fuerit a Deo ditatus. Inter quae ad integros redditus sensus, manibus supra pectus in crucis formam compositis, oculis in coelum elatis ac defixis, dulcissima Jesu et Mariae nomina ingeminans, illudque Psalmorum: *in manus tuas Domine commendo spiritum meum* pluries repetens, in osculo dilecti sui animam innocentem efflavit. *Ex processu pag. 127. §. 33.*

LIX. Licet ad ejus funus pauci, ut Sanctus praedixerat Ambrosio de Politio sacerdoti suo familiari, populo ad alia distracto, interfuerint, postera tamen die ejus morte vulgata, tanta fuit cujuscumque conditionis et sexus populi frequentia, ut vix illi cohiberi potuerint, certabantque, ut ejus reliquiis potirentur. Nec defuit divinum testimonium, quum plures gratias atque miracula per Sancti intercessionem dispensare, ac patrare dignatus sit eorum favore, qui illius opem sincero corde, ac firma fiducia implorabant, ex quibus factum est, ut fama illa et devotio, quae omnium animis alte jam insederat, dum adhuc viveret, miro prorsus apud cujuscumque conditionis homines augeretur, et longe lateque diffunderetur.

LX. Cum autem Benedictus publico cultu ac veneratione statim post mortem coli coepisset, eaque in dies ob crebra ad ejus tumulum prodigia augeretur, causa fuit, ut, postulantibus civibus Panormitanis, auctoritate *Ibidem pag. 133. §. 14.*

cardinalis Matthaei ordinis patroni, S. Benedicti corpus elevaretur, datis
Ibidem pag. 133. §. 14. sequentibus litteris ad Laurentium Galatini provinciae observantium S. Nicolai, et visitatorem Siciliae provinciae.

Extra — Al M. R. P. Ministro delli Minori Osservanti della provincia di Sicilia.

Intus — » Reverendo Padre »

» Havendo havuto relatione della qualità del corpo del venerando Fr. » Benedetto da San Fradello, che sta sepolto nella nostra Chiesa di S. » Maria di Gesù, mi sono volentieri contentato, che il detto corpo sia » levato dal luogo commune, dove stanno posti gli altri corpi dei frati, » e collocato in qualche luogo particolare, che con questa ve ne dono » piena facoltà; avvertendo però, non venga fatto di maniera, che possa » causare occasione alcuna di adoratione, non essendo egli stato canoni» zato da questa Santa Sede, alla quale spetta lo canonizare; che vi servi » per avviso, e nostro Signore vi contenti. Da Roma ai xxvi. di De» cembre mdxci.

Vostro amorevole il Cardinal Matthei.

LXI. His acceptis litteris, confectoque per publicum tabellionem instrumento, nonis Maii mdxcii. tota illius coenobii familia, populique multitudine spectante, S. Benedicti corpus e communi fratrum sepulchro effossum, incorruptum suavemque manans odorem repertum fuit. Novis inde, adstantibus collacrymantibus, et sacrum corpus pie deosculantibus, indutum vestibus, intra capsam a terra sex vel septem palmis elevatam, in Ecclesiae sacrario reconditum extitit cum sua epigraphe hic vir apud deum vita et nomine fuit benedictus. obiit pridie nonas aprilis clɔ lɔ xlc. Idem
Ibidem pag. 10. Cardinalis anno mdxciv. mandavit, ut per curiam archiepiscopalem Panormitanam judicialis institueretur super ejus virtutibus et miraculis inquisitio, quae quidem peracta fuit, nonaginta septem oculatis testibus auditis.

LXII. Cum autem idem cultus et christifidelium veneratio majora in dies sumeret incrementa, Philippus III. Hispaniarum Rex, Joannettinus Doria archiepiscopus et cardinalis Panormitanus, ac Senatus ejusdem civitatis expostularunt a Paulo V. Summo Pontifice, ut eis venia daretur transferendi in ecclesiam sacrae Benedicti exuviae in sacrario coenobii repositae. Hoc eodem tempore laudatus pientissimus Philippus III. Duci de Escalona pro-regi Siciliae mandavit, ut argenteam arcam pro sacro ejus reponendo corpore regiis expensis solicite conficeret, datis his litteris.

Illustre Duque primo mi Virrey lugar teniente, y capitan general.

Tognoletto p. 202. *Por quanto haviendo entendido por lo que por estado me haveys escrito la devoçio que generalmète se tiene al B. Bendito de S. Fratelo etiope de la orden de la osservançia di S. Francisco, y al concuerso de gente, que de ordinario acude à visitar su cuerpo, por los milagros que N. S. ha obrado por su intercesion, como costan particularmente por el processo dellos, que à qui se ha presentado, por lo qual y hallarse sepultado en la sacristia al convento de S. Maria de Jesus de la misma orden çerca de Palermo, es juesto poner su beato cuerpo en una caxia de plata con la decençia que es razon, y mandarle a la Yglesia, ò algun lugar conveniente donde meyor puedan à todas horas continuar su devoçion. He tenido por bien cõformadome con vuestro pareçer de hazer una*

limosna de mil y quinietos escudos por una vez, para ayuda a lo uno y a lo otro librados en la forma infrascrita por onde os encargo y mando proueays y deis la orden, que de quales quier dineros, que huuiere procedidos ò que procedierè de los espolios y frutos de Yglesias sede vacàtes desse Reyno se acuda cò los dichos mil y quinietos escudos por una vez, para el effecto dicho al presidente Rutillo Xirotta, al mastere raçional Juan Battista de Blasco, al guardian del mismo convento de S. Maria de Jesus y à Juan Domingo Rubbiano, ò aquien su poder huuiere, a los quales nombrareys para ello, ordenandoles tègan cuydado de hazer que se haga luego la dicha caxia como convenga, y vos tened la mano sobre todos para que se asierte, que assi procede de mi voluntad.

Dada en Ventosilla a primiero de Junio de MDCVIII.

Yo el Rey

LXIII. Hinc ex mandato Sanctissimi Sacra Rituum Congregatio, litteris datis ad Cardinalem Dorià archiepiscopum Panormitanum a Dominico Pinelli cardinali, hanc corporis translationem indulsit.

» Illustrissimo e Reverendo Signor mio »

» Essendo stato esposto in questa Sacra Congregazione de' Riti, quanto » V. S. Illustrissima con la sua delli 2 Luglio 1610. scrive circa il modo » di trasferire il corpo di Fr. Benedetto da San Fradello dalla sacristia, » dove al presente si trova, nella chiesa di S. Maria di Giesù, ed il » desiderio grande, che ha tutta la città di Palermo, che si facci detta » traslatione, accompagnata anco dal buon zelo, e pietà della Maestà » Cattolica, che come V. S. Illustrissima scrive, ha ordinato si spendano mille e cinquecento scudi per fare una cassa d'argento, dentro la » quale con decenza et honore sia riposto, è collocato detto corpo, parve » a questi Illustrissimi Signori miei di commettere questa causa all' Il» lustrissimo Cardinal Cappone, acciochè visto e considerato bene quanto » V. S. Illustrissima, e la città di Palermo scrivono, e supplicano circa » questo particolare, con tutte le altre scritture, che dagli agenti le sono » state presentate per questa istessa causa, riferisse in Congregazione quello » che trovava, e si poteva fare in questo negotio, si come nell' ultima » Congregazione, che fu fatta a i 26 di Febraro mese passato con esatta » diligenza fece; onde questi Illustrissimi Signori giudicano, che si potesse » sodisfare al desiderio della città in trasferire detto corpo dalla sacristia » nella Chiesa; ma privatamente, e senza sorte alcuna di processione per » collocarlo o nella cappella, che V. S. Illustrissima scrive, a canto del» l'altar maggiore, overo in altro luogo, dove meglio parerà a V. S. » Illustrissima, et alla sua prudenza, a cui questi Illustrissimi Signori » rimettono questo negotio sicuri, che sortirà conforme al senso di que» sta Sacra Congregatione, secretamente, e senza sorte alcuna di publica » ostentatione, e dimostratione per far questa traslatione, e sodisfare » alla città di Palermo, e popolo, che lo desiderano e lo domandano, » e con questo fine baciando a V. S. Illustrissima le mani, le prego dal » Signore Dio ogni felicità che desidera.

Idem pag. 293.

» Da Roma li XXI. di Marzo MDCXI. »

» Di V. S. Illustrissima et Rever. »

Humilissimo servo
Il Cardinal Pinello.

Res peracta fuit a laudato Panormitano archiepiscopo v. nonas Octobris MDCXI. qui B. corpus ad laevam oratorii S. Mariae Virginis transtulit.

LXIV. Percrebescente cum publica veneratione etiam pio christifidelium *Ex processu pag. 150. §. 21.* voto pro ejus festinanda canonizatione, anno MDCXX. altera in curia Panormitana inquisitio ordinaria super virtutes et Benedicti miracula instituta fuit, sexaginta octo oculatis testibus ad examen adductis. Utraque haec maturo consilio expendens Sacra Rituum Congregatio, die XVIII. Maii anno MDCXXIII. hoc tulit decretum: *sufficienter constare de sanctitate ad effectum de quo agitur*. Inde binae subsequutae sunt, Panormi una, et altera in oppido S. Philadelphi anno MDCXXV. et an. MDCXXVI. apostolicae inquisitiones.

LXV. Verum dum haec agebantur, vulgata fuere Urbani VIII. Pontificia decreta circa servorum Dei cultum. Ut autem Benedicti causa ad ulteriora progrederetur, signanda erat in antecessum *commissio reassumptionis in statu et terminis*, indeque probandum, ipsum Beatum in iis haud esse comprehensum, sed in uno ex casibus versari per laudata decreta exceptis. Utrumque conficere prohibiti aliquantulum fuerunt postulatores ex sinistra interpretatione decreti ejusdem Urbani VIII. Pontificis. Verum de hac re mentem suam aperuit idem Urbanus VIII. dato sequenti breve ad Senatum Panormitanum.

URBANUS PAPA VIII.

Dilectis filiis Senatui Populoque Panormitano salutem et apostolicam benedictionem.

Ibidem p. 388. *Panormitana civitas, quae corpus religiosi viri Benedicti a S. Fradello singularibus pietatis officiis colit, caeteras nationes docere videtur, quae existimari debeant publicae incolumitatis praesidia et monumenta christianae gloriae. Vos quidem et grati, et religiosi animi laudes iis litteris descriptis, quibus ab apostolica auctoritate coelestes honores illi postulatis, a quo coelestia beneficia in urbem vestram assidua conferri profitemini; sed quid in hac deliberatione respondere possumus, declarare possunt ea decreta, quibus nuper interdictum est, ne ejusmodi causae intra decem annorum spatium disserantur. Has autem sanctiones minime in praesentia praefingi debere judicamus; cupimus tamen tam optatum solatium, Deo favente, quamprimum vobis confici posse. Interim Patrem misericordiarum exorare studebimus, ut urbs ista celeberrima sanctos viros tam facile progignat, quam pie veneratur: vobisque apostolicam benedictionem peramanter impartimur.*

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die ultima Julii MDCXXVII. *Pontificatus nostri anno* IV.

Joannes Ciampolus.

LXVI. Sunt epistolae quas damus, tum Senatus, tum Archiepiscopi Panormitani, quibus Summus Pontifex Clemens XI. exoratur, ut Benedicti acta in antecessum absoluta reassumere dignaretur.

BEATISSIME PATER,

In tot tantisque christiani orbis calamitatibus Sanctitas Vestra, rimantibus undequaque in pericula, et fraternas caedes Europae regnis, ubi

primum paternae benignitatis zelo tranquillitatem et concordiam conclamavit, imo et rogavit, desperatam inde per totidem armorum scissuras, a D. O. M. e superis praemonstravit esse sperandam. Piorum preces fidelium Sanctissimo diplomate inflammavit, coelestibus honoribus Sanctorum in ecclesiam numerum auxit, ut quae furiarum pertinacia denegabat in terris, ad aerumnarum extinctionem e coelis rorarent, pluerent auxilia. Id aeque Senatus Panormitani animum in fiduciam impellit ad B. V. pedes obsequentissime accurrendum. Et quoniam prae oculis civitatis nostrae in Siciliae regno primariae, assidua venerabilis servi Dei Fratris Benedicti a S. Fradello ex minoribus reformatis miracula exhibentur, et ad ejus intercessionem Dei clementissima liberalitas gratiis et favoribus circumquaque populum et urbem nostram (in qua corpus conditur et recolitur) in dies protegit et circumdat, a V. S. ardentissime reposcendi, ut Beatorum albo praefatum civitatis patronum de religione, ac mirandis beneficiis adeo benemerentem, adscribere dignaretur. Extant sub examine, et approbatione Sacrae Congregationis acta, et clarissima in vita et post mortem venerandi viri regesta prodigia, et ab usque Urbani VIII. *temporibus evidentissime comprobata, a quibus nec post tot annorum curricula cessavit frequentia, ut morbi, aerumnaeque quotidie relevati civium accursus, vota, et accepta praesidia, ipsi Reges nostri, et ipsi Senatus, qui nunc eo magis plena voce, et fide testantur. Hic ea circo ad B. V. solium provolutus, humillime, et ex corde flagitat, ut per pontificiam sanctionem publicis Ecclesiae honoribus inter dignae venerationis beatos cumuletur, ex quo non infirma spes assurget, quod optatus christiano mundo sanguinis, et lacrymarum terminus imponatur. Faxit Deus clementissimus, et pontificia vestra dignitas hoc meritum obtineat, dum nos, et ad ea deprecantes, et ex opera mirandi, ac venerabilis viri pleniorem cultum exposcentes, gratitudini erga illius gratias, universali auxiliorum necessitati, Vestraeque in Sanctos auxiliares obsequio respondemus. Servet interim Deus incolumem S. V. quam fidelium incolumitati statutam in summo Ecclesiae cacumine noscimus, et observantissime veneramur.*

Panormo pridie calendas Aprilis MDCCXIII.

Ad Sanctitatis Vestrae Pedes
Senatus Panormitanus.

BEATISSIME PATER

LXVII. *Meo fungi munere non plene censerem, si ad celsitudinis Vestrae beatissimae pedes provolutus in genua, preces tam meas, quam gregis mihi a Domino commissi, populi scilicet Panormitani non ferrem. Laetamur quotidie benedictionibus coeli desuper, quibus omnipotens nos cumulat, intercessione ven. Servi sui fratris Benedicti a S. Fradello ordinis minorum reformatorum Sancti Francisci. Hic enim famulus Dei si in vita fecit monstra, post mortem mirabilia numquam desiit operari. Quamobrem crebra recipientes beneficia, ejus honorem et gloriam in Ecclesia militante, sicut in triumphante credimus accepisse, vehementer optare, et a te Beatissime Pater enixe efflagitare, ut ipsum Beatorum fastis adscribas, nostri muneris esse censemus. Ejus virtutes, quibus supremum perfectionis fastigium praeventus benedictionibus dulcedinis, prae-*

fatus Dei famulus Benedictus attigisse videtur: ejusque miracula, quibus mirabilis Deus in suis servis agnoscitur, jam a Sac. Cong. diligentissimo examine approbata, plenaque comprobata fuisse perspicuum est, et hoc a tempore, quo fel. rec. Urbanus Papa VIII. *apostolicam tenuit cathedram. Pateant igitur aures celsitudinis Vestrae Beatissimae meis supplicationibus, totiusque hujus urbis Panormi humillimis precibus, et Servum Dei semper novis continuisque coruscantem signis, consecutum fuisse partem sortis Sanctorum in lumine coelestis Hierusalem declaret, ut possint tam eximium benefactorem pia fidelium obsequia publico cultu, debitaque prosequi veneratione, et ipsius orationibus ad eum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum feliciter pervenire. A Sanctae Apostolicae Sedis culmine paternos, quaeso, obtutus inclina, et non tam mea, sed omnium populorum aspiciens vota, clementissime ne despicias: laetabitur enim catholicus orbis, qui exultare solet exaltatione Sanctorum; gaudebunt justi, qui ejus exemplo invitantur ad palmam; evigilabunt peccatores, qui ipsius intercessione veniam sperantes, mundi illecebras servi Dei perspecta vitae austeritate contemnent. Tota denique christiana respublica tot pressa cladibus, ejus meritis et precibus, ut spero, non exiguum experietur levamen, Beatitudinis Vestrae quoque prosperitati prospiciet non dubito, sicut ardenti studio concupisco Ven. Dei Servus, et ipsius intercessione D. O. M. sospitem, diuque incolumem servabit celsitudinem vestram Beatissimam in totius orbis bonum, in fidei augmentum, et sanctae ecclesiae evidentissimum beneficium.*

Panormi pridie calendas Aprilis MDCCXIII.

Ad Sanctitatis Vestrae Pedes *Humillimus Servus*

Fr. Joseph Archiepiscopus.

Hinc die XXVI. Augusti et laudatae reassumptionis commissio a S. R. C. signata, ac ejusdem Congregationis decretum die VI. Septembris ab ipso Pontifice fuit adprobatum.

LXVIII. Subsequentibus temporibus edita fuerunt et alia decreta. Anno enim MDCCXLIII. Benedicto XIV. Pontifice, die XV. Maii probatus fuit cultus publicus ei exhibitus in vim apostolicorum indultorum; die XXXI. Julii ejusdem anni concessum fuit Officium et Missa in ejus honorem universo minorum ordini, civitati Panormitanae, et oppido S. Philadelphi; die XIX. Februarii an. MDCCLXIII. a Clemente XIII. adprobatae fuerunt lectiones propriae secundi nocturni; ac tandem anno MDCCLXVIII. die XVI. Martii latum fuit decretum adprobationis validitatis cunctorum actuum tum apostolica, tum ordinaria auctoritate super ejus virtutibus constructorum; quod quidem successivis temporibus rite perpensum, alterum et prodiit, Benedictum nostrum iis in gradu heroico jugiter et constanter ad obitum usque fuisse exornatum, et inter beatos cooptandum.

Benedicti fides. LXIX. De singulis Benedicti virtutibus hic in specie per summa capita ex processibus excerptis agemus. Ac in primis SS. Fidei mysteriis promptum semper praebuit intellectus assensum, et pronae voluntatis actus elicuit ingeminavitque, quoties ei sibi obtulerat occasio, aliisque prae viribus qui de aliquo circa fidem dubio consultabant, maximo fervore idipsum insinuare unquam omittebat, iisque remedia praebens, quibus tentationes depellerent; magis autem eis commendabat, ut in similibus mentem ad Deum elevarent, signo Crucis se munirent, et Apostolorum symbolum

devote recitarent. Hinc Benedicti adhortatione vix signo crucis se signavit et symbolum apostolicum recitavit quidam sacrae theologiae magister a valida daemonis tentatione contra fidem exagitatus, liber omnino evasit.

LXX. Diu noctuque sacratissimam Christi Domini passionem meditabatur; quinimo eidem mente adeo assueverat, ut dum suis manibus operabatur, spiritu et corde in illam defixus persisteret ita, ut saepe saepius a sensibus alienus videretur; quam quidem sterilem tantum fore non est passus, sed eam in praxim flagellis, jejuniis, ciliciis non semel deducere et quoad sibi licuit, imitari sategit. Cum quadam die in publica supplicatione crucem erectam bajularet, continuo oculis ad illam elatis exstaticus incessit, e facie interim ob internum animi fervorem, maximum vividumque emittens splendorem.

LXXI. Ardentiori spiritus charitate prosequutus est semper SS. Eucharistiae sacramentum. Coram ipso siquidem die noctuque ad plures horas de genu fervide orare consuevit, saepe in lacrymas effusus, semperque fere a sensibus abstractus, miroque lumine circumfusus. Illo coelesti pane frequenter, et aliquando etiam quotidie pastus est, at tanto humilitatis spiritu, ut velut contremiscens ad sacram mensam procederet.

LXXII. Tenerrima ab infantia usque ad obitum fuit ejus devotio in beatissimam Christi Matrem. Hanc enim specialem patronam, et apud Deum advocatam sibi eligens, certas ac quotidianas preces exhibere, et ad eam in suis necessitatibus recursum habere coepit. Ante illius altare sacrasque imagines orans, saepe prae fervore a sensibus abstractus rapiebatur. Hanc ad alios semper propagare curavit, omnibus interea suadens, ut ad ipsius patrocinium filiali fiducia confugerent. In ea adeo fervens erat, ut prodigiis etiam non semel confirmata fuerit; nam oleo ejus lampadis inungens aegrotos, a gravissimis morbis instanter eripiebat.

LXXIII. Summam semper habuit in Deum, divinamque providentiam firmissimam securitatem, eamque in aliorum animum inducere curavit, futurum certissime promittens, ut petitionum suarum felicem consequerentur effectum. Quae cum Deo grata esset, non semel coelestibus beneficiis confirmata extitit. Ut caetera praeteream, dum iter ageret cum socio, nec cibum haberet, dixit ei, ut divinae providentiae fideret; et illico Angelorum ministerio cibaria illata fuere. *Ejus fiducia.*

LXXIV. A teneris annis ac in toto vitae suae curriculo aluit illam spem, cujus principale objectum est aeterna coelestis beatitudo. Ad quam assequendam, primario sibi a Deo dandam expectavit per Jesu Christi passionis merita, ex intercessione B. Mariae Virginis, ac Sanctorum, quibus propterea fervidam intimamque professus est devotionem plurimorum obsequii sinceraeque venerationis actuum. De hac boni coelestis fruitione maxima cum spiritus dulcedine ac gaudio eloquebatur, nec coram se de temporalibus aut etiam indifferentibus sermocinari patiebatur, sed data occasione, aut illos obrumpebat, aut fastidire aperte significabat; dejecta in proximum erigere, vel erecta augere prae viribus etiam studuit. Ex hoc provenit et perfecta sui abnegatio, et temporalium rerum omnium contemptus, ut aeternam Dei gloriam consequeretur. *Ejus spes.*

LXXV. Perfectam de coelestibus ipsius spem designat constantia, hilaritas, et gaudium, quo adversa quaeque incommodaque semper tulit et superavit. Dum enim adhuc agricolam ageret, consociorum patere coepit di-

cteriis et injuriis, ex quarum eximia tolerantia argumentum desumpsit fr. Hieronymus Lanza moderator suus, futuram vaticinandi sanctitatem Benedicti; procedente vero tempore in hac virtute adeo profecit, ut ex qualibet adversitate a consueta animi tranquillitate ac mentis stabilitate, ne quidquam commoveretur. Quoniam vero oratio est quaedam scala, qua ad Deum scendimus, ideo orationi ac meditationi pronum adeo animum habebat, ut eidem integras fere noctes sacraret, corporis necessariae quieti subtractas.

Ejus charitas erga Deum.

LXXVI. Ardentissimus Benedicti amor erga Deum sese maxime prodibat, cum data occasione de praestantia dilectionis Dei loqueretur. In hisce vero spiritualibus alloquutionibus ita animo et spiritu accensus adparebat, ut internus ardor in externum se proderet, et vultu ardere videretur, et saepe a sensibus alienus abiret, unde auditores ad amandum Deum incitarentur, et cordis compunctione, et spiritus dulcedine perculsi, in lacrymas dissolverentur. Fervida ejus charitas emicuit summopere erga SS. Eucharistiae Sacramentum. Usus est enim longam praemittere sanctissimae communioni praeparationem, longioremque impendere gratiarum actionem, tantaque charitate accedere, quod intuentes in admirationem raperet, et non semel, imo frequenter superno lumine circumfusus, ut ecclesiam illustraret, atque in dulcissima tanti mysterii contemplatione immotus consisteret.

Ejus charitas erga proximum.

LXXVII. Benedicti erga proximum charitas in eo primarie versabatur, ut cuncti nanciscerentur sempiternam beatitatem. Ideo peccatorum conversionem enixe peroptabat, pro iis fervidas Deo obsecrationes ac poenitentias in puritate cordis, et fervore spiritus exhibebat; si qui ad eum accedebant, comitate summa hortabatur ad sinceram resipiscentiam, animum adjiciens, et in spem erigens. Ideo tentatos mire adjuvabat, et optima praebebat remedia ad eas depellendas; tepidos vero in Dei amorem, et perfectionis desiderium saluberrimis sermonibus inflammare satagebat, suadebatque, ut Dei, B. Virginis, Sanctorumque validum patrocinium ad omnia virtutis opera interponerent. Omnes autem sive nobiles, sive plebejos, sive divites, sive pauperes mira aequanimitate audiebat, ac de eorum angustiis intimam sui compassionem ostendebat. Quare factum est, ut cuncti recederent consolati.

LXXVIII. Eamdem extendit charitatem suam erga corporis infirmitatibus laborantes carceribusque detentos. Ad hos siquidem sive intra, sive extra claustra, et in publicis nosocomiis, quae frequenter circuibat, commorantes festinabat, ipsisque solatio erat, ac veluti et ipse infirmatus, iis ancillabatur in omnibus, subsidia etiam temporalia deferens. Si qui autem peregrini et advenae, et eorum sodales ad conventum remearent, omnium primus aderat Benedictus, iisque perhumane exceptis, pedes abluere de genu, deosculari, soleas, vestesque a sordibus repurgare, cibum, ignem, aliaque ad eorum refectionem parare, iisque in cunctis inservire gestiebat.

Ejus prudentia.

LXXIX. Prudentiam, quae caeterarum virtutum moderatrix et mater est, supra communem aliorum proborum hominum praebuit singularem, sive in seligendis mediis, iisque exequendis ad ultimum aeternae vitae finem consequendum, sive in dirigenda familia, sibi etsi laico, a Majoribus commissa Panormitani coenobii, eoque praecipue tempore, quo in

primordiis erat strictior observantia. Illam in primis in timore Domini, perfectissimaque regulari reformata disciplina instituere adorsus, proprium semper sanctissimum exhibuit exemplum. In singulis noctibus ad matutinas preces omnium primus semper adfuit, sive in choro, sive in ecclesia orans deprehensus est semper, dum sacrista illuc accederet, caeteros fratres campanae signo convocaturus. Correctiones et poenas tanto misericordiae et lenitatis sale condiebat, ut ipsis correptis gratae forent, optimumque desideratum sortirentur effectum. Viliora coenobii officia hilariter explebat, praestoque erat culinae, horto, vestibus abluendis, cubiculis, et ecclesiae verrendae, in omnibus seipsum praebens exemplum bonorum operum in gravitate, in integritate, in verbo sano, ac irreprachensibili adeo, ut eo duce ac magistro, purior enascens in eodem coenobio reformatio, perfecte adoleverit firmiterque fuerit communita.

LXXX. Cum autem justitia versetur circa justum et rectum, Benedictus ideo ejusdem virtutis summum gradum tenuit ad mortem usque, sive sermo habeatur de cultu et veneratione Deo praestita, sive de mandatorum Dei et ecclesiae observantia, sive de solemnibus Deo nuncupatis votis paupertatis, castitatis, et obedientiae. Ipsam virtutem etiam judicibus, et pro-regibus perpetuo commendatam voluit, docens in ea administranda nihil gratiae, nihil intercessorum auctoritati, aut amicitiae deferendum. Id vero quod verbo docuit, facto suo comprobavit. Quamvis enim Benedictus pro sua virtute intima frueretur necessitudine Marci Antonii Columnae tunc Siciliae pro-Regis, attamen nullo modo potuit adduci, ut apud ipsum pro germano fratre suo ob homicidium in carceribus detento intercederet, et a vinculis illum eximeret. Quum vero hoc munus assumere compulsus fuisset obedientia sui superioris, sic pro-Regem allocutus est: *Domine licet Marcus sit frater meus, exoro tamen te, ut justiam exequaris.* *Ejus justitia.*

LXXXI. Heroica animi fortitudo mirabiliter in S. Benedicto emicuit in ardua et difficilia aggrediendo, eaque strenue sustinendo. Omnibus enim temporalibus bonis abdicatis, asperrimos incoluit eremos ad annos viginti duos in perfecta paupertate, inter aeris inclementiam, ferarumque pericula, inter crebram corporis macerationem, per asperrimum praecipue cilicium ad nudam carnem ex palmarum foliis intextum. Franciscalium inde reformatorum institutum amplexus, pro lege habuit, ut percurreret viam evangelicae perfectionis in acerrima sui corporis castigatione, et in privatione etiam earum, quae ad vitam sustentandam a regula arctissima sunt permissa. Perpetuum ferme ipsi jejunium fuit, addita praeterea a vini potu perpetua abstinentia tum in eremo, tum in instituto reformatorum. In iis autem omnibus, aliisque asperia verbis, irrisionibus, contumeliis, molestiis, et injuriis superiorum aut aliorum de sua virtute periculum facere volentium, semper se gessit invicta constantia et hilari vultu. *Ejus fortitudo.*

LXXXII. Temperantia item ejus eximia fuit. Paupertatis votum rigide ita custodivit, ut unica, eaque rudiori, et lacera veste uteretur. Sandaliis perpetuo caruit; ejus cellulae supellex erat palearum sacculus, crux in pariete carbone delineata, unaque aut altera B. Virginis et Sanctorum imago papyracea, et precaria lignea corona; parva munuscula nec postulavit, ab aliis autem oblata constanter recusavit; agens itinera, neque peram aut viaticum secum deferebat, uni confisus providentiae divinae; lucernam noctu numquam accendere consuevit. Cibo et potu ita erat temperans, ut *Ejus temperantia.*

vix ad vitam sustentandam foret satis. Licet autem ad singularitatem devitandam nullum rejiceret cibum, quem religiosa familia admittebat, attamen nullum ferme attingebat, sed panperibus reservabat.

LXXXIII. Angelica prorsus castitate enituit totius vitae suae tempore. Assiduum orationis et asperae macerationis sui corporis studium, quod in subsidium castitatis servandae advocavit, tamquam media efficacissima tamdiu protraxit, quamdiu vixit. A mulierum praesentia et familiaritate ita semper fuit alienus, ut nonnisi ex charitate aut superiorum nutu compulsus, et praesentibus arbitris eas adloqui sit passus, et semper gravi sermone, oculis in terra defixis, totiusque corporis tanta ad modestiam compositione, ut praesentibus piam aedificationem, et cordis compunctionem ingereret. Nulli unquam osculari manus concessit, nec eas denudatas videri est passus; sed semper tunica contectas servabat. Cum per civitatem urgenti de causa incederet, nec caput in unam et alteram partem flectere, nec illud, aut oculos extollere, multoque minus feminas conspicere unquam consuevit. Ea tamen humilitate exornabatur, ut vile de se sentiret, maximumque peccatorem, cunctisque nequiorem, elatum, et superbum sese reputaret.

Ejus supernaturalia dona.

LXXXIV. His aliisque virtutum meritis excultus Benedictus, meruit a Deo supernaturalibus suis donis cumulari. Et primo quidem illi Deus largitus est dona scientiae et intellectus. Compertum aliquando est, licet in litteris et liberalibus artibus rudem, de fidei nostrae mysteriis apte disserere, difficiliora Sacrae Scripturae loca, abstrusasque theologicas quaestiones doctrinae profunditate interpretrari, explanare, dissolvere, aliisque et ejusdem S. Scripturae, et SS. Patrum sententiis confirmare.

LXXXV. Spiritu prophetico et inclaruit. Beatrici viduae quondam Petri Baressi baronis terrae Petri praedixit, mox contra sui voluntatem a filio suo matrimonium contrahendum, brevi tamen fore mutandum ob gravem morbum. Factum probavit eventus; nam Romae correptus morbo, coactus est Panormum remeare, indeque convalescens, suum consilium mutavit; Dominicae La Fiamma obitum, et subsequens sui filii Jacobi juvenis perditi moris homicidium enuntiat; Petrae Alesi nequissimi Caesaris Russi viri sui instantaneam conversionem, mutuamque maritalem concordiam firmam ac stabilem; alteri tandem ingentis pecuniae furtum, et eam integram brevi recuperaturum.

LXXXVI. Familiare etiam ei fuit cordium secreta penetrare. Dum in eremo versabatur, occultum uvae furtum agnovit, ejusque racemos sibi in eleemosynam oblatos recusavit, iis prius ab aliis furto non subjectis, divisis; novitiis secretas regulae transgressiones, aliis tentationes quibus excruciabantur, saepe manifestavit. Agatha Lo Bianco annorum xx. matrimonio jam copulata, dum gravissima urgeretur tentatione nulli patefacta, S. Benedictum adire cum ejus matre aliis de rebus statuit. Vix ad conventum pervenit, illam ipse de occulta tentatione redarguit, et statim experta est se tranquillitate donari. Guilielmus de Platia novitius semel de dimittendo religioso habitu tentatus, indeque graviter perturbatus, clauso suae cellulae ostio, rem secum expendebat. Repente superveniens Sanctus, eidem occultam pandit tentationem, cunctasque cogitationes, et conflictus; quare charitate summa eum corripuit, ac documenta prae-

buit salutaria, futurum spondens illam non amplius reversuram, prout accidisse novitius narravit.

LXXXVII. Lato igitur mandato circa B. Benedicti sanctissima gesta, confirmato XVII. calendas Aprilis anno MDCCLXXVII. a Pio VI. Pontifice, ut in Sanctorum album adscriberetur, quaestio de miraculis unice supererat a Benedicto editis, post cultum publicum ipsi ab Apostolica Sede concessum. Licet duo miracula, unanimi S. R. E. Cardinalium suffragio, accedente etiam laudati Pontificis oraculo, accurate perpensa fuerint et probata de quibus in bulla canonizationis, praestat tamen et alia selectiora proferre, ut omnibus innotescat, quantum valeat deprecatio S. Benedicti apud Deum optimum maximum.

LXXXVIII. Franciscus Musanti gravi hydrope per sex menses affectus, » quum post expertam medicaminum omnium inefficaciam, a professo- » ribus unanimi voto incurabile pronunciaretur, recursum habuit ad » Beati patrocinium. Ad ejus sepulchrum ideo delatus, statim ac ad illud » pervenit, ac partem affectam lapidi sepulchrali admovit, protinus venter » detumuit, et perfecte sanus domum repetiit. *Ex processu pag. 136. §. 1. et seq.*

LXXXIX. » Octavius Gemma annorum sex adeo a nativitate membris » captus erat, ut neque ambulare, neque pedibus suis stare posset; ab » ejus parente Neapoli Panormum ducitur, invisendi causa S. Benedicti » exuvias; ejusque auxilium implorans, statim puer sepulchri gradus con- » scendit, deambulavit, et perfecte sanus remansit ».

XC. » Natus puer ex Susanna Catalano absque vitae signis, in hoc » statu tribus horis perseveravit, etsi permultae adhibitae fuerint medelae; » lucem tandem aspexit, statimac mater pueri Sancti patrocinio se com- » mendavit, votumque emisit eum habitu S. Francisci induendi, si » viveret ».

XCI. » Birgitta Scuderi triennis a nativitate membris capta, cui nihil » profuerunt adhibita artis remedia, potentiam ambulandi, tactu reli- » quiae S. Benedicti, post aliquot dies recuperavit, ad cujus patrocinium » infirmae parentes confugerant ».

XCII. » Simonella Luminario maligna febri ac pleuritide laborans, » implorata ejusdem Sancti ope, et frustulo ejus babitus in aqua ebibito, » statim sanatur. Iisdem morbis affecta Eleonora Mattiolo a medicis con- » clamata, postremum expectabat diem: sed habito ad Sanctum recursu, » et aqua item cum frustulo ejusdem habitus ebibita, perfectae sanitati » restituitur »

XCIII. » Inveteratam herniam ac dolorem umbelicalem cum diu passa » fuisset soror Benedicta Carella ordinis S. Francisci tertiaria, in irritum » cessis adhibitis curis, tactu reliquiae Beati illico convalescit ».

XCIV. « Melchior Blundus maligna febri correptus, phrenesi accedente, » prostratione virium, crurumque inflatione per quatuor menses, cum ar- » tis praesidiis, naturaeque vi sanari non posse agnosceret, in eo statu S. » Benedicti intercessione se commendavit, qui ei per visum apparuit, ac » benedixit, et illico e lecto prosiliit, bene valuit, perfectamque sanita- » tem est assequutus ».

XCV. « Antonino Lo Forte frigido apostemate dextera in coxendice intus » eradicato affecto, quum inutilia medicamenta adhibita experti fuerint

» curae professores, ferro, igneque apostema aperire statuerunt die sequenti, » qua adveniente, sanum inculumemque ad pristinos labores exercentem re» perierunt aegrotum, quin ullum morbi vestigium remaneret, ob ad» motum frustuli habitus S. Benedicti, ejusque imploratum auxilium ».

XCVI. » Matthaeus Tindaro contracti brachii cum carnis exsiccatione, » tactu ejus reliquiae in instanti usum perfecte recuperat ».

XCVII. » Augustinus Foresta, qui nec pedibus suis stare, nec am» bulare proterat absque fulcrorum auxilio ex passa fractura in cruris » osse, S. Benedicti ope ad ejus sepulchrum implorata, liberam ambu» laudi potestatem statim acquirit, projectisque fulcris, sanus domi se » recepit ».

XCVIII. » Joseph Milici biennis puer hydrope, spasmodico dolore, » aliisque infirmitatibus laborans, a medicis derelictus, tactu Sancti re» liquiae, ac ejusdem auxilio a parentibus implorato, perfectam sanitatem » extemplo est consequutus ».

XCIX. » Vincentia Barrutina frigidis pustulis tabem manantibus prope » guttur huc illuc vagantibus annis quinque affecta, invocato S. Benedi» cti patrocinio, in instanti sanatur, quin ullum, vel minimum earum » vestigium in parte affecta remaneret ».

C. » Vincentius de Taranto quinquennis puer, jamjam moriturus ut » medici putarunt, tactu ejus reliquiae ab apostemate in gutture, et ma» ligna febri pravis stipata symptomatibus, quibus dire vexabatur, illico » sanatur ».

CI. » Alter quinquennis puer nomine Joseph Valesi, ex delapsu a curru » dextera coxendice perfractus est; interim ad ecclesiam S. Mariae de Jesu, » in qua Sancti corpus requiescit, delatus, ejusque ope a parentibus im» plorata, qui statimac puerum sepulchro admovent, illico cum admi» ratione adstantium, pedibus suis stetit, deambulavit, sanatusque est, » quin ullum penitus superfuerit fracturae vestigium ».

CII. » Dominicus Grimaldi S. Benedicti nepos, gravi cephalalgia, fe» bri cum vomitu, et tumore in coxendice affectus, diris vexabatur do» loribus; in hoc deplorabili statu posthabitis humanis remediis, opem » a Sancto imploravit, ejusque imaginem sibi admovit, et mane inse» quenti e lecto perfecte sanus prosilivit ».

CIII. » E vivis ereptus puer octodecim mensium, ad S. Benedicti se» pulchrum delatus, ejusque reliquia signatus, reviviscit ».

CIV. Cum autem Pius VI. Pontifex Maximus anno MDCCXC. die VI. Aprilis, in quo ad astra migravit S. Benedictus, rata habuisset duo quo desiderabantur, ad ejus invocationem patrata eximia prodigia, suo etiam oraculo in mense Augusto cavit, ut tuto procedi posset ad solemnem S. Benedicti canonizationem. Verum ingruentibus per totam Italiam, grassantibusque gravissimis calamitatibus, res dilata fuit ad annum usque MDCCCVII. sedente in cathedra S. Petri Pio VII. Pontifice invictissimo, qui die XXIV. Maii ejusdem anni sacro SS. Trinitatis mysterio, plaudentibus christifidelibus, S. Benedicti a S. Philadelpho nomen inter sanctorum coelituum album adnumeravit, hac vulgata constitutione.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Civitatem sanctam novam Jerusalem Joannes Apostolus et Evangelista in Apocalypsi contemplatus, vidit in ea turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus, et populis, et linguis stantes ante thronum, et in conspectu Agni. Ex quo sane admirabilis Dei et Salvatoris nostri benignitas apparet maxime, qui, cum velit omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, ad fidem omnes vocat, neminem respuit, et cum personarum acceptor non sit, ex quavis gente ad se venientes excipit, dives in omnes, qui invocant illum. Propterea cum natus esset infans in Bethlehem, gentibus revelari, ab eisque adorari voluit: deinde cum aeterni Patris promissione gentes in haereditatem ex terminis terrae in professionem suam esset habiturus, misit Apostolos ad praedicandum Evangelium omni creaturae, et Paulum singulari vocatione Apostolum, Doctoremque gentium constituit, ut fieret oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto. Ex innumerabili vero illa justificatarum gentium plenitudine quosdam Deus elegit, et peculiari quodam sanctitatis fulgore illustres reddidit, quos cum principibus populi sui sedere fecit in coelis, et tamquam super candelabrum collocat, ut luceant omnibus, qui in mundo sunt, et qui in terrestri Jerusalem adhuc militant, eos exemplo suo ad arduum virtutis iter capessendum inflamment, adjuventque patrocinio. Ex eodem igitur Aethiopum genere, quo natus erat potens ille Eunuchus Candacis Reginae Aethiopum, quem insigni prodigio a Philippo Apostolo aquis ablutum baptismatis acta perhibent Apostolorum, originem traxit Beatus Benedictus a S. Philadelpho, in quem divitias bonitatis suae tam copiose Dominus effudit, ut sublimibus virtutibus, coelestibusque charismatibus cumulatus, in diebus sanctae conversationis suae admirationi omnibus fuerit et exemplo. Perspectum et in illo fuit mirum in modum, Deum superbis resistere, dare autem humilibus gratiam, infirmaque mundi eligere, ut confundat fortia. Benedictum siquidem humili, abjectoque natum loco, ad sublimissimum perfectionis et sanctitatis fastigium erexit: rudi atque illitterato scientiam dedit, quique aspectum, laudesque hominum diligentissime refugiebat, eum donis coelestibus sic decoravit, ut sanctitatis ejus fama in populos, et nationes manarit. Ut vero ejus vita eximiis virtutibus, meritisque praecelluit, ita obitus multis prodigiis, atque omnibus illis indiciis effulsit, quae cum Sanctis Domini in coelis cooptatum, et aeternam mercedem recepisse liquido demonstraret. Factum inde est, ut cujus sanctitatem et gloriam miraculis, eo intercedente patratis, demonstrare omnibus dignatus erat Deus, ei cultus publicus brevi fuerit pluribus in locis delatus. Ut igitur benignus et misericors Deus qui facit mirabilia magna solus, magis in Sanctis suis glorificetur, absoluto jam pridem examine de cultu publico ei praestito, de virtutum ejus splendore, deque miraculorum veritate, cum omnia ad constitutionum apostolicarum praescriptum de more processerint, Nos catholicae Ecclesiae regimini licet immeriti, miseratione ta-

men divina praepositi, in id potissimum studia, curasque omnes nostras conferentes, ut cultus divinus promoveatur, et pietas fidelium accrescat, de plenitudine apostolicae auctoritatis nostrae B. Benedictum condignis venerationis honoribus decorare decrevimus, firma in Deum spe confisi, ut qui jam de sua est securus, de nostra sit salute solicitus, divinam clementiam exorans, ut conveniant populi in unum, et cognoscant gentes, quia non est alius Deus praeter Deum nostrum. In oppido Sancti Philadelphii Messanensis dioecesis in Sicilia anno Domini circiter MDXXIV *natus est Benedictus, ob genus ejus nigrumque colorem Maurus vulgo appellatus. Parentes siquidem habuit origine Aethiopes, et divitis cujusdam servos, catholicos tamen, et singulari pietate spectabiles. Promiserat herus, se primam eorum prolem libertate donaturum. Quare cum Benedictus primogenitus ex iis natus sit, fuit ille quidem liber ab ortu: sancteque insuper educatus, atque ingenua indole praeditus, vix puerulus satis ostendit, qui quantusque futurus esset in tempore. A puerorum ludis abhorrens, id unum animo contendebat, ut pietatem coleret, Deiparae praesertim Virginis cultui impense addictus. Ut vero per aetatem licuit, coelesti convivio saepe recreari, simul corpus jejuniis, ciliciis, flagellis affligtare coepit. Vigesimo circiter aetatis anno durius vitae genus amplexus est, atque in solitudinem divino instinctu vocatus a Hieronymo Lanza viro nobili, et pio, qui S. Francisci institutis jam devinctus, facultate ab Apostolica Sede obtenta, cum aliis ejusdem propositi sociis, quartum perpetui quadragesimalis cibi, et trium in hebdomada feriarum esurialium, vitaeque solitariae votum susceperat, eumdem, venditis boum jugis, unde sibi victum parabat, pretioque in egenos collato, confestim sequutus est. In eremum Sanctae Dominicae agri Coroneae, quae a S. Philadelphii oppido quatuor aut quinque millia passuum distabat, directus sub disciplina ejusdem fr. Hieronymi, tirocinio exacto, solemnia vota ex facultate apostolica nuncupavit. In eo vitae statu virtutes omnes eousque colere curavit, ut iis brevi cumulate instructus, ac caeteros omnes ejusdem disciplinae alumnos superasse visus sit. Quotidiana jejunia servabat, eaque adeo rigide, ut a vino semper abstinens, tantum panis, atque herbarum semel in die comederet, quae sustentare utique vitam, famem tamen depellere numquam posset. Corporis macerationes cruentis flagellationibus, asperrimisque ciliciis adjunxit incredibiles: somnum brevem humi cubitans capiebat: divinarum rerum meditationi sic deditus erat, ut dies noctesque pene totas orando traduceret. Horum eremitarum virtus cum paulatim innotescere coepisset, ac Benedicti imprimis, cujus sanctitatem Deus ipse pluribus prodigiis manifestabat, ex eremo in eremum una simul saepius commigrarunt, ut hominum frequentiam, congressusque defugerent, et modo Mancusae in cryptis asperrimis, modo in altissimo horridoque S. Peregrini monte prope Panormum, modo aliis remotis in locis agresta tuguriola extruxerunt. Ubique opinio virtutis, qua Benedictus eminebat, augebatur, neque solum apud exteros, sed apud suos etiam, qui vix defuncto fr. Hieronymo Lanza, eum prae caeteris dignum judicarunt, quem in demortui praesidis locum sufficerent. Post viginti duos annos, ex quo Benedictus eremo se addixerat, in eoque perfectissimum vitae genus ducere instituerat, fel. rec. Pius IV. praedecessor noster edixit, ut pii illi viri, relicta solitudine, et quarto quadragesimalis cibi, et trium in heb-*

domada jejuniorum voto soluti, quamlibet ex approbatis sacris familiis amplecterentur. Omnes extemplo paruerunt: et Benedictus quidem sacro capucinorum ordini dare nomen cogitabat; sed cum in templo cathedrali Panormi Deum oraret, ut quid sibi agendum esset ostenderet, ter coelesti lumine fuit dignatus, quo ad sacram minorum S. Francisci familiam se vocari plane intellexit. Igitur in coenobio Panormitano S. Mariae Jesu ejus ordinis inter laicos, admissus, nec ita multo post in coenobium S. Annae Julianae ex obedientia profectus, tres ibi annos permansit, et absconditam solitariamque vitam duxit, quae a pristina vitae ratione parum dissentiebat. Panormum revocatus, ibidem reliquum omne vitae tempus exegit. Etsi autem Benedictus regulare institutum immutasset, et ex eremo in frequentem Urbem venisset, sui tamen semper similis vitae institutum quod ab initio susceperat, ad obitum usque servavit. Cibus scilicet perpetuo quadragesimalis, parcissimus et ex vilioribus, persaepe simplex panis. Hispidum, quod semel induerat, cilicium nunquam detractum: perexigua corporis quies, et plerumque humi: multus et operosus labor: rudis ac trita tunica: corpus flagris, iisque saepe cruentis afflictum, aliaeque voluntariae carnis macerationes. Orationis, meditationisque perpetuam studium minime intermissum, etiamsi operibus vacaret, vel iter conficeret. Antiquae solitudinis studio captus, dominicaeque passionis commentationi potissimum addictus; quantum in se erat, convictum hominum refugiebat: sermo illi rarus, ac tantum de coelestibus rebus, de quibus eo charitatis ardore disserebat, ut in miros mentis excessus quandoque raperetur. Severus puritatis custos, toto corporis habitu in modestiam composito, nulli manus osculandas tradebat, imo etiam semper tunica contectas habebat, ne denudatae conspicerentur. Ita virginale pudicitiae florem ad extremum usque servavit, ut unoque ore Angelus in carne appellabatur. Paupertatem evangelicam summopere coluit, ad eamque socios vehementer adhortabatur. Palearum sacculus, crux in pariete carbone delineata, una aut altera Mariae Virginis, et Sanctorum chartacea imago, haec tota cellae suppellex. Peram, aut viaticum, dum iter ageret, nunquam deferebat: munuscula sponte oblata constantissime recusabat. Adeo vero se totum praesidum suorum voluntati subjecerat, nihil ut unquam sponte sua, omnia autem ad eorum arbitrium, nutumque ageret, idque prompte, et alacriter. Ex obedientia ad plures cujusvis conditionis homines audiendos, qui eum frequenter affari cupiebant, illico, precatione vel quovis alio opere intermisso, advolabat. In extremo morbo, medicamina quae nihil omnino profutura coelitus cognoverat, libenter adhibuit, prout medici vel praesidis voluntas ferebat. Mansuetus praeterea, docilis, patiens, in omnique genere aequabilis, nunquam infirma valetudine, caeterisque adversis, nunquam diaboli tentationibus quas patiebatur, nunquam conviciis hominum quibus impetebatur, perturbari potuit; siquidem ad omnes vitae eventus sic erat animo comparatus, ut unum respiceret Deum, in eoque spem omnem suam collocaret. Caeterarum omnium virtutum praestantissima, charitas in Deum in Benedicto effulsit maxime, qui nihil nisi coelestia spectare, et contemplari studebat, omnem vero levissimam licet Dei offensionem summopere refugiebat: frequens, ac pene quotidianus Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae usus, diuturna ad divinas epulas praeparatio, diuturnior post eas gustatas gra-

tiarum actio; simul vero is pietatis ardor, ut saepe coelesti fulgore circumfusus totum collustraret templum, atque extra sensus raptus diu immotus consisteret. Hinc incensa ejus charitas in proximos, quorum omnium aeternam salutem et vehementissime optabat, et corporis afflictatione, assiduisque orationibus a Deo precabatur. Qui vero ad Benedictum, ut eum consulerent, confluebant, iis omnibus ipse facilis, et praesto aderat, etiam dum aegrotaret, et opportuna consilia, et remedia cuique praebebat. Praeterea inclusos carcere, aut morbo laborantes frequenter invisebat, ministeria quaeque et charitatis officia ipsis exhibens, aliquid etiam in subsidium deferens, eosque ad patientiam, spemque in Deo collocandam excitans. Idem ejus animus, idem studium in hospites, coenobitas praesertim suos, quibus omni officiorum genere ministrabat. Eadem charitas, eademque in egenos misericordia, quibus fiebat refectio Benedicti jejunantis abstinentia. Ipse autem Panormitani coenobii praeses factus, nihil urgebat magis, quam ut janitor a nemine paupere faciem suam averteret. Ad hanc mirificam perfectionem, sanctitatemque vitae coelestia dona accesserunt; in primis singularis, et divinitus indita sapientia, qua homo, ceteroquin illiteratus, de altissimis fidei mysteriis tam apposite disserebat, et difficillima sacrorum codicum loca tam apte interpretabatur, ut et doctissimis ipsis theologis admirationi esset, et coenobitae, qui eum audiebant, non ipsum esse censerent, sed Spiritum Sanctum, qui per eum loqueretur. Interdum abdita cordis penitus perspexit, saepe futura praenunciavit, suum quoque obitum, exiguumque in funus populi concursum. Prodigiorum autem virtute jam tum famulus Dei eminebat, cum in eremo adhuc versabatur: multo tamen magis emicuit, laicus severioris S. Francisci disciplinae cum esset. Plurimi vel crucis signo ab eo muniti, vel oleo lampadis ante Mariae Virginis aram accensae inuncti, vel ejus precibus Deo commendati, statim a gravissimis desperatisque morbis emergebant. In egentium subsidium non ita raro cibos augebat, et in suorum coenebitorum commodum quandoque coelitus comparabat; quandoque vero multiplicabat annonam. Nihil igitur mirum, si Benedictus probatissimus omnibus esset omniumque ordinum viri, nobiles, docti, socii quoque coenobitae, et coenobitarum praesides ejus opem implorarent, consilia exquirerent, precibus sese studiosissime commendarent: siquidem apud omnes constabat divino eum Spiritu afflari. Quare sanctitatis ejus opinio longissime pervagata, Neapolim, Romam, Hispanias, et Lusitaniam pervasit. Interea ipse mitis, et humilis corde de se demississime sentiebat: omnium mortalium minimum ex animo putabat, peccatorem autem vel maximum praedicabat; idoneas quasque oportunitates captare studebat, quibus se aliis despiciendum praeberet. Honoris vero significationes, atque hominum plausus quam moleste ferret, aperte ostendebat, et ut hominum laudes quoad posset, vitaret, remotiores semper, minusque frequentes vias, cum ad aegrotos, aut ad alia charitatis opera ex obedientia iret, seligebat. Verum nihil ei tam gratum, et jucundum fuit, quam ut omnia, et viliora quidem, atque abjectiora coenobii ministeria praestaret, etiam tum cum Panormitani coenobii moderator fuit constitutus. Nimirum Siculae minorum provinciae praepositi Benedicti virtutes, singularem in primis prudentiam tanti faciebant, ut ex tot aliis praestantibus viris eum unum seligendum duxerint, quem Panormitano

coenobio praeficerent, ubi rigidior disciplina instituta magis ac magis erat confirmanda. Excusavit quidem ipse litterarum ignorantiam, infimam sui conditionem, multaque alia, quae humilis de se opinio suggessit. At cum nihil profecisset, obedientiae praecepto urgente, tacitus, promptusque paruit. Praesidum votis plene, cumulateque respondit: coenobitasque sibi concreditos brevi post tempore, qua monitis, qua exemplis, qua lenitate, et sermonis suavitate in culpis etiam pro re, et tempore vindicandis, ad severiorem disciplinam deduxit. Triennio exacto, ex coenobii praefectura solitudini restitutus, vehementius etiam per plures annos in virtutibus progredi studuit, quoad de proximo ex hac vita excessu certior coelitus factus, gravissimi morbi molestias per triginta dies laeto libentique animo subiit, nihil unquam sua sponte postulavit, nihil ex iis quae sumenda porrigebantur, recusavit. Interea vel precari, vel divina et quidem multo magis acerbissimos Christi cruciatus contemplari, pro viribus enitebatur. Coelesti pane reficiendus, fune de collo suspenso, veniam a singulis quibusque coenobitis sociis petiit, lacrymasque profundens et fidei charitatisque ardorem animo conceptum, verbis etiam efferens, sacrum Christi Corpus, ceu viaticum suscepit. Quo quidem suscepto, extra sensus abreptus miro vultus splendore emicuit, et suavissimum odorem efflavit. Ex hoc mentis excessu cum se recepisset, manibus in pectore ad crucis speciem compositis, oculis vero in coelum defixis, saepius repetens suavissima Jesu, et Mariae nomina, eaque Psalmographi verba: in manus tuas Domine commendo spiritum meum, *ad sinum, complexumque Domini, quem unum in omni vitae tempore dilexerat, advolavit pridie nonas Aprilis millesimi quingentesimi octogesimi noni, feria tertia solemnium Paschalium, annos natus sexaginta tres. Quamquam vero pauci, ut ipsemet praedixerat, in ejus funus venerint, postridie tamen illius diei cum obitus ejus fama in vulgus manasset, magnus hominum cujusque aetatis, et conditionis concursus in templum factus est, tantoque cum pietatis sensu, ut et sacras reliquias quisque vellet habere, et vix fieri potuerit, quin ejus corpus effoderetur. Porro beneficia, et prodigia quae a Deo plurimi, Benedicto intercedente, impetrarunt, famam sanctitatis ejus, quae jampridem omnium animis alte insederat, ita auxerunt, ut non modo Europam universam, sed disjunctissimas quoque terras, et Americam ipsam peragraverit. Propterea anno* mdxcii. *nonis Maii corpus ejus e terra erutum, Cardinali Matthaejo sacrae minorum S. Francisci familiae Patrono veniam concedente, fuit in sacrario repositum. Mirum tunc quoque visum, corpus idem, quod per triennium in humido aliorum sepulchro nullo modo medicatum jacuerat, integrum tamen incorruptumque perstare et suavissimum odorem spirare, quem diu etiam postea spirasse compertum est. Duobus post annis idem Cardinalis Matthaejus Archiepiscopo Panormitano mandavit, ut de Benedicti virtutibus, ac miraculis inquisitionem legitime institueret, quam ad annum quidem perfecit. Cum sanctimoniam servi sui Deus aliis atque aliis prodigiis testari videretur, et preces Philippi II. Hispaniarum et utriusque Siciliae Regis, necnon universi cleri et populi Panormitani Sedi Apostolicae fuissent exhibitae, Congregatio Sacrorum Rituum concessit, ut sacrae ipsius exuviae in templum transferrentur, et in honorifico loculo a terra elevato conderentur, quod* v. *nonas Octobris anno* mdcxi. *Cardinalis Joannentinus ab Auria, tunc Ar-*

chiepiscopus Panormitanus praestitit. Cum plurimae aliae publici cultus, et honoris significationes accessissent, votivae tabellae ejus sepulchro appensae, imagines et signa altaribus imposita, novus processus auctoritate ordinaria constructus fuit anno MDCXX. *subinde duo auctoritate apostolica, alter Panormi anno* MDCXXV. , *alter in oppido S. Philadelphi anno proximo, in quos ea omnia fuerunt relata , unde Servi Dei et virtutes et miracula constarent. Interea fel. rec. Urbanus VIII. praedecessor noster super hisce causis nova decreta edidit , ex quorum sinistra interpretatione B. Benedicti causa intermissa fuit, donec anno demum* MDCCXIII. *eam resumendi facultas data est , annuente piae mem. Clemente XI. nostro pariter praedecessore. Ita apostolicis absolutis actis tum Panormi , tum in Urbe de cultu publica ipsi exhibito , re semel , atque iterum in Congregatione Sacrorum Rituum expensa , tandem* V. *idus Majas anno* MDCCXLIII. *decretum prodiit : constare de cultu publico B. Benedicto praestito , sive de casu excepto a decretis* S. M. *Urbani PP. VIII. cui quidem judicio rec. mem. Benedictus XIV. antecessor noster proximis idibus assensum suum praebuit : qui etiam paulo post sacrae minorum S. Francisci familiae, et universo clero dioecesis Panormitanae, et oppidi sancti Philadelphii potestatem fecit recitandi ipsius Beati officium, et missam de communi Confessoris non Pontificis, oratione tamen propria jam approbata. Porro ejusdem mem. Clemens XIII. praedecessor noster iis omnibus lectiones secundi nocturni proprias recitandas indulsit. Ut autem B. Benedictus ex provida S. Romanae Ecclesiae dispositione in Sanctorum numerum adscribi posset, virtutum ejus disquisitio rite instituta fuit ex tabulis ordinaria et apostolica auctoritate jam digestis , in quas ejus et sanctissima gesta fuerant relata. Re mature perpensa , Congregatio Sacrorum Rituum pronunciavit , singulares et plene heroicas B. Benedicti virtutes extitisse : quod decretum piae mem. Pius VI. proxime decessor noster apostolica auctoritate confirmavit* XVII. *calendas Aprilis an.* MDCCLXXVII. *Quaestio supererat de miraculis. Quatuor fuerant Cardinalium , qui Sacris Ritibus praesunt , judicio commissa , quae B. Benedicto suffragante divinitus edita ferebantur post cultum publicum a Sacrorum Rituum Congregatione ipsi permissum. Ex his quatuor duo tantum (neque vero res plura postulabat) in comitiis generalibus pridie nonas Aprilis anno* MDCCXC. *accurate perpensa, et unanimi Cardinalium suffragio probata , idem Pius VI. praedecessor in miraculorum numero reponenda esse decrevit. Primum miraculum fuit hujusmodi: Franciscus Centinius et Capitius novem annorum puer ab oppido S. Philadelphii ictu glandis ab ignea ballista explosae tam grave vulnus in gutture acceperat, ut asperaarteria perforata , vel potius penitus discissa , vulneris ipsius hiatu spiritum duceret , quin ulla spes salutis affulgeret : ubi autem B. Benedicti reliquia saucio gutturi admota est, statim vulneri obducta cicatrix , atque integra valetudo restituta. Alterum: Philippus Scaglioneus ex oppido S. Philadelphii , ab ortu ad decimum quartum aetatis annum ea pedis utriusque infirmitate laborabat , ut neque per se ipse staret, neque loco moveretur, multoque minus pedibus ire ullo modo posset. At vix dum B. Benedicti opem imploraverat, cum religiosum ordinis S. Francisci sibi adstantem aspexit, simul suadentem, ut surgeret et graderetur, utpote jam sanus. Statim ille Benedictum , quem invocaverat, eum esse ratus, dicto audiens erexit sese , et exinde expedite semper ambulavit. His prodigiis*

approbatis, cuncti ejusdem Congregationis S. Rituum Cardinales, laudato praedecessori Pio VI. summo consensu affirmarunt, B. Benedictum Sanctis Viris adscribi posse: ac demum idem ipse Pius VI. praedecessor, pluribus jam ante precibus ad Deum fusis, Sanctique Spiritus ope implorata, xviii. *calendas Septembris ejusdem anni B. Benedictum in Sanctorum album referri posse declaravit, decretumque canonizationis ejus quandocumque faciendae expediri, et publicari jussit. Cum igitur antiquis, repetitisque plurimorum votis novae enixae accessissent preces, quas singuli quique Siculorum civium ordines, maxime vero sacra minorum S. Francisci universa familia Nobis exhibendas curarunt, atque omnia essent absoluta, quae in Congregatione Sacrorum Rituum peragi debuerunt, congruum quoque Nobis videbatur, ut ultimam denique sententiam super Beati viri canonizatione ferremus. Quamobrem ex Sanctae Romanae Ecclesiae disciplina in consistorio nostro secreto die* xxiii. *Martii proxime elapsi a dilecto filio Julio Maria tituli S. Mariae supra Minervam Presbytero Cardinali de Somalia nuncupato Sacrorum Rituum Congregationis praefecto, praemissorum omnium relatione apposite facta, cum reliqui Cardinales sibi placere dixissent. ut B. Benedictus Sanctorum fastis adscriberetur, publicum deinde consistorium die* xvi. *proxime superioris Aprilis convocavimus, in quo dilectus filius Bellisarius Cristaldi consistorialis aulae nostrae advocatus diserta oratione virtutum excellentiam, vitaeque sanctitatem B. Benedicti laudavit. Praeterea in alio consistorio semipublico die* viii. *hujus mensis coram Nobis habito, cum prius omnibus suffragaturis summa vitae, virtutum et miraculorum B. Benedicti ex actis Sacrae Rituum Congregationis exacte deprompta, typisque publicata fuisset tradita, ut ad sententiam dicendam parati accederent, omnes quotquot adfuerunt, venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi, quorum plurimi ex vicinioribus dioecesibus a Nobis acciti Romam convenerant, unanimi consensu B. Benedictum in Sanctorum numerum referendum esse censuerunt. Quorum omnium suffragia, quibus singuli subscripserunt, colligi, et in S. Romanae Ecclesiae Tabulario custodiri mandavimus, instrumenta etiam super his omnibus confici jussimus. Deo autem maximas gratias egimus, quod servum suum per ministerium nostrum honorificari velle dignaretur, diemque canonizationis indiximus, omnesque interim adhortati sumus, ut ad coelestem Spiritus Sancti gratiam Nobis impetrandam suas preces Nostris adderent, eleemosynisque, et jeiuniis perseveranter insisterent, ut in tanta re, et tam arduo negotio auctor bonorum omnium Deus, Pater luminum adesset Nobis, dirigeretque consilia nostra. Demum omnibus rite expletis, quae Sacri Canones, et ecclesiastica consuetudo praescribunt, hac die, quae fuit dies Dominica Sanctissimae Trinitatis, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, Romanaeque Curiae praelatis, officialibus, et familiaribus nostris, clero saeculari et regulari ritu solemnis supplicationis, ad Vaticanam Beatissimi Petri Apostolorum principis Basilicam splendide ornatam convenimus, ubi dilecto filio nostro Innico Didaco tituli S. Augustini S. R. E. Presbytero Cardinali Caracciolo nuncupato, procuratore semel, iterum, ac tertio pro canonizationis decreto supplicante, sacris precibus et litaniis decantatis, et Creatore Spiritu invocato, ut mentem nostram visitaret, pectusque superna gratia impleret, ad hono-*

rem Sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, ad christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, divina ope saepius implorata, ac de praedictorum S. R. E. Cardinalium, Patriarchae, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe existentium consilio et sententia, Beatum Benedictum a S. Philadelphio omnium virtutum genere cumulatissimum, et miraculorum gloria illustrem, vere Sanctum esse definiendo pronunciamus, et una cum Francisco Caracciolo, Angela Merici, Coleta Boilet, et Hyacintha Mariscotti Sanctorum canoni inseruimus, eumque ab omnibus christifidelibus honorandum colendumque esse decrevimus: statuentes, ut ubique Ecclesiae, et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, in ejus honorem aedificari possint; ejusque memoria singulis annis die quarta mensis Aprilis inter Sanctos Confessores non Pontifices recoli debeat; eadeque auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui quotannis eodem die festo sepulchrum, in quo corpus ejus requiescit, visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus. His peractis, hymnum laudis et confessionis pro gratiarum actione Deo decantavimus, et in ara maxima Missae sacrificium celebravimus, cum commemoratione ejusdem Sancti Benedicti et praedictorum quatuor Sanctorum; plenariam quoque indulgentiam omnibus christifidelibus ad tantae solemnitatis celebritatem congregatis in forma Ecclesiae consueta concessimus. Quoniam vero S. Benedicti praesiditum Nobis coelitus comparatum videmus, aequum est, ut cum humilitate gratias Deo agamus, suppliciter obsecrantes, ut servi sui meritis et intercessione a praesentibus hujus mortalis vitae angustiis, et calamitatibus Nos liberare, et in hoc saeculo coelesti gratia sua implere dignetur, qua in futuro aeternam Sanctorum felicitatem adipisci mereamur. Ceterum cum idem Cardinalis Procurator, quo par erat obsequio, a Nobis petiisset, ut super praemissis omnibus apostolicas nostras litteras perpetuo valituras decerneremus, Nos justissimis precibus annuentes, praesentes nostras litteras edi et publicari voluimus, et decrevimus, quarum tenore omnia et singula praemissa confirmamus, atque iterum statuimus: mandantes ut earum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCCVIII. IX. *calendas Junii Pontificatus nostri anno* VIII.

✠ *EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.*
✠

Anno Christi 1589.	Sixti V. an. 4. et 5.	Rodulphi II. anno 13.	Religionis Minorum anno 382.

※ *Ego L. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Antonellus Major Poenitentiarius.*
※ *Ego A. Episcopus Albanen. Card. Valenti Gonzaga.*
※ *Ego A Episcopus Praenestinus Card. Matthaejus.*
※ *Ego J. Episcopus Tusculanus Card. ab Auria Pamphily.*
※
※ *Ego F. S. R. E. tit. S. Laurentii in Lucina Prior presb. Cardinalis Carafa.*
※
※
※
※
※
※
※ *Ego A. tit. S. Praxdis presb. Card. Dugnani.*
※ *Ego H. tit. SS. Nerei et Achillei presb. Card. Vincenti.*
※
※ *Ego F. tit. S. M. Transtyberim presb. Card. Pignatelli.*
※ *Ego A. tit. SS. Joannis et Pauli presb. Card. Roverella.*
※ *Ego J. M. tit. S. Mariae supra Minervam presb. Card. de Somalia.*
※ *Ego J. D. tit. S. Augustini presb. Card. Caracciolo.*
※
※ *Ego M. tit. S. Mariae in Via presb. Card. de Petro.*
※ *Ego C. tit. S. Susannae ad Thermas presb. Card. Crivelli.*
※
※ *Ego F. M. tit. S. Anastasiae presb. Card. Saluzzo.*
※
※
※ *Ego B. tit. S. Silvestri in Capite presb. Card. Pacca.*
※
※ *Ego J. Ph. tit. S. Alexii presb. Card. Gallerati Scotti.*
※ *Ego L. tit. S. Pudentianae presb. Card. Litta.*
※ *Ego Ph. tit. S. Mariae Angelorum presb. Card. Casoni.*
※
※
※ *Ego H. tit. S. Petri ad Vincula presb. Card. della Porta.*
※ *Ego J. tit. S. Thomae in Parione presb. Card. Gabrielli.*
※ *Ego V. tit. S. Laurentii in Pane et Perna presb. Card. Mastrozzi.*
※
※
※
※
※
※
※ *Ego P. F. tit. S. Bartholomaei in Insula presb. Card. Galleffi.*
※
※
※

Ego A. S. Mariae in Via Lata Prior Diaconorum Cardinalis ab Auria.
Ego R. S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Braschius de Honestis.
Ego Ph. S. Eustachii Diaconus Card. Carandini.

Ego H. S. Agathae ad Suburram Diaconus Card. Consalvi.

Ego C. S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Ershine.
Ego A. S. Adriani Diaconus Card. Gazzoli.

A Card. Pro-Datarius. *R. Card. Braschius de Honestis.*
Visa
De Curia J. Monassei. *F. Lavizzarius.*

CV. Idem Pontifex Pius VII. *Ad augendam* die xvii. Novembris concessit plenariam perpetuamque indulgentiam christifidelibus sacra communione refectis, quamlibet franciscalium et clarissarum Ecclesiam visitantibus die iv. Aprilis, quo sancte decessit Benedictus.

CVI. Magna cum laude S. Benedicti nostri meminerunt non infimae notae scriptores, quorum catalogum exhibemus. De eo agit fr. Antonius de Randazzo in *chronica* mss. pag. 83; fr. Antonius Daca part. 4. lib. 1. cap. 9. et lib. 4. cap. 16 in *Chronica* hispanice scripta; Octavius Cajetanus in suo *Martyrologio* ad quartam Aprilis; Rochus Pirri in ejus *Sicilia Sacra* part. 2. notitia 1. ecclesiae Panormitanae pag. 185; fr. Dominicus Gravina in libro inscripto *Vox turturis* part. 2. pag. 231; fr. Fortunatus Hueber in *Menologio Franciscano* ad diem 4. Aprilis; fr. Arturus a Monasterio in *Martyrologio Franciscano* ad hunc diem; fr. Bernardinus de Panormo in libro *albero dei Beati di Sicilia*; fr. Lucas Waddingus in *Annalibus Minorum* ad an. mcdli. num. 42; ad annum mdlx. num. 21 fr. Joseph Maria ab Ancona; ad annum mdlxv. num. 125, et ad an. mdlxxiii. num. 4. et seq. fr. Cajetanus Michelesi; et ad annum mdlxxviii. num. 4. et seq. nos ipsi de eo egimus; fr. magister Cagliola in suis *manifestationibus* pag. 155; fr. Didacus de Equile in *Hjerarchia franciscana* tom. 1. pag. 269; fr. Philippus Ferrari in *catalogo Sanctorum* ad diem 4. Aprilis; *Annales civitatis Panormitanae* ad an. mdcix. et ad an. mdcx. pag. 178; fr. Bonifacius Bonimbelli in vita mss. ejusdem S. Benedicti; Mazzava *Legendario*

Franciscano tom. 4. Ejus autem vitam typis mandarunt Romae anno MDCCXLIII. fr. Hermenegildus a Roma; anno MDCCXCIV. fr. Joannes Alphonsus a Mendrisio; ac tandem anno MDCCCVII. fr. Joannes a Capistrano.

CVII. S. Benedicto adjunctus est in coelis hoc anno Antonius Paganus Venetus, non Foroliviensis; regularis observantiae, non conventualium, ut Willot, Waddingus, Franchinius, et Joannes a S. Antonio minus recte scribunt, hunc nostrum cum Marco Antonio Pagano Foroliviensi confundentes, qui Fulginei obiit anno MDLXXXV. Delendum est igitur epitaphium apud Waddingum, quod non ad Antonium Paganum, sed ad Marcum Antonium Paganum Foroliviensem spectat. Nam, ut caetera praetereamus, Rodulphus utrique coevus agens de conventu Vicentiae fratrum de observantia ait: *ubi viget fr. Antonius Paganus, qui supra falso relatus est inter antecedentes, idest conventuales*; et alio in loco ei attribuit quaedam opera, scribitque anno MDLXXXVI. illum adhuc vitam egisse.

Antonius Paganus. *Mazzara tom. 1. pag. 40. Wadding. et Sbaralea lit. A.*

Rodulphus p. 299. et pag. 308.

CVIII. Circa annum MDXXIV., non vero anno MDXXXVI. ut putat Mazzara, Venetiis natus est Antonius Pagani, nomen forte Marci in baptismate sortitus. In puerili aetate proximam S. Bernardini fratrum minorum de observantia Ecclesiam, S. Job vulgo dictam, ut divino missae sacrificio quotidie interesset, se conferebat, fratribus ipsis quandoque eleemosynam panis erogans. Adolescens ludimagistrum suum dicentem Christum non animam, sed humanum corpus dumtaxat in divina incarnatione assumpsisse, redarguit, pertinacemque in suo errore generali inquisitori illius civitatis arcessit. Ad Patavinum deinde gymnasium a suis missus, ita in studiis humanarum et ecclesiasticarum legum profecit, ut utriusque juris doctor fuerit renuntiatus. Venetiis reversus, apud aulam Pontificii Legati advocati munus explevit. Non multo post Mediolanum petens, clericali militiae, et sacerdotali dignitati initiatur. Defunctis parentibus, abdicatisque suae familiae opibus, quae ei jure haereditario obvenerant, in Utini civitate inter minores observantes cooptatus, suae doctrinae ac pietatis mira specimina illico exhibuit tam in divini verbi praedicatione, quam in vulgandis operibus.

Mazzara ibid.

CIX. E coenobio S. Blasii Vicentiae, ubi quadragesimae et adventus tempore e suggestu magno cum animarum lucro concionem habuit, Venetias ut tironibus franciscanis canonicas leges explanaret amandatus, litteras Tridenti die XXVII. Martii anno MDLXIII. datas a Francisco Zamorensi ordinis supremo administro accepit, quibus ei mandabat, ut prostremam manum admoveret castigationi quorumdam opusculorum S. Bonaventurae doctoris; quod et praestitit, edititque anno insequenti typis Dominici Nicolini. Prae suae doctrinae praestantia, licet reluctans, inter socios accademicos patriae suae cooptatus, varia tum metro, tum soluta oratione protulit. Anno MDLXX. Venetiis vulgatus fuit *sermo generalis in legem canonicam* ab eo forte prolatus in illa accademia. In Tridentino concilio theologi partes explevit habuitque ad Patres orationem *de ecclesiae reformatione* apud Labbeum editam, et Venetiis impressam eodem anno typis Bolognini una cum libro *de ordine*, *jurisdictione*, *et residentia Episcoporum*. Eodem praelo editus fuit hoc eodem anno italice ejus sermo *de salutifera et fructuosa poenitentia*, in quo de contritione agit, confessione, ac satisfactione.

CX. Typis Dominici Fani Venetiis hoc eodem anno edidit vario metro

pia carmina, quae continent *quatuor triumphos Redemptoris mundi, crucis, beatorum, et castitatis*; item *laudes B. Virginis*, *et viridiarium morale*. Librum primum de triumpho Christi et crucis dicavit Clementi Dolerae cardinali Aracoelitano, jam ordinis ministro generali; liber secundus complectitur triumphos Beatorum, castitatis, ac laudes B. Mariae Virginis. In beatorum triumpho prae caeteris canit laudes SS. Francisci, Clarae, Antonii Patavini, Bonaventurae, Bernardini Senensis, atque Immaculatae Deiparae Conceptionis. In iudice librorum prohibitorum legitur proscriptus *Marci Pagani* carminum liber, cui titulus est: *Trionfo angelico*, et alter qui dicitur: *Sonetti diversi di Marco Pagani.* An vero haec sint opera Marci Antonii Pagani nostri, an vero Marci Foroliviensis conventualis, vel alterius ejusdem nominis incertum est.

CXI. Cum autem per id temporis saeva lues grassaretur Venetae civitati, Antonius nullo periculo territus, hac illac discurrens, qua sacramentorum pabulo, qua piis adhortationibus solatio erat omnibus, indigentibus praecipue, quibus etiam cibaria ministrabat. Oenipontum inde a Ferdinando Archiduca Austriae vocatus, quamplures a fide devios verbo conversationisque exemplo ad catholicae Ecclesiae unitatem adduxit. Arzignanum, Chiumque subinde divertens, corruptos fidelium mores reformavit, ac quorumdam temeritatem, qui in vulgus semina catholicae veritati adversa spargebant, summo dicendi robore cobibuit.

CXII. In generali comitio Parisiis anno MDLXXIX. habito, cum ad supremum ordinis munus assumptus esset Franciscus Gonzaga, Antonius noster ad eum *orationem misit de miseriis sui temporis ab haeresi, bellis, devastationibus ortis*, typis postea mandatam Venetiis apud laudatum Bologninum, ex qua cognita ejus doctrina, morumque praestantia voluit ipse Gonzaga, ut visitatoris officium expleret in Picenae, ac S. Francisci provinciis.

CXIII. Iis perlustratis, quoniam solitariae vitae amore illectus erat, petiit et obtinuit ab eodem generali ministro, ut denuo a quo migraverat, coenobium S. Blasii Vicentiae se conferret, illi tamen commendans nuper erectum ab ipso S. Crucis pro honestis quibusdam hominibus ac nobilibus virginibus in communi viventibus sodalitium. Illi solitariam inter asperitates vitam ducebant, erantque eorumdem domus tum in Monte Berrico, tum Veronae; pro nobilibus vero virginibus quae *dimissae* vocabantur, quaeque instituendis puellis curam gerebant, paratae ab eo fuerant aedes Vicentiae, Utini, et Patavii. Ut autem haec sodalitia rite procederent, quasdam leges observandas constituit editas Venetiis anno MDLXXXVII. hoc titulo: *Regole della congregatione della S. Croce.*

CXIV. Licet in coenobio Vicentiae, exceptis ipsius curis pro animarum salute, eremiticam vitam inter suos ageret, attamen ad S. Felicis inaccessum locum se perrexit, in quo, duobus teguriolis sibi ex nudo lapide instructis, Domino inserviebat frigore, jejuniis, austeritatibus, vigiliis, divinisque contemplationibus, in quibus non semel a terra elevabatur. At ob hominum, qui ad eum undique vel consilii, vel confessionis emittendae causa se confluebant, frequentiam declinaret, ad alterum S. Teclae eremum in confinibus pagorum Costozzae, Lumignani, et Longarae positum commigravit, ubi prae loci asperitate, morbo correptus, ministri generalis nutu in coenobium Collis S. Pancratii Bartorani dioecesis Vicentiae

solitudini expositum se contulit. Hic librum scripsit: *la breve somma degli esercizii de penitenti per la profittevole riforma dell' uomo interiore* Francisco Gonzaga nuncupatum, data ad eum epistola die xv. Junii an. MDLXXXVI. in qua dicit se etiam confecisse compendium *quomodo confessarius et poenitens debeant se continere in peccatorum confessione.* In eo agitur de cognitione perfectarum virtutum christianarum, quae vitiis et peccatis adversantur, de beneficiis, quae et in terra et in coelis easdem amantibus conferuntur, de rationibus quibus, Deo auxiliante, eas facile consequi possunt, quibusque Deo similes efficiantur. Opus illustratur doctrina S. Bonaventurae et Cassiani. Alia etiam italice scripta ibidem absolvit, eoque vivente typis fuerunt commissa, nimirum *tractatum de poenitentia, sermones quidam, examen conscientiae pro poenitentibus, ac speculum veri christiani.* Opera vero *sponsalia animae cum Christo et tuba militiae christianae* anno MDLXXXV. typographorum Venetorum cura vulgata fuere.

CXV. Austeritatibus et laboribus exinde fractus, cum in grave morbum incidisset in nocte Nativitatis Domini an. MDLXXXVIII. suorum hortatu ad S. Blasii coenobium Vicentiae accedens, omnibus ecclesiae sacramentis devote susceptis, sanctam Deo efflavit animam die IV. Januarii. Ejus funus magno civium concursu fuit honestatum, cujus laudes funebri oratione prosequutus est D. Gilius Ghellinus sacerdos Vicentinus. Corpus inde in arca inclusum, tribusque, mandante Episcopo, clavibus munitam, in fratrum tumulo humatum fuit. Quatuor post annos reserato tumulo, praeter manus et linguam, totum ejus corpus inventum fuit in cinerem resolutum; novum tamen coenotaphium ad aram principem positum hisce inscriptis versibus.

Corporis hic fessi cineres clauduntur, et ossa
Felicem ast animam spes est superna petisse,
Hic Venetus dives clarus virtutis alumnus.
Hymnidicus, Rhetor Sophiae, legumque peritus
Extitit, et Minor Observans Antonius: egit
Mira, diu vastam coluit Paganus heremum,
Dura tulit, sancte scripsit, docuitque sacerdos
Ore, manu renovans sacra oratoria junxit
Demissa Christo, Crucis hinc in monte sodales.
Vixit lustra pius tredecim, migravit ad astra.
Mense latinorum primo, quartoque sedentis
Sixti anno Quinti: Hoc iidem posuere Magistro.

CXVI. Post ejus mortem miraculis inclaruit. Joannes Jacobus Hispanus anno MDXCIII. medicorum judicio morti proximus, sospitatem obtinuit, effusis ad eum precibus. Diana Mora pravo morbo detenta, illico sanata est, vix sibi admota particula habitus patris Antonii. Lucia Malloni filium suum a caecitate liberavit tactu crucis, quae erat in eremo Montis Berici, ubi Antonius olim morabatur; similia et ipsa obtinuit tactu cujusdam ferri, quo claudebatur ostium illius eremitorii. Anno MDCXV. a totius corporis attractione nervorum libera evasit Anna Grossi, imposito ei ejusdem pallio. Bartholomaeo Bozo lethalibus vulneribus acceptis, invocato Antonii nomine, valetudinem obtinuit, nullo vulnerum relicto vestigio. Alexandra Morapega monialis Clarissa in monasterio Vicen-

tiae carcinomate eodem anno in ore affecta, edito voto, tertio post die ab illa infirmitate erepta est. Julia Plata ejusdem monasterii an. MDCXVI. visione Antonii, cui se commendaverat, in somniis recreata, vocem quam ex morbo ab annis sex perdiderat, recuperavit, sequentique mane una cum Monialibus divinum in choro officium recitavit elata voce. His et aliis ad viri Dei invocationem patratis miraculis, actum fuit de conficiendo pro ejus canonizatione processu ordinario. Eo subinde formato, cum Romae missus fuisset, anno MDCXXII. S. R. Congregationis decreto cautum fuit, ut in civitate Vicentiae apostolicus processus formaretur. Verum anno MDCXXV. novo super Sanctorum canonizatione ab Urbano VIII. Pontificè edito oraculo, quae de patre Antonio peracta erant, rescissa fuerunt. Praeter Benedictum Mazzara, Antonii gesta scripserunt Franciscus Barbaranus Capucinus lib. III. hist. Vicentiae, et abbas Ginesius Soderini.

CXVII. In coenobio S. Francisci Transtyberis de Urbe quievit Caesar ab Alba Pompea, dictus a Bergomo, natus circa annum MDXLV. parentibus Alexandro et Angela Bergomensibus, a quibus pie fuit educatus, ac humanis litteris imbuendus traditus. Saeculi vanitatibus aliquandiu indulsit, donec divina gratia illustratus, quae incaute juvenis gesserat, lacrymis et contritione delevit. In Hispaniam inde profectus, Deum jugiter exorabat, ut sibi ostenderet, quo in rigidiori instituto viam coeli arripere posset. Cum autem probe intelligeret a Deo esse vocatum in sacro minorum S. Francisci ordine, ideo habitum fratrum minorum de observantia suscepit in provincia Valentiae. Eo in instituto Sacris Litteris ita brevi tempore excultus evasit, ut sive in docendo, sive in verbo Dei disseminando coetaneos suos longe superaret. Mira verborum suavitate in dicendo exornabatur, qua peccatores allecti, ad divinae misericordiae sinum confugiebant.

Caesar a Bergomo. *Barctius part. 4. pag. 849.*

CXVIII. Vigiliis, jejuniis, carnisque mortificationi jugiter vacavit; nudis pedibus incedebat, unicaque tunica, et obsoleta contentus. Zelator puritatis regulae solicitus, inter fratres recollectos provinciae Cataloniae mirum dictu est, quot pertulerit labores, ut initiatam reformationem una cum Angelo de Paz Perpinianensi firmius constabiliret, quocum erat necessitudine conjunctissimus. Aemulorum suorum causa in Italiam reversus cum eodem Angelo, praedicationis munus cum ingenti animarum foenore prosequutus est in praecipuis Italiae urbibus, nimirum Romae, Genuae, Neapolis, et Messanae. Eum saepe concionantem cum audivisset in cathedrali templo Angelus Justiniani archiepiscopus Genuensis, de eo dicere solebat: *Caesarem a Bergomo sapientia prope Angelica esse exornatum.*

CXIX. Aliis interim donis coelestibus instructus apparuit. In primis ejus erga omnes sive plebejos, sive nobiles summa comitas, qua moestis solatium, iracundis lenitatem, inimicisque reconciliationem conferebat. Humilitatis sensu ita afficiebatur, ut viliora coenobii officia laetus exequeretur, sacerdotibus in sacrificio missae inserviret, ac Angelo de Paz eximio concionatori famularetur, ac ab ejus nutu penderet. Cardinali Matthaeo ordinis tunc patrono postulanti, ut in coenobio S. Petri Montorii de Urbe tironibus franciscanis sacram theologiam explanaret, prae humilitate respondit, honorificentius sibi esse socii curas agere laudati Angeli de Paz, quam lectoris titulo pollere. Charitate erga Deum vulne-

ratus, vel laboribus fractus, vel infirmitatibus perculsus, una erat ejus vox: *Abba Pater*: *Deus meus, et omnia.*

CXX. Mortis suae tempore a Deo praemonitus, quemdam nobilem virum in sua cellula degentem ita alloquutus est: *vado in hortum deliciarum*; *te cupio, te desidero o paradise*; *ad tam felicissima regna propero.* Delatus inde ad coenobium S. Francisci Transtyberis, postquam missae Sacrificium celebrasset, Angelo de Paz, fratribusque aliis praesentibus dixit: *non videbitis amplius faciem meam.* In valetudinarium ejusdem conventus properans, cum brevi tempore inibi moribundus extasset, brachio innixus sellae, animam coelo reddidit die xx. Novembris, aetatis suae xliv. Defuncti corpus conditum fuit in Ecclesia ejusdem coenobii, apposito ad ejus digitum annulo argenteo, hisce litteris insculptis P. C. P. — *Pater Caesar Pergomo* —.

CXXI. Quievit die xiv. Octobris Franciscus Simonis, natione Neustrus, fratribus de observantia adscriptus in coenobio S. Ludovici Valloniarum in territorio Constantiensi apud inferiorem Neustriam. Studiorum causa Parisios missus, litteris simul et pietate quammaxime floruit. Dum incolebat conventum eorumdem fratrum *Ave Maria* titulo, accepta a majoribus venia, una simul cum fr. Roberto Praevosto in Italiam se contulit, et inter fratres reformatos provinciae Romanae diversatus est. Verum gravi correptus infirmitate, post annum expletum, Ministri Generalis mandato Hispaniam petiit, et fratribus recollectis provinciae Conceptionis nomen dedit, in qua maximo spiritus sui solatio, multarumque virtutum incremento per triennium permansit. Iterum superiorum jussu in Galliam adveniens, Burdigalae appulit, ubi inter observantes provinciae Aquitaniae antiquioris tamdiu moram traxit, quousque Franciscus Doziechi recollectorum reformationem in ea provincia exorsus est. Hinc ipse sese Francisco adjungens, in Muratensi Alverniae conventu recollectorum institutum mira felicitate promovit. Hoc autem anno cum apud Blailam Alverniae oppidum verbum Dei annuntiaret, morbo correptus, omnibusque Ecclesiae sacramentis refectus, pretiosa justorum morte occubuit. Ejus corpus in Ecclesiam parochialem illatum, quievit juxta cathedram concionatoriam. Vir fuit candidi moris, fervidae orationis, puritatisque regulae eximius zelator. Tradunt nulla lethali culpa unquam fuisse foedatum.

Franciscus Simonis. *De Gubernatis t. 2. pag. 397. Arturus ad diem 14. Octobris.*

CXXII. In coenobio S. Francisci Montiliae in provincia Granatensi die xxvii. Martii decessit Ferdinandus de Torres, natus in civitate Ubedae. Trium annorum puer flexis genibus orationi instabat devote, sororibusque suis praedicens, se in ordine minorum de observantia fore sacerdotem, ac verbi Dei concionatorem. Rem eventus probavit; nam eo in instituto sacerdotio initiatus, totius vitae suae curriculo in evangelizandis christifidelibus animum viresque convertit. Guardiani et provinciae definitoris munia peregit. Ab anno sui tirocinii ad mortem usque asperrimo cilicio ad nudam carnem semper gestavit, assiduis interim jejuniis, et cruentis flagellationibus corpus in servitutem redegit. Sui obitus diem praedixit ante duos menses. In eodem coenobio, eodemque anno quievit Didacus a S. Stephano laicus, nimia charitate exornatus erga copias infirmorum Philippi II. Hispaniarum Regis, quibus sponte inserviebat in nosocomiis.

Ferdinandus de Torres. *De Torres in prov. Granatensi p. 299*

Didacus a S. Stephano. *Idem ibid. p. 314.*

CXXIII. In conventu S. Francisci de Veas provinciae Carthaginensis coelestia petivit die x. Januarii Gaspar a Monforte laicus, natus in eodem

oppido dioecesis Elvensis in Lusitania. Sanctae simplicitatis, et flagrantissimae erga Deum charitatis excultus erat donis. Hyemis tempore saepe nudus volutabatur in nive, nullusque transibat dies, quin sanguinea sui corporis flagellatione se caederet. Pauperum solatio erat; in montana se conferebat ad lignorum frustula colligenda, et illinc, licet toto corpore cilicio praecinctus, onustus rediens, illa erogabat egenis. In conventu Oriolano titulo S. Annae ejusdem provinciae obiit Michael a Tordepalo item laicus, puritate animae, lacrymarum dono, inediaque celebris. Fratribus parentalia super ejus tumulum agentibus, quidam sacerdos illius coenobii podagra affectus, in hunc modum oravit: *fr. Michael, credo te in pace quievisse, Deumque in aeternum frui; magnum erit mihi levamen, sacrum in tuo funere celebrare.* Quibus expletis, extemplo sanus evasit, ac pro ejus anima eadem die sacrum in Ecclesia fecit.

Gaspar de Monforte. *Heulamus in prov. Carthaginensi c. 13. Angiolog. Lusitan. ad diem 10. Januarii.*

Michael a Tordepalo.

Heulamus ibidem cap. 14.

CXXIV. Coelesti gloria potitus est die XXVI. Octobris in conventu S. Mariae Magdalenae Ruraemundae in provincia Germaniae Inferioris Laurentius ab Ischa, insignis fidei catholicae athleta, qui ab anno MDLXXVI. usque ad praesens in ea civitate commorans, mira pro spirituali fratrum et civium salute peregit. Conventum ipsum ab haereticis pene labefactatum refecit, et in eum incolas exules revocavit. Civitatem ipsam magna ex parte haeresi infectam expurgare cum niteretur, in continuo vitae suae discrimine versabatur, adeo ut nonnisi catholicis stipatus militibus parochiale templum concionaturus accederet. Adversus haereses tunc ita decertavit, ut praecipuum pene fidei sustentaculum foret, cui proinde cives acceptum tulerunt, quod tunc temporis ejus ope fides catholica ibi funditus non interierit, sed imo reflorescere coeperit. Inter civium fratrumque lacrymas dormitionis suae requiem accepit in Ecclesia ejusdem conventus.

Laurentius ab Ischa. *Monum. prov. An. min ad an. 1576. num. 16.*

CXXV. In conventu fratrum discalceatorum S. Antonii de Valada in provincia S. Gabrielis die IX. Februarii decesserunt Damianus de Saldanha sacerdos, et Antonius Eborensis laicus, qui ex observantium familia provinciae Lusitaniae transierant inter eos, eorumdem fratrum rigidiori vivendi ratione commoti. Uterque inclaruit vitae puritate, corporis mortificatione, oratione, caeterisque virtutibus. In conventu Dominae nostrae Maniliae in provincia S. Gregorii Insularum Philippinarum cum sanctitatis fama obiit Christophorus Gomez hispanus, navita peritus, de quo diximus, una cum aliis sodalibus tum in Synarum, tum in Cochincinae regna, non absque ingentibus laboribus se contulisse, ut in efferatas gentes lumen Christi diffunderet. Saeculi illecebris antea inquinatus, cum super eum facta esset manus Domini, illico saeculo valedicens, habitum eorumdem fratrum sumpsit in humili laicorum statu anno MDLXXXI. in civitate Maniliae. Tanta inde animi alacritate durissimam vivendi rationem iniit, ut ad eam aliquantisper leniendam, majorum suorum auctoritate compulsus fuerit. Hinc remotioribus locis latitans, spiritus sui relaxato fervore, orationi, meditationi, jejuniis, membrorumque macerationi jugiter incumbebat.

Damianus de Saldanha, et Antonius Eborensis. *Angiologium Lusit. ad diem 9. Februarii.*

Christophorus Gomez. *Ann. min. ad an. 1582. n. 6. et ad an. 1583. n. 9.*

Joan. Franciscus a S. Antonio tom. 2. pag. 187.

CXXVI. Inter minores conventuales sancte ad Dominum migravit in conventu S. Francisci Carleontii in provincia Siciliae Bonaventura Traccetta, de quo ita scribit Cagliola « Bonaventura Traccetta Buterae humili loco procedens, habitu seraphico se insignivit. Vita siquidem ejus » patientiae palestra tota fuit; nam languoris diuturnitate, ac assiduitate

Bonaventura Traccetta. *Cagliola in cust. Agrigent. p. 149.*

» laborum firmata, coronataque est. Nudus, rigidus, jejunus, die no-
» ctuque orationi insudabat. Cellula, quam in Carleontii coenobio, om-
» nium incolebat minimam, tamquam spatioso jucundabatur palatio, er-
» gastulo strictiori. Vix sui corporis pondus inedia, ac carnis mace-
» ratione enervatus sustinere valens, genuflexus diem noctemque ante
» Crucifixi simulacrum imperturbatus exigebat. Exaudiebatur a fratribus
» aliquando in cella clausus, suspiria lacrymis fundens, ferreis se catenis
» exulcerans, clamansque: *parce Domine, parce Domine, et me mitte*
» *in gehennam*. Ex quibus elicitur Bonaventura, ut alter Paulus pro fra-
» tribus suis anathemate plecti, et ut alter Moyses pro populo suo ex
» vitae libro expungi, gestisse. Tandem laboribus ac senio fractus, oc-
» culta infectus febricula, cruce cordi admota, diem clausit extremum
» anno MDLXXXIX. Mortuus dormiens, et in puerilem teneritudinem caro
» versa, facies conspicua videbatur ».

CXXVII. Inter minores observantes martyrii palmam consequuti sunt hoc anno die XXIX. Novembris Vindonici in territorio Carnotensi Jessen, sive Chessen (Jesseo, sive Chesseo habet Thuanus) et socius ejus ob catholicae Ecclesiae defensionem. Extitit ille doctor Parisiensis, et Turonensis provinciae Minister, qui dum consodales suos ad martyrium subeundum hortaretur, ab haereticis militibus comprehensus, die Dominico ad furcam actus, suo cingulo suspenditur, et necatur. Alii vero milites coenobium discurrentes, et religiosum alium socium invenientes, gladiis atque hastis dire confodiernut; corpus vero per fenestras projecerunt. In provincia Hiberniae lapidibus obrutus ex hac vita migravit Donatus O Miunchily, incorruptae fidei et morum sacerdos. Inter minores capucinos martyrium subiit Petrus Bressonius Gallus, qui cum Lutetiam Parisiorum proficisceretur, ab haereticorum copiis invasus, vulneribusque in corpore et capite confossus, spiritum Deo reddidit. Ejus corpus Aurelianum delatum, septimum post annum inventum fuit vulneribus adhuc rubenti sanguine conspersis.

Jessen et socius Mm.
Wadding. in Syllabo martyrum, Arturus, Hueber, et Thuanus lib. 182. p. 205.

Donatus o Miunchily m.
Brenan tom. 2. pag. 129.

Petrus Bressonius m.
De Arembergh t. 2. pag. 231.

CXXVIII. Eorumdem fratrum capucinorum institutum illustravit diversis in provinciis aliquorum confessorum beata mors. In Parisiensi provincia decessit Franciscus Arelatensis, maximis virtutibus exornatus, B. Virginis et pueri Jesu aliquando aspectu recreatus; Tolosae in die natalitio Domini quam praedixerat, obiit Secundinus Astensis, diu versatus in educatione novitiorum in Aquitania provincia; praestans fuit in meditanda cum lacrymarum imbre Jesu Christi passione, diris interim flagris se caedens; in provincia Cataloniae, ut peste laborantibus in tota fere Celtiberia summa charitate succurrerent, decesserunt Josephus et Bernardus Celtiberi sacerdotes virtutibus exculti; eodem contracto morbo in oppido Vallis ejusdem provinciae charitatis martyrio occubuerunt Archangelus a Mediavilla, et Petrus Dertrusanus clerici diaconi; item contracta lue decessit Michael a Denia sacerdos, de quo traditur quod postpositis omnibus vitae periculis, ingenti studio aegrotos in urbe Barcinonensi, finitimisque agris curare, infectis sacramenta ministrare, morientes consolari, mortuos suis humeris exportare, ac sepelire visus fuerit; similia contulit Mariano a Concha laico, dum in oppido Granolles peste laborantibus inserviret; postremo in eadem provincia meritis et virtutibus cumulatus obdormivit in Do-

Franciscus Arelatensis.
Idem ibid. p. 805.

Secundinus Astensis.
Idem pag. 344.

Josephus et Bernardus Celtiberi.
Idem p. 447.

Archangelus a Mediavilla et Petrus Dertrusanus.
Idem pag. 515.

Michael a Denia.
Idem pag. 227.

Antonius a Cruce. Idem ibidem.

mino Antonius a Cruce laicus, qui signo crucis sanavit Vicarium Generalem Augustanae ecclesiae podagra affectum.

Josephus Oxibiensis. Idem ibid. pag. 404. Bernardus Cantuensis. Idem ibid. p 446. Guidus Finariensis, Franciscus Perusinus, Bonaventura a Regien. Idem ibidem. Philippus a Recineto. Idem ibidem. Dominicus a Buschetto. Idem pag. 591.

CXXIX. In provincia Genuensi obiit Josephus Oxibiensis (Oneglia) fervidus concionator, jejuniisque intentus, qui quadragesimali tempore solo pane et aqua reficiebatur; in provincia Mediolanensi Bernardus Cantuensis sacerdos, multis virtutibus, innocentia praesertim commendatus; in provincia Bononiensi supernaturale praemium consequuti sunt Guidus Finariensis, Franciscus Perusinus, ac Bonaventura Rhegiensis sacerdotes sanctimonia praeclari; in conventu Aesii provinciae Marchiae mortalem exuviam deposuit Philippus a Recineto sacerdos, inter eos connumeratus qui Parisiensem provinciam suis virtutibus fundarunt; in conventu Tipherni provinciae Umbrae die VIII. Septembris Dominicus de Buschetto sacerdos aetatis suae anno LXXVI. dum una cum fratribus matutinas horas persolveret in choro. Cum illi demandatum fuisset munus praedicandi Evangelium, tanta spiritus sui ubertate, ingentique animarum fructu prosequutus est, ut cum Ecclesiae populorum frequentia ad eum confluentium capere non possent, suggestus illi vel in publicis plateis, vel in agris saepe pararentur; tantaque ob crebra, quae ab eo fiebant, miracula, in eum hominum devotio effervebat, ut sermone peracto illum certatim turbae raperent atque in humeros sublatum, ad coenobium deferrent. Gratia interim prophetiae, miraculorumque gloria a Deo didatus fuit. Scripsit *tractatum de Virginis Mariae Nominis invocatione* editum Venetiis anno MDLXXX.

Ibaralea lit. D.

Raynerius a Burgo S. Sepulchri. De Aremberg pag. 641. Acta SS. ad diem 25. Augusti.

CXXX. In conventu Tuderti die XXV. Augusti coelesti gloria potitus est Raynerius laicus, natus in Burgo S. Sepulchri in Etruria, de quo et Bollandistae inter praetermissos. Dum juvenis in saeculo degeret, singulis noctibus ad capucinorum Montis Casalis conventum, qui ad duo M. P. distat, se conferebat, ut ibi ante Ecclesiam genuflexus matutinas horas de nocte audiret. Spreto conjugio sibi a parentibus oblato, ad capucinos convolavit, inter quos ad tantam sanctitatis opinionem ita cito devenit, ut turbae ad Narniae, ubi aliquamdiu moram traxit, conventum confluerent, ut vel benedictione, vel crucis signo ab eo impertito potirentur; ipse vero sese occultabat, nec palam se prodibat, nisi ad superioris jubentis imperium; Crucis autem signo super aegros facto, innumera fere miracula patrabat. Omnigenis interim instructus erat virtutibus; castitatem ad miraculum servavit; viam arripuit austeritatis ac mortificationis plenam; tantoque vero amore erga Deum ferebatur, ut velut rerum omnium oblitus, sursum semper in Deum ageretur; plerumque enim a seipso alienus, minus ea quae circa ipsum fiebant, advertens, coelestem inter homines conversationem praeseferebat. In sacra Nativitatis Domini nocte dum oraret in cella ante matutinas horas, meruit in sinu suo excipere puerulum Jesum, cujus aspectu recreatus, illum osculis petiit, lacrymarumque copia perfudit. Similia et evenerunt non semel in suae vitae decursu. Dignatus etiam fuit adparitione et colloquio tum Beatae Virginis, tum etiam S. Francisci. Christi Domini potissimum flagellationis mysterium tam pie sibi colendum statuit, ut non semel, sed iterum sex horarum spatio continuo flagellis corpus caederet. His aliisque sanctis operibus Deo et hominibus charus, velut qui coelestia contemplatur, placidissime in Domino abdormivit. Ad ejus funus multa hominum frequentia occurrit. Vivus ac mortuus ita miraculis inclaruit, ut, accedente

Urbani VIII. Pontificis auctoritate, data fuerit facultas Episcopo Tudertino die xxvi. Septembris an. mdcxxxviii. conficiendi processum de non cultu ejusdem venerabilis servi Dei. Mandatum inscribimus. *Sacra R. C. attentis narratis, et audito R. Promotore Fidei, concessit remissoriales directas Ordinario loci, qui auctoritate ejusdem S. Congregationis procedat, ut petitur, citato semper in quolibet actu sub-promotore Fidei, per eundem Ordinarium delegatum deputando, qui interrogatoria opportuna praebeat pro fabricando processu super non cultu, et observatione decreti S. Inquisitionis, et omnia fiant servatis servandis. Die* xxvi. *Septembris* mdcxxxviii. *Michael a Tugio in bull. capuc. tom. 1. pag. 97. et t. 7. pag. 351.*

C. Epis. Portuensis Card. Pius.

Julius Concius Secret.

Anno vero mdccxxxiii. die iv Julii commissa item fuit cura Episcopo ejusdem civitatis construendi processum apostolicum.

CXXXI. In conventu Luceriae decessit Dionysius Aletinus Sacerdos concionator, ac magister novitiorum, illibatae virginitatis dono praeditus. Maris tempestatem, oratione ad B. Virginem ferventer fusa, mirabiliter sedavit; in provincia S. Angeli Pius Tuticensis sacerdos, oratione et mortificatione commendatus. De rebus divinis tam alte ardenterque disserebat, ut dum aliquando de iis sermonem haberet Tutici, apud quemdam mercatorem in mentis excessum raptus, hoc modo ad coenobium delatus fuerit. Dionysius Aletinus. *De Arembergh p. 346.* Pius Tuticensis. *Idem pag. 447.*

CXXXII. Iis adhaeserunt hoc anno in coelis aliquot ex ordine sacrae virgines. In monasterio S. Antonii Baetiae in provincia Granatensi Antonia de Valencia, nobilibus parentibus Ferdinando Marinque et Joanna ex aula Isabellae Hispaniarum reginae nata, quae adhuc puella de nocte flexis genibus super lectum devote orabat; quam vivendi consuetudinem usque ad mortem retinuit. Ut autem somnum, cum orationi insisteret, arceret, crucem ligneam amplectebatur. Frustulis panis, qui sororibus supererant, pro cibo utebatur. Tertio ante obitus sui anno, licet a Deo caecitate et lepra percussa, nihil tamen remisit de cibi abstinentia, poenitentia, caeterisque poenalitatibus. Eodem anno ibidem decessit Leonora de Torres pientissima virgo, quae brevem carpebat somnum in choro decubans super stoream. Extitit una ex fundatricibus monasterii Canariensis. Antonia de Valencia. *De Torres p. 632.* Leonora de Torres. *Idem pag. 582.*

CXXXIII. In monasterio S. Clarae de Amarante in provincia Portugalliae die iii. Octobris quievit Guiomar soror, silentio, charitate Dei et proximi praestans. Ut Jesu Christi passionem validius recoleret, in majori hebdomada neque dormiebat, neque loquebatur, neque assidebat; in monasterio Fulginei, vulgo *le Margaritelle*, die xii. Novembris coelestia petivit Gabriela a Perusio, in oratione miris exstasibus a Deo ditata; in ecclesia coenobii fratrum capucinorum Matteolae dormitionis quietem accepit die xi. Novembris Clara Malvinda, nobili genere ibidem orta, quae cum capucinorum sub tertia S. Francisci regula se directioni commisisset, corpus jejuniis atterebat, cilicio asperrimo utebatur, et sedulae orationi caeterisque virtutibus animo incumbebat. Morti proxima, lignea Christi Crucifixi statua manu apprehensa, tanto spiritus aestu ipsum Jesum alloquuta est, ut prae lacrymarum ubertate, voce intercepta, haec protulerit inter alia: *Benedicte Pater, Benedicte Pater.* Cutem magna ex Guiomar soror. *Emmanuel a Spe tom. 2. pag 258.* Gabriela a Perusio. *Jacobili ad diem 12. Novembris.* Clara Malvinda. *Boverius tom. 2. pag. 434.*

parte plagis perstrictam reperit quaedem femina illius loci, cum de more ejus virgineum corpus post mortem curaret.

Alexandra de Sabinis.
Tursellini de Lauretana B. Virginis hist. lib. 2. cap. 15. Romae 1597.

CXXXIV. Rapta est hoc anno die xxv. Februarii Alexandra soror tertiaria, nata mense Decembri anno mdxcix. non in oppido Roccbae Contradae, ut scribit Horatius Tursellini, sed in villa de Aprico non longe ab eodem oppido, nunc Arcevia, Senogalliensis dioecesis in Piceno. Patrem habuit Sabinum de Sabinis, et matrem Polisenam agrorum cultores. De ea ita scribit laudatus auctor coevus, licet aliqua ignoraverit, quae nos tamen indubiis monumentis illustrabimus « Sabino (*de Sabinis*) cuidam, *inquit*, » ex pago haud ignobili agri Piceni (Roccam contradam vocant) filia erat » septennis, nomine Alexandra, quae haud longe a pago paternum pascebat » gregem. Haec dum oves pascerentur, sub arboribus venerabunda coelesti » lumine supplicare consueverat. Itaque divinitus nondum septennium e» gressa dicavit se Deo. Quo magistro, dum precibus institit Deiparam » enixe colens, repente obtulit se illi coelesti specie virgo (baud dubie » Dei mater fuit) quae puellae manu praehensa ab eo loco, ipsamet » coelitum regina parvam puellam ad Lauretanam deducit aedem; et in» genti perfusam gaudio ex suae imaginis ac domus aspectu, reducit ad » pascua. Ibi Alexandram, etiam si quae tandem illa aedes, quae virgo » esset, ignoraret, tamen ingens ejus loci et spectaculi desiderium tene» bat. Ergo, ut gustata semel Lauretanae domus dulcedo subibat animam, » flens precibus urgere ac fatigare Sabinum patrem non desinebat, ut ad » aedem illam tot liminibus illustrem (neque enim aliter designare no» verat locum) se duceret, ubi pulcherrima illa virgo habitaret. Elude» bat filiae postulatum pater, sive pueriliter delirare eam ratus, sive » quem tandem locum illa describeret, ignorans. Ceterum haud multo » intermisso tempore evenit, ut Sabinus cum universa familia Lauretum » pergeret. Tum vero Alexandra locum agnoscens, gestire et exultare gau» dio, ac versa ad parentem : *en pater*, inquit, *haec*, *haec illa est* » *domus*, *quo pulcherrima illa virgo*, *candida veste amicta deduxerat*. » *Huc ergo redire*, *hoc spectaculo iterum frui expectabam*. Obstupuit » ad haec pater, et eximiam puellae erga Deiparae religionem animo re» putans, sensit eam B. Virgini esse cordi, ubique cum Dei mater illam » ad se a primis annis inusitata quadam ratione polliceret. Igitur pieta» tem filiae fovere non destitit. Remque omnem, nec ipse tacuit, et Ale» xandra, ubi adolevit, piis hominibus saepe narravit, qui deinde aliis, » ac mihi ipsi retulerunt. Incidit hoc miraculum in annum saeculi hujus » xvii. Nec frustra haec fuerunt. Alexandra dende hoc tirocinio imbuta, » virginitatem perpetuo coluit, vitamque sanctissime egit ad annum no» nagesimum, Lauretanam Virginem quotannis revisens. Tanta porro fuit » sanctimoniae fama, ut in oppido Montalbodo virginum coenobio an» tistita data sit, ubi miraculis etiam, non tantum virtutibus floruit ».

CXXXV. Iis igitur a B. Virgine acceptis, mundo aetatis suae xxii. valedicens, inter sorores de tertio ordine S. Francisci in collegio S. Sebastiani ejusdem oppidi, ingenti animi sui laetitia cooptata fuit, cui ministra praesedit, moramque traxit xxx. annorum spatio. Varia inde, hortatu Marci Vigerii de Ruere Episcopi Senogalliensis, excitavit sanctimonialium monasteria. Omnium primum sub habitu ac S. Clarae regula erexit in laudato oppido S. Sebastiani titulo, quod antea pro orphanis

erat; alterum in oppido Terrae S. Quirici, ac postremum in oppido Montisalboddi sub invocatione Boni Jesu, in quibus, ea praeside, caeteris sororibus se praebuit omnium virtutum exemplar. Post haec anno MDLXXV. jubilaei tempore a Gregorio XIII. indicti Romam pergens, et in Ecclesia apud S. Joannem in Laterano orans, pluvia suavissimorum florum coelestis coloris mirabiliter conspersa fuit.

CXXXVI. Ad suas reversa, ut Lauretanam aedem frequentius visitare posset, Maceratensem Urbem petiit, ubi non multo post ejus sanctitate perspecta, ex majorum voluntate duo item domicilia S. Laurentii nimirum, et S. Rochi, tum pro innuptis virginibus, tum pro mulieribus a turpi quaestu avocatis, a fundamentis erexit. In ea civitate moderatores suae conscientiae habuit e societate Jesu presbyteros, quorum studio magis magisque in dies virtutibus emicans, apud omnes sanctitatis famam sibi conciliavit. Continuo namque orationibus, jejuniis, corporisque macerationibus vacabat. Tanta insuper charitate erga Deum flagrabat, ut saepe in mentis excessus raperetur. Prophetiae interim, miraculorumque dono excelluit. Hinc meritis et virtutibus cumulata, dormitionis requiem accepit in Ecclesia S. Joannis Baptistae ejusdem Societatis ac civitatis, ad cujus funus ingens facta fuit christifidelium frequentia.

CXXXVII. Precibus inde Aloisiae Urbini ducissae, monialium monasterii S. Laurentii, ac universitatis oppidi Rocchae Contradae, Urbani VIII. Pontificis venia, Alexandrae corpus translatum fuit ad Ecclesiam ejusdem monasterii, ad cujus tumulum haec verba inscripta fuere. *Corpus sororis Alexandrae de Sabino ab Ecclesia S. Joannis de Macerata in Piceno, ubi in Domino obdormivit anno* MDLXXXIX. *in Ecclesiam S. Laurentii martyris sanctimonialium S. Francisci tertii ordinis, apud quas sanctae conversationis tyrocinium humiliter egit, superiorum permissu translatum anno Christi* MDCXLI. *Abbatissa Angela Gabriella.* Haec retulimus ex Carolo Maria Pianetti Manuelli auctore vitae ejus editae anno MDCCXXXIII. in civitate Aesii.

CXXXVIII. Duo litteris praestantes obierunt hoc anno. Andegavi decessit Natalis Taillepied Pontisarensis Gallus, et doctor Parisiensis ex minorum observantium, qui senio confectus capucinorum institutum professus est. Anno MDLXXIV. edidit Parisiis apud Sonnium *vitam B. Nicolai de Nisse minoritae Galli, et resolutiones sententiarum Scripturae adversus haereticos modernos*; anno MDLXXVI. ibidem typis Joannis Parant vulgavit *tractatum de anno Jubilaei, et de indulgentiis*; ibidem anno MDLXXVII. *historiam vitae et mortis Martini Lutheri, Andreae Carlostadii, et Petri martyris, et vitam et gesta Theodori Bezae*, quae anno MDLXXX. prodiit Coloniae in latinum versa a Panthaleone Theventino; anno MDLXXXII. apud eumdem Parant typis commisit *commentaria* in lamentationes Jeremiae Prophetae, et anno MDLXXXIII. *commentarium in prophetam Jeremiam*; ibidem *anno* MDLXXXVII. *antiquitates Pontizarenses patriae suae, et perfectam abbatissam Pontizarensis* vulgavit gallice; latine vero praelo ibidem mandavit *antiquitates Rothomagenses*. Scripsit etiam *thesaurum ecclesiae catholicae*. Gallice edidit anno MDLXXXV. apud eumdem *Histoire de l'estat, et republiques des Druides, Eubages, Sarronides, Bardes, Vacies, anciens Francois gouverneurs de la pais de la Gaule depuis le deluge universel jusques a la venua de Jesus Christ en ce monde. Compris en deux liu-*

Wadding. et Sbaralea lit. N.

res contanans leurs loix, police, ordannances tant en l' estat ecclesiastique, que seculier. Escrit nouvellement en francois. Rothomagi anno MDC. vulgatus fuit *Traitè de l' apparition des Esprits à scavoir, des ames reparèes, fantomes, prodiges, et autres accidens merveilleux par frere Noel Taillepied lecteur en theologie.* Bruxellis decessit et hoc anno Petrus de Campis Gallus, antea Franciscanus de Observantia, ac postea capucinus haereticorum maxime insectator; latine scripsit librum *de controversiis fidei contra Calvinistas.* (Sbaralea lit. P.)

CXXXIX. Florebat hoc tempore musicis artibus peritus inter conventuales Ludovicus Balbus Venetus, Patavii electus in templo S. Antonii praefectus modulationum. Hoc anno vulgavit Venetiis *plura sacra, quae in ecclesiis cantari solent musicis notis, concentuque ab eo facta.* (Idem lit. L.) Opus ejus *festorum propriorum ordinis minorum* musice positum in lucem prodivit cura Angeli Borsarii Regiensis tertii ordinis. Minoritae observantes suis litteris ordinem et illustrarunt. Franciscus Everardus Belga, eximius verbi Dei praeco, et primus guardianus coenobii Burgensis, eo missus ad expurgandam ab haeresis labe illam civitatem, hoc anno sub regia Philippi II. potestate, studio ducis Parmensis restitutam, scripsit *historiam* VII. *fratrum Machabaeorum*, quam eruditissimis concionibus illustravit, in quibus adparet qualis se contra haereticos exhibuerit. (Idem lit. F.) Faustinus Tassus edere curavit hoc anno Venetiis a se recognitos *rhytmos italicos veteris poetae Sigibaldi Cini Pistoriensis Sonetti e canzoni di diversi antichi autori Toscani in dieci libri.* (Waddingus et Sbaralea lit. F.) Evangelista Marcellinus Etruscus insignis concionator scripsit *tractatum de conversione peccatoris ad Deum* editum Florentiae, Mantuae, et Venetiis hoc anno; *metamorphosim studiosi viri, expositio in libros Judicum, et corona duodecim stellarum* Venetiis hoc anno apud Juntas; anno MDLXXXI. Camerini in Piceno editum fuit commentarium in Jonam Prophetam, et Florentiae apud Georgium Marescottum *dialogi duodecim virtutum.* Ibidem anno MDLXXXIII. *Sermones quindecim in Psalmum* CIX.; anno MDLXXXIV. apud eumdem commentarium *in Habacuc prophetam.* Etrusca lingua Romae *expositio in Tobiam* apud coenobium aracoelitanum elaborata, ibidem impressa fuit per Georgium Ferrarium anno MDLXXXVII. Ea in Urbe eademque typographia an. MDLXXXV. typis mandata est *concio* ejus Florentiae habita in majore aede feria sexta in Parasceve. Commentarium in *Ruth* item Florentiae an. MDLXXXVI. editum fuit. Venetiis apud Juntas anno MDLXXXVIII. prodiit *concio* Neapoli in archiepiscopali Ecclesia prolata eodem die alterius anni in die item Parasceve. De caeteris ejus operibus ad annum MDXCIII. quo sancte decessit. (Idem lit. E.)

CXL. Post annos ferme quadraginta, die XIII. Aprilis hujusce anni cum apertum esset tumulum fr. Antonii Nigri de tertio ordine, anno MDXLIX. die XIV. Martii defuncti in coenobio S. Mariae de Jesu Netini in provincia Siciliae, inventum fuit ejus corpus incorruptum ac sine ulla sui laesione. (Daza part 4. lib. 3. cap. 36. et seq.) Dicebatur *Niger* sive *Aetyops*, quia toto corpore talis erat, nigrisque parentibus Mauris progenitus; *Sanctus Niger* etiam vocabatur, ob praeclaram apud omnes sanctitatis ejus famam. De eo loquens Waddingus, ait, ipsum floruisse anno MCDVI. (Ann. min. ad an. 1451. num. 61.) Quoniam vero laudati servi Dei acta in annalibus nostris desiderantur, ideo ea hic exscribimus ex processu authentico ter confecto in civitate Netina. Lucem aspexit Antonius in Africa apud montes Barcaeos

ex parentibus Mahumetanae sectae addictis, quorum vivendi normam diu professus est. At eo loci advenientibus christianis captus, et triremibus Siciliae impositus, in eam insulam illatus fuit. Aere inde redemptus a Joanne incola oppidi Landanula prope Netinum, gregia sui custos designatus est. Verum cum Joannes in servo suo cerneret sincerae mentis indolem, animi sagacitatem, morumque elegantiam, maxime cupiebat illum Jesu Christi baptismate regenerari. Piis votis ejus cessit tandem misericors Deus; nam ille a Deo in benedictionibus dulcedinis praeventus, sectae suae nuncium ex corde remisit, baptismatisque lavacrum assumpto nomine Antonii suscepit.

CXLI. Tanta exinde animi alacritate perfectionis semitam arripuit, ut si quamlibet virtutem in alio demiraretur, confestim imitandam sibi impigre proponeret. Abstinentia, vigiliis, austeritatibus, aliisque poenalitatibus carnem edomabat. Quoties prioris vitae sordes mente revocabat, toties in lacrymas diffluebat, veniamque peccatorum suorum a Deo enixe postulabat. Hinc libertate donatus, continuo Netinum se conferebat, ubi sanctis operibus intentus, in deliciis habebat infirmis in nosocomiis inservire, praesto adesse Ecclesiis, ac Missae Sacrificio.

CXLII. Cum autem sanctorum acta sibi legenda, quibus tantopere delectabatur, cuperet, ut eorum vivendi normam assequeretur, ideo exemplo confortatus S. Conradi Placentini tertiarii, olim in ea regione degentis, se habitu tertii ordinis S. Francisci induere statuit. Re igitur collata cum praeside coenobii S. Mariae de Jesu Netini minorum de observantia votique aui ab eo compos factus, mox desertum locum petiit, ubi sibi eremitorio instructo, vitam magis angelicam, quam humanam ducebat. Denique Netinam in Urbem quondam regressus, poenitentia attritus, in morbum incidit, susceptisque summa devotione Ecclesiae Sacramentis, sanctam Deo animam reddidit. Multis in vita et post mortem miraculis inclaruit.

CXLIII. Ob nimiam aquarum copiam fluminis Toriae, qui conterminos agros jam oppleverat, proxima ruina minabatur conventum S. Joannis Baptistae Valentiae. Humi atratia clausurae muris, aqua ad cubitorum altitudinem circiter septem per coenobium defluebat. In tanto vitae discrimine fratres vota sua Deo nuncupabant, flagellis sese caedebant, alterutrique confessionem excipiebant. B. Andreas Hibernon, qui tunc ibidem aderat, nihil de his perturbatus, maxima animi tranquillitate, hilaritateque cellam suam repetens, flexis genibus omnipotentem Deum deprecatus est. Paullo post ab oratione reversus, fratribus dixit: jam Deum ab illa calamitate eos fore erepturum. Quibus prolatis, inundatio cessavit. *Mondina in vita B. Andreae p. 46.*

CXLIV. Laureta filia cujusdam Caretthae e Barensi civitate, oculorum morbo graviter laborans, dum eam mater S. Francisci patrocinio commendat, ac in ejus honorem celebrandum curat, ex edito voto, missae sacrificium, repente a morbo sanatur. Cornelia incola castri S. Bartholomaei apud Brutios ad mortem aegrotans, dum coelitus liquoris vas ab eodemet S. Francisco, ac S. Antonio in visu adparentibus propinatum bibit, ab aegritudine liberatur. Bernardinus Graecus, et Antonius Bausius Blandenses Calabri, Blanda solventes Crotonam versus tenui navigio cum adnavigarent, extemplo quatuor Turcarum triremes non longe positas viderunt. Eo in periculo S. martyrem Danielem, unum ex illis a fratre Elia ge- *Boverius tom. 2. pag. 440.* *Idem pag. 437.*

nerali ordinis Vicario ad infidelium plagas destinatum, unanimes sibimetipsi in auxilium implorant. Praesto adstitit S. Martyr; nam Turcarum triremes ita torpere visae sunt, ut ad illos nunquam, licet vi omni adhibita, accedere potuerint. Blandam inde reversi, vota S. Martyri pie exsolverunt.

Acta SS. ad diem 9. Martii.

CXLV. Jacobus Antonius Arconati nobilis Mediolanensis, ab anno lethalem ob febrem male se habebat ita, ut medici de salute ejus desperarent. Pro Jacobi valetudine matertera ejus comitissa Margarita Triulci Borromaea votum emisit S. Catharinae Bononiensi, et illico aeger sanus factus est ab ea qua detinebatur infirmitate. Idem Jacobus non multo post disuriae morbo ad vitae discrimen adductus, recordatusque similis auxilii sibi a laudata S. Catharina praestiti, edito voto, illico sospitatem recuperavit. Domino Gabrieli Beati medico Bononiensi, in pectore ruptis ramicibus fluxum sistere nequibat; itaque afferri sibi gossypium S. Catharinae mandavit; quod statim pectori admovens, cum omnium adstantium admiratione liberum se dixit ab omni malo.

Acta SS. ad diem 23. Maii, et ad 15. Junii.

CXLVI. Hoc anno in antiquissima aede S. Euphebio sacra, ubi ab anno MDXXX. capucini fratres praesunt, posita extra moenia Neapolis, detectum fuit absque capite sacrum ejusdem S. Euphebii corpus, lignea capsa ferreis laminis obducta, occlusum. Re delata a fr. Evangelista Luppiensi illius coenobii Vicario ad Alexandrum Glorierium Neapolitani regni Apostolicum Nuntium, is pro muneris sui ratione negotium hoc S. R. C. detulit. Inde ex ejusdem Congregationis mandato cum aliis nobilibus viris eo accedens, multis investigationibus adhibitis, subter eamdem aram maximam etiam SS. corpora Maximi et Fortunati episcoporum inventa fuere cum haec epigraphe: *Hic jacent Maximi et Fortunati corpora sub Paulo Primo.* Hinc omnia quae peracta fuerant in eorumdem corporum inventione, quaeque a capucinis desiderabantur, eidem S. Congregationi per suas litteras sic exposuit laudatus Apostolicus Nuntius.

Quemadmodum Illustriss. et Reverendiss. Dominatio vestra mihi mandavit per suas datas XV. *Novembris ex voluntate Sanctitatis Suae contuli me ad S. Euphebium, conventum scilicet horum venerabilium patrum capucinorum, causa inspiciendi locum, ubi requiescunt corpora SS. Euphebii, Fortunati, et Maximi, quae ut possent in locum decentiorem intra idem templum transferri, illi a Sua Beatitudine impetraverant. Est autem mihi monstratus locus subtus altare majus, ubi pro certo credebatur antiquitus repositi; quod etiam quoad gloriosum S. Euphebium confirmabant duae illius marmoreae statuae post dictum altare, quarum antiquior una, alia recentior, utraque autem extensa jacet ad longitudinem ipsius altaris, repraesentans Sanctum in habitu episcopali cum cruce in manu. Jussi autem fornicem altaris retro aperiri, ut diligenter considerarem, quomodo ibidem sepulti essent Sancti; et inveni sub eodem altari majori ejus grandiori pictura intra convexitatem fornicis tres antiquas illorum imagines, coloribus expressas, cum inscriptione nominis unjuscujusque supra caput litteris Longobardicis; nomen vero S. Euphebii sic exprimebatur SANCTUS EFRIMUS. Itaque decretum fuit, ut subtus imagines praedictas cavaretur altare coram me; quod et factum est. Itaque post sublatam incrustationem coloribus variegatam, tribus in locis reperta fuerunt (non intra urnas, aut alterius materiei capsas, sed intra totidem sepulcra*

ibidem fabricata) totidem corporum distincta ossa, perpendiculariter sub uniuscujusque imagine. Hoc solum intererat, quod corpus S. Euphebii esset positum loco eminentiori, quam alia, in suo, ut dixi, fabricato sepulcro, subtus marmoream veterem statuam, cui proxima erat statua altera recentioris operis. Atque ex hac coordinatione judicatum est, ab olim jacuisse sancta corpora, sicut imaginum ordo se habet; quae deinde cum quanta potuimus reverentia, collocata sunt distinctim intra tria vasa in quibus usque modo servantur. Hi patres pro zelo suo desiderantes majori cum magnificentia honorare praedicta gloriosa corpora, animo designaverant exponere illa super altare in tribus distinctis thecis, una majori cristallina arca claudendis, secundum rationem prospectivae; qui locus et forma absque ulla comparatione decentior ac dignior erit, quam prior sepultura. Sed quia Illustriss. Dominatio Vestra jussit ad se prius referri de re tota, dilata translatio est. Interim examen prosequens, praeter indicium imaginum comprobandum, quod in eis subiicere olim corpora eorumdem Sanctorum sint, quorum picturae inveni probationem desumptam ex proprio protectorum hujus civitatis ordinato per Cardinalem Oliverium Carafam bonae memoriae anno MDXXV., *et relato per Davidem Romaeum in libro quem scripsit de vitis ipsorum SS. Patronorum, ac postea per Reverendiss. D. Paulum Regium Episcopum Vicensem, adstipulante iis denique martyrologio Romano. Omitto autem multa miracula, quae successive facta videntur cum magna hujus populi admiratione et devotione per intercessionem S. Euphebii in hac sua ecclesia, vulgariter S. Eufrimii nuncupata, maxime circa expulsionem daemonum, et liberationem energumenorum. Caput S. Euphebii conservatur in thesauro Archiepiscopi Neapolis decenter ornatum in habitu episcopali; et in pictura subtus altari patrum capucinorum, ipse in eodem habitu repraesentatur, medius inter alias duorum Sanctorum imagines, quarum dextera S. Fortunati est, sinistra vero S. Maximi in habitu episcopali similiter expressorum. Fama est, quod dicta patrum capucinorum ecclesiae ipsiusmet gloriosi S. Euphebii oratorium fuerit; idque absque alia ulteriori probatione verosimile facit humilitas fornicis, et obscuritas ecclesiae. Desiderant porro praedicti patres ad alium quemdam suum in hac Urbe locum transferre corpus S. Fortunati aut S. Maximi; quod si annuat Reverendiss. Dominatio Vestra, fiet cum debita solemnitate.*

CXLVII. His litteris acceptis, die xxx. Januarii anni insequentis haec decreta edidit S. Rituum Congregatio.

1. *Quamvis ex epistola D. Glorierii non intelligatur distincte, quod retegendis corporibus SS. Episcoporum Euphebii, Fortunati, et Maximi intervenerint notarii publici ecclesiastici, praesumere tamen vult S. Congregatio velut certum, quod intervenerint, adeoque facta sint omnia ea diligentia in particulari, quae requirebatur, tam in eo, quo actio illa praecessit, modo, quam circa inventionem SS. Corporum, retectionem, situm, signa, et probationes authenticas, aliasque omnes notabiles circumstantias dictae inventionis, recognitionisque. Quod si forte aliquid requisitae diligentiae ommissum est, necessarium erit supplere defectum per attestationem D. Nuntii in bona et plena forma, cui poterunt etiam subscribere aliqui eorum qui praesentes adfuerunt, maxime si fuerint personae religiosae et sacerdotes.*

2. *Nullo autem modo probatur S. Congregationi, ut sancta corpora reponantur in arca crystallina, exponenda super altare, quemadmodum scribitur patres capucinos intendere, cum id a ritu, et usu ecclesiae alienum sit, quae solet SS. corpora tenere sub terra, vel intra altaria, supra quae tremendum sacrificium offertur. Proinde faciendum erit pulchrum altare marmoreum, intra quod, prius rite consecratum, sacra corpora reponantur; sic ut illa collocentur distintim intra tres arculas plumbeas; sin vero aliter videatur intra unam, separatim tamen per intervalla; ipsa autem involvantur sericis pannis coloris convenientis ordinis eorum, puta confessorum vel martyrum; atque intra eamdem capsam seu capsas ponatur lamina aenea cum litteris bene sculptis, continens SS. nomina, et tempus quo istic fuerunt collocati, ac notitiam loci, ex quo translati fuerunt. Facienda praeterea erit tabula marmorea vel aenea, et loco ecclesiae conspicuo affigenda, per quam constet intra ejusmodi altare esse corpora ejusdem Sancti, vel Sanctorum, qui illuc transferrentur, addito expresse id factum de licentia Suae Sanctitatis. Poterunt autem partes aliquae reliquiarum non admodum grandes reservari, et in thecis decentibus inclusae, in eorumdem Sanctorum festis aliisque solemnitatibus populo super altare veneranda exponantur.*

3. *Placet etiam Congregationi, ut boni patres pro sua consolatione unum ex praedictis corporibus transferre possint in novam suam ecclesiam, modo corpus S. Euphebii maneat in ecclesia propria, ubi creditur ejus oratorium fuisse. Translatio autem talis facienda erit magna cum solemnitate, magnificentia, et devotione, procedente toto clero regulari ac saeculari, et interveniente Vice-rege, magistratibusque, nobilibus, ac plebeis, eumque in finem Sanctissimus Dominus plenariam indulgentiam largitur. Quod si D. Archiepiscopus in civitate praesens aderit, conveniet etiam invitari aut omnes, aut aliquos comprovinciales episcopos; nec parum ad honestandam pompam confert praesentia D. Nuntii.*

CXLVIII. Summus Pontifex quaedam statuit pro locis Terrae Sanctae: *Nostri* die xiii Decembris; item pro celebrandis missis in altare S. Didaci missum ad Regem Hispaniarum: *Cum nos* die xviii Martii; mandat, ne ab Ecclesiae S. Francisci minorum observantium Corneti removeatur corpus Cardinalis de Angennes ibidem tumulatum: *Romanus Pontifex* die xviii. Januarii; ut abbatissae juxta ordinis observantium statuta ad triennium eligantur: *Quamquam nos* die xxiv. Martii; ut inter minores observantes eligi possint definitores, licet aetate careant a constitutionibus ordinis requisita: *Exponi nobis* die xii. Aprilis; plura statuit pro bono regimine conventus S. Antonii de Padua minorum conventualium: *Ad fovendos* die xxviii. Martii; adprobat fundationem conventus observantium Passaviae anno transacto peractam ab Epicopo loci: *Piis fidelium* die i Januarii; indulget, ut Evangelista de Furce electus Episcopus S. Agathae Gothorum antequam munus consecrationis suscipiat, aliquibus ex sodalibus conventualibus magisterii gradus conferat: *Ut ordinis* die ii. Junii; ut id etiam praestet in capitulo provinciali Paduae mox celebrando: *Ut inter* die xx. Decembris; ut praesideat anno insequenti eorum capitulo generali Romae habendo: *Cupientes* die xxiii. Augusti; singulis Ecclesiis minorum conventualium indulgentias largitur pro felici exitu laudati capituli: *De salute gregis* die xx. Decembris; concedit indulgentiam plena-

riam audientibus primam missam in Ecclesia S. Francisci Talleacotii Marsicanae dioecesis Propertii Resta episcopi Geruntinen., et Cariaten. ordinis minorum conventualium: *Ad augendam* die I. Junii.

CXLIX. Exemit a solutione vectigalium fratres conventuales Sanctorum XII. Apostolorum de Urbe, et S. Salvatoris in Unda: *Attentae* die VIII. Martii, et moniales B. Elenae Pataviae sub regimine minorum observantium: *Postulat* die XX. Maii; indulget, ut Clara de Phebo, et Elisabeth de Humaro moniales Clarissae se transferant ad moniales S. Joannis Hierosolymitani: *Cum sicut* die IX. Augusti; ut Scholastica Bonamici de Aspra Sabinen. dioecesis, professa in monasterio S. Clarae Reatis possit frui quibusdam reditibus a suo parente sibi relictis pro suis necessitatibus: *Expositum nobis* die XVIII. Septembris.

ARGUMENTUM

In Vaticano Templo Sixtus Pontifex tholum ad perfectionem adducit, ejusque imperio trophaea C. Marii VII. Consulis transferuntur in plateam Capitolinam. Vulgat editionem Sacrae Scripturae. Episcopos ex ordine instituit. Conventuales generale comitium, capucini et observantes generalem congregationem habent. Provincia Albaniae erigitur. Initiatur pax inter Hispanos et Chichimecas. Coenobia notantur custodiae S. Francisci de Zacatecas. Provincia Tusciae dividitur. Excitantur pro fratribus, et monialibus aedes. Martyres, et confessores decedunt. Aliqua narrantur de S. Seraphino a Montegranario capucino. Occumbunt sancte aliquot moniales. Inter viros doctrina praestantes obiit Joannes Nasus Episcopus Brixinensis. Alii florent. Aliqua jubet Summus Pontifex, qui hoc anno fatis cedit. Ejus corpus transfertur ad Basilicam S. Mariae Majoris de Urbe. Ei succedit Urbanus VII., quo defuncto, totius Ecclesiae clavum accipit Gregorius XIV. Prodigia recensentur.

I. Ornatissimus tholus, qui ducibus Jacobo della Porta et Dominico Fontana architectis, adspectabilis cernitur in Vaticana Basilica, Sixti Pontificis placito die XV. Julii anno MDLXXXVIII. incoeptus, hoc anno adhibitis sexcentum coementariis, in mense Majo ad perfectionis culmen adductus fuit. In hemispherio ejusdem tholi haec prostrat inscriptio. *Tempesti tom. 2. lib. 1. n. 30. p. 12.*

S. PETRI GLORIAE SIXTVS PAPA V. AN. MDXC. P. V.

Eo absoluto, Petrus Paulus de Valle sacrae theologiae professor ac provinciae Romanae minorum observantium filius, hortatu S. P. Q. R. eloquentissimam protulit in Aracoelitano templo de Urbe orationem ita inscriptam: *Oratio habita in Templo Aracoelitano, mandante S. P. Q. R. in die, qua ultimo lapide supraposito, admirandus tholus in Apostolorum Principis Templo universali Urbis laetitia fuit absolutus an.* MDXC. *jussu Sixti V.* Haec vulgata fuit Romae hoc anno, quam vidi in bibliotheca Barberiana de Urbe. *Sbaralea de Script. lit. P.*

II. Ejusdem Pontificis nutu hoc anno in plateam Capitolinam de Urbe illata fuerunt C. Marii VII. Consulis trophaea, hoc inciso in basi monumento.

SIXTI. V. PONT. MAX. AVCTORITATE
TROPHAEA. C. MARII. VII. COSS. DE TEVTONIS
ET CIMBRIS. EX. COLLE. ESQVILINO. ET. RVINOSO
AQVAE. OLIM. MARCIAE. CASTELLO.
IN. CAPITOLIVM. TRANSLATA. ERECTIS. BASIBVS
ILLVSTRI. LOCO. STATVENDA. CVRAVERE.
PAVLVS. AEMILIVS. ZEPHYRINVS.
HIERONYMVS. MORONVS. CONSSS.
POMPEIVS. CAVALERIVS.
DOMINICVS. DE. CAPITE. FERREO. PRIOR.
AN. SALVT. M.D.X.C.

Ann. min. ad an. 1586. n. 8. et ad an. 1587. n. 7.

Ciaconius tom. 4. colum. 131.

III. Cum typis Vaticanis excusum esset opus tum graecum, tum latinum LXX. Interpretum Veteris Testamenti, quod absolverat summo labore de mandato Sixti Pontificis Antonius Cardinalis Carafa vir omnimoda laude dignus, hoc anno lucem aspexit iisdem typis etiam Biblia Sacra latina vulgatae editionis Novi et Veteris Testamenti. Initio enim Pontificatus sui emulator eximius Pii IV. et V. decessorum suorum, ut ea emendatissima vulgaretur, selectis aliquot iisque tum sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris demandavit, qui adhibitis veteribus mss. codicibus, inspectisque hebraicis graecisque Bibliorum fontibus, ac consultis veterum Petrum commentariis, illam pristino nitori restituerunt. In hoc opus ipse Sixtus ardenti studio totus incubuit, itaut cum jam esset plene completum, praemissa constitutione quam subjicimus, vulgari mandavit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam

Aeternus ille coelestium, terrestriumque rerum omnium conditor ac moderator Deus, Ecclesiam sanctam, veluti deliciarum paradisum, sua ipsamet dextera tamquam providus agricola, variis plantis, stirpibusque mirifice consevit, simulque uberrimo Sacrarum eandem Scripturarum fonte, pluribus quasi fluviis in universum terrarum orbem diffusa, sic irrigavit, ut sancta mysteria, oraculaque divina, quae sacris continentur libris, sicut in cunctarum gentium salutem parabantur, ita a tribus illis potissimum enunciarentur linguis, quae in omnium auribus nationum maxime percrebuerunt, necnon sanctissimae crucis titulo consecratae, Salvatoris nostri regnum Hebraeis, Graecis, ac Latinis litteris praedicarunt. Verum callidissimus ac nequissimus humani generis hostis, cujus invidia mortis aculeus, cujus superbia peccandi magisterium fuit, nullum non movit lapidem, ut coelestem divini verbi sementem, quantum in ipso erat, aut nascentem opprimeret, aut extirparet enatam, aut adultam vitiaret: id vero praecipue omni conatu, ac machinatione tentavit, ut Sacrorum quaedam corruptissimae Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret, ac populis scoria pro argento, fel draconum

pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque non in haereticis tantum, sed in catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, subortum sit nimium quoddam nec plane laudabile studium, et quasi libido Scripturas latine interpretandi: idem malorum omnium artifex satanas per illos, licet nihil tale cogitantes, ex hac ipsa tam incerta, ac multiplici versionum diversitate et varietate sumpta occasione, sic miscere omnia, atque in dubium revocare, et, si fieri posset, rem eo perducere contendit, ut dum Scripturarum verbis diversi interpretes aliam, atque aliam formam, ac speciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperiri posse videretur, ita ut hoc saeculo valde timendum fuerit, ne in priscum illud editionum chaos rediremus, de quo B. Hieronymus inquit: apud latinos tot sunt exemplaria, quot codices: et unusquisque pro arbitrio suo addidit vel subtraxit, quod ei visum est; et utique non potest verum esse, quod dissonat. Itidemque S. Augustinus dixit, latinos scripturarum interpretes nullo modo numerari posse. Ut enim (ait) cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguae habere videbatur, interpretari ausus est. Quare huic morbo sacrosancta Tridentina Synodus mederi cupiens statuit, ut ex omnibus, quae circumferuntur sacrorum librorum latinis editionibus, ipsa Vetus ac Vulgata, quae longo tot saeculorum usu in ecclesia probata est editio, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat. Haec autem Vulgata editio cum una esset, variis lectionibus in plures quodam modo distracta videbatur. Quarum licet nonnullas, aut veterum codicum, aut SS. Patrum invexisset auctoritas, plurimae nihilominus vel ex injuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impressorum imperitia, vel ex temere emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia, qui Ecclesiae filii cum sint, minus tamen Ecclesiae doctoribus, quam Judaeorum Rabbinis morem sibi gerendum putarunt, vel demum ex haereticorum scholiis ad marginem, captiosisque fallaciis obrepserant. Et quamvis in hac tanta lectionum varietate nihil hucusque repertum sit, quod fidei et morum causis tenebras offundere potuerit, verendum tamen fuit, ne crescente magis ac magis in dies addendi, detrahendique temeritate, haec probatissima Scripturarum editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum, dissentientium consensionem, certissimam in rebus dubiis normam esse oportebat, plerisque contra, schismatis, et haeresis inductio, dubitationum fluctus, involutio quaestionum, discordiarum seges; et piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quod in Septuaginta Interpretum graeca editione B. Hieronymus, in latina vero S. Augustinus olim accidisse commemorant. Tanta autem labes ne adhuc ulterius serperet, sensimque in Vulgatam editionem nostram manaret, sapienter eadem oecumenica Synodus Tridentina decrevit, ut haec ipsa Vetus et Vulgata editio posthac quam emendatissime imprimeretur. Verum quia nihil profuisset hujus editionis auctoritatem gravissimo sanxisse decreto, si illius quae germana esset lectio nesciretur, sacerque textus ita disputantium pateret arbitrio, ut is, qui adversus perfidum hostem, tamquam validissimus mucro districtus fuerat, idem et clypeus fieri posset, quo debilitati jam, caesique hostis latera tegerentur. Id igitur Nos indigne ferentes, eoque in-

In praefat. in Josue, et in praef. quatuor Evangeliorum tom. 3.

Lib. 2. cap. 11. de Doctr christiana tom. 3.

Sess. 4. decreto de editione et usu sacrorum librorum.

In praefat. in Esdram, et Neemiam. Idem in priori praefat. in Parali. tom. 3. Epist. 10. ad Hieronymum t. 2.

dignius, quod per hosce jam viginti duos annos, qui a dicto Tridentini Concilii decreto, ad nostri usque Pontificatus exordium interfluxerant, licet hujusmodi opus aliquando coeptum fuerit, tamen ob alias fortasse occupationes intermissum, nullumque huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat, ac propterea tanto impensiore cura ac studio id prosequendum censentes, quanto magis, et ab omnibus Dei ecclesiis expetitur, et a synagogis satanae reformidatur, cum primum ad Apostolicam B. Petri Sedem divina Nos miseratio, meritis licet imparibus, evocavit, nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore, optatissimam istam Vulgatae editionis emendationem aggrederemur. Itaque viros complures doctos, qui Sanctarum Scripturarum, sacrae theologiae, multarumque linguarum scientia, ac diuturno variarum rerum usu, acrique, cum aliquid discernendum est, judicio, ac solertia praestarent, delegimus, ac simul congregavimus, ut in germana, sinceraque sacri textus editione perquirenda strenue laborarent, Nobisque adjumento forent. Nos enim rei magnitudinem perpendentes, ac provide considerantes ex praecipuo, ac singulari Dei privilegio, et ex vera ac legitima successione Apostolorum Principis B. Petri, pro quo Dominus ac Redemptor noster, ab aeterno Patre pro sua reverentia proculdubio exauditus, non semel tantum, sed semper rogavit, ut ejus fides, non humana carne, et sanguine, sed eodem Patre inspirante ei revelata, numquam deficeret, cui etiam Dominus injunxit, ut caeteros Apostolos in eadem fide confirmaret: qui denique, sicuti confidimus, divinam pro Nobis opem usque ad consummationem saeculi, Ecclesiae Catholicae promissam, implorare non cessat, ad Nos in ejusdem Petri cathedra, in qua ejus vivit potestas, et excellit auctoritas, Deo sic disponente, constitutos, totum hoc judicium proprie ac specialiter pertinere, Dei omnipotentis auxilio suppliciter invocato, et ipsius Apostolorum Principis auctoritate confisi, ob publicam sanctae Dei Ecclesiae utilitatem haudquaquam gravati sumus, inter alias pontificiae solicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratae lucubrationis laborem suscipere, atque ea omnia perlegere, quae alii collegerant, aut senserant, diversarum lectionum rationes perpendere, SS. Doctorum sententias recognoscere, quae quibus anteferenda essent, dijudicare ideo, ut in hoc laboriosissimae emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, Noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum, deligendo; ita tamen ut veterem multis in Ecclesia ab hinc saeculis receptam lectionem omnino retinuerimus. Novam interea typographiam in Apostolico Vaticano palatio nostro ad id potissimum magnifice extruximus, atque ad ejus curam, congregationem aliquot S. R. E. Cardinalium, et insigne collegium doctissimorum virorum fere ex omnibus christiani orbis nationibus, et celeberrimis studiorum generalium universitatibus, amplis opulentibusque reditibus dotatum deputavimus, ut in ea emendatum jam Bibliorum volumen excuderetur; eaque res quo magis incorrupte perficeretur, nostra Nos ipsi manu correximus, si qua praelo vitia obrepserunt, et, quae confusa, aut facile confundi posse videbantur, ea intervallo scripturae, ac majoribus notis, et interpunctione distinximus. Ceterum nostri ne hujus consilii, institutique rationes ignorentur, sed potius universae ecclesiae catholicae, ipsique po-

Hebr. 5.

Lucae 22.

S. Leo serm. in nativit. SS. Petri et Pauli.

steritati notissimae, ac testatissimae relinquantur, cunctique facile intelligant, quisnam ordo in hoc opere conficiendo, quae lex ac methodus inita, quae indagandi veri norma a Nobis servata sit, illud sane omnibus certum, atque exploratum esse volumus, nostros hos labores, ac vigilias numquam eo spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut Vulgata vetus ex Tridentinae Synodi praescripto, emandatissima, pristinaeque suae puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu, styloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur. In hac autem germani textus pervestigatione, satis perspicue inter omnes constat, nullum argumentum esse certius, ac firmius, quam antiquorum probatorumque codicum latinorum fidem, quos tam impressos, quam manuscriptos ex Bibliothecis conquirendos curavimus. In quacumque igitur lectione plures vetustiores, atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea jure optimo tamquam primigenii textus verba, aut his maxime finitima retinenda decrevimus. Id vero ad germanam editionem constabiliendam, praesidium sicubi desideratum est, tum SS. Patrum, veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa dcripturarum loca, et libros illustrarunt, subsidio fuere: in quibus, quidquid e re nostra observatum fuit, id in hujus operis partem adscitum est. In iis tandem, quae neque Codicum, neque Doctorum magna consensione satis munita videbatur, ad hebraeorum, graecorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde latini interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum locum, quae cum apud latinos ambigua sint, potuissent, quo non oporteret, inflecti, certum aliquid, atque indubitatum sufficeretur, sive aut quod apud Nos variantibus codicibus inconstans, diversum ac multiplex erat id uniforme, consonum, uniusque modi, ipsorum fontium veritate perspecta, sanciretur. Sapienter enim B. Hieronymus in explanandis Sacris Scripturis Doctor Maximus admonebat, ut quemadmodum in Novo Testamento, si quando apud latinos quaestio exoritur, et est inter exemplaria varietas, ad fontem graeci sermonis, quo Novum Testamentum est scriptum, recurri solet: ita si quando inter graecos, latinosque diversitas est in Veteri Testamento, tunc ad hebraeam recurramus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quaeramus in rivulis: quod etiam B. Augustinus iis, qui scripturam tractant, inter alias regulas tradidit. Laudabilem itaque SS. Patrum consuetudinem religiose secuti sumus, dum in iis, quae apud latinos nimis ambigue dicta seu variata habentur, hebraeae, graecaeque linguae fidem, et codices inspeximus; sed, ne id licentius fieret quam aequum erat, solers cautio adhibita fuit. Neque enim ignoramus multos esse, qui plerasque latinae hujus editionis voces, ac locutiones, proprie aut tamquam verbis ad verba demensis, a latino interprete verti potuisse existiment. Verum de his minuta nimium et angusta concertatio videtur: neque enim tanti sunt, ut non iis et antiquioris Ecclesiae religio, et sanctissimorum Patrum jure anteponatur auctoritas: prorsusque indignum est, B. Gregorio teste, ut sub Donati regulis verba coelestis oraculi restringantur; at tanta per se est Vulgatae editionis auctoritas, tamque excellens praestantia, ut majorem desiderare penitus inane videatur. Qui namque in ea libri continentur (ut a majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) retenti sunt partim ex communi, et antiquissima quadam editione latina, quam S. Hieronymus

In epist. ad Suniam, et Fretelam tom. 3.

Lib. 2. de doct. christ. cap. 14. et 15. tom. 3. et lib. 11. contra Faustum cap. 2. tom. 6.

Epist. ad Leandrum in exposit. Job cap. 5.

Commen. in Isaiam cap. 49. tom. 4. Lib. 2. de doctr. chri. tom. 3. cap. 15. Epist ad Leandrum in exposit. Job ib.

Vulgatam editionem, B. Augustinus Italam, S. Gregorius Veterem translationem appellant, quam S. itidem Augustinus caeteris, quae tunc plurimae in usu erant, etiam praeferendam censuit, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiae; partim ex S. Hieronymi translatione adsciti fuere, quibus idcirco quantus honor deferendus sit, is facile intelligit, qui eorum interpretis dignitatem agnoscit. Fuit enim S. Hieronymus (ut inter caeteros idem B. Augustinus testatur) graeco, latino, et hebraeo eruditus eloquio, et ex occidentali ad orientalem transiens ecclesiam, in locis sanctis, litterisque sacris, ad decrepitam usque vixit aetatem; atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina ecclesiastica scripserant, pene vidit, aut legit: eumque non modo Augustinus, Chromatius, Paulinus, caeterique sanctissimi Episcopi, sed etiam Damasus Pontifex Romanus de scripturarum locis consulebant. Nec immerito tantam apud omnes nominis celebritatem, in sanctarum praesertim scripturarum scientia adeptus fuerat. Cum ad eam consequendam, nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, et doctissimos quosque in Gallia audierit: Constantinopoli Gregorium Naziazenum, Alexandriae Didymum, et alios alibi conquisiverit, usus denique clarissimis hebraeae linguae magistris: non enim uno aliquo Doctore contentus fuit, sed plurimos, eosque eruditissimos adhibebat: non rerum modo, verum etiam nominum sedulus indagator. Quinimmo et loca ipsa, quae in scripturis saepe commemorantur, inspexit, idque ad intelligentiam scripturarum summopere sibi profuisse testatur. Quicumque igitur tanti interpretis sanctitatem, ingenium, eruditionem, solertiam, magistros, labores, illud in quo vixit, saeculum, cum linguarum omnium, ac praesertim hebraicae studia florerent, diligenter spectaverint; facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, aut etiam meliora, seu paria praestare se posse confidunt. Multo sane rectius S. Isidorus, venerabilis Beda presbyter, S. Remigius, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus Maurus, S. Anselmus, B. Bernardus, Haymo, Richardus, et Hugo Victorini, Petrus Cluniacensis, Rupertus Abbas, aliique complures egregii doctores, qui per mille abhinc annos in Ecclesia claruerunt, qui Hieronymi versione ita in omnibus disputationibus, enarrationibus, declamationibus usi sunt, ut ceterae, quae pene innumerabiles erant, quasi lapsae de catholicorum Patrum manibus obsoleverint. Ideoque legimus apud S. Isidorum, quoniam de hebraeo in latinum eloquium S. tantummodo Hieronymus Sacras Scripturas convertit, ejus editione generaliter omnes Ecclesias usquequaque uti, eo quod veracior est in sententiis, et clarior in verbis. Et ante Isidorum B. Gregorius Magnus fere idem senserat. Nec latini modo Patres, sed Hebraei quoque, Graecique cum latinos alios interpretes negligant, aut ignorent, Hieronymum tamen amplissimo suo testimonio, et honore dignum esse censuerunt. Nam de Hebraeis idem Augustinus: de Graecis autem ipsemet S. Hieronymus scribit, a Sophronio viro optime erudito Psalterium et Prophetas, quos Hieronymus ex hebraeo in latinum verterat, in graecum eleganti sermone translatos fuisse. Quemadmodum ergo laudabile est ubicumque nostri codices ipsi per se aut conciliari, aut intelligi non possunt, linguarum externarum praesidia quaerere; ita cum id necessarium

Lib. 1. contra Julianum Pelagianum t. 7.

In praefat. libri Paralipomenon ad Domnionem, et Rogatianum t. 3.

Lib. 1. de officiis divinis cap. 12.

Lib. 20 Moral cap. 24. tom. 2.

Lib. 18. de civit. Dei cap. 24. tom. 2.

De viris illust. in Sophronio.

non est, levissimis de causis majorum nostrorum sanctitatem, sapientiam, consensum, vetustissimamque Ecclesiae consuetudinem non vereri, temeritas plane, pertinaciaque censenda est. Atque idcirco B. Hieronymus, qui Hebraeos, Graecosque interrogandos esse dubiis in rebus admonet, idem etiam sentit, eo nonnisi parce, et quanto rarius fieri potest (ne, quae longo recepta sunt usu, fluctuent) recurrendum. Qua de causa ad Novi Testamenti translationem, quamvis hortante Damaso Pontifice, tardior fuit, pium appellans laborem, sed periculosam praesumptionem judicandum, senis mutare linguam, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen sumpserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, falsarium illum clamitans, et sacrilegum, qui audeat in veteribus litteris addere, mutare, corrigere? Notissimumque est illud de Jonae cucurbita, quae in veteri editione legebatur; pro qua cum Hieronymus hederam posuisset, quodam in Africa episcopo interpretationem Hieronymi in ecclesia lectitante, factus est tantus tumultus in plebe propter unius verbi dissonantiam, ut coactus sit Episcopus, ne sacerdotio dejiceretur, damnare quod legerat. Quare merito sacra Tridentina Synodus veteris Vulgatae editionis libros non aliter, quam prout in Ecclesia legi consueverunt, pro canonicis suscipiendos decrevit. Nos autem, ut haec Vetus editio quae nunc prodit nostro excusa praela, ejusdem Synodi praescripto modis omnibus responderet, non solum veteres, et ab Ecclesia receptos loquendi modos conservavimus, sed etiam apocrypha rejecimus, authentica retinuimus. Nam tertium et quartum Esdrae libros inscriptos, et tertium Machabaeorum, quos Synodus inter canonicos non annumerat, assentientibus etiam in hoc praedictis Cardinalibus congregationis super typographia Vaticana deputatae, ab hac editione prorsus explosimus. Orationem etiam Manassae, quae neque in hebraeo, neque in graeco textu est, neque in antiquioribus manuscriptis latinis exemplaribus reperitur, sed in impressis tantum post librum secundum Paralipomenon affixa est, tamquam insutam, adjectam, et in textu sacrorum librorum locum non habentem, repudiavimus. Nonnullas etiam aliquando sententias, quae aliunde accersitae, Vulgatae editioni interpositae erant, neque in antiquis exemplaribus, neque in SS. Patrum commentariis inveniebantur, delevimus. Hanc denique editionem a variis, qui vitio multorum irrepserant, erroribus accurate emendavimus, et purgavimus, atque in pristinam veritatem summa diligentia restituimus. Neque vero est quod quispiam miretur, si aliqua Sacrae Scripturae loca aliter in sanctis quibusdam Doctoribus legerit, quam in hac editione conscripta sunt. Nam Ambrosius, Augustinus, et alii plurimi Septuaginta Interpretum editionem plerumque secuti fuerunt. Ad laudem igitur, et gloriam omnipotentis Dei, catholicae fidei conservationem, et incrementum, ac sacrosanctae universalis Ecclesiae utilitatem, hac nostra perpetuo valitura constitutione, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super typographia Vaticana deputatorum consilio et assensu, quorum opera et industria, in hac ipsa Vulgatae editionis emendatione, in rebus praesertim gravioribus usi sumus, et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine statuimus, ac declaramus, eam Vulgatam sacrae, tam veteris, quam novi Testamenti

Epist. 10. et 11. tom. 1.

Sess. 4.

paginae Latinam editionem, quae pro authentica a Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione, aut controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optime fieri potuit, emendatam, et in Vaticana typographia impressam, in universa christiana republica, atque in omnibus christiani orbis Ecclesiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem universali sanctae Ecclesiae, ac SS. Patrum consensione, deinde vero generalis concilii Tridentini decreto, nunc denum etiam apostolica Nobis a Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica, et indubitata, in omnibus publicis, privatisque disputationibus, lectionibus, praedicationibus, et explanationibus recipiendam, et tenendam esse. Districtius vero inhibemus, ne umquam perpetuis futuris temporibus, novae Vulgatae editionis posthac Bibliorum sine expressa Apostolicae Sedis licentia textus imprimatur: neve quisquam privato, aut suo sensu peculiari aliam editionem sibi confingere, neve hanc ipsam veterem Vulgatam a nobis, ut praefertur, restitutam editionem, intra decem annos a data praesentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi, quam in nostra typographia Vaticana, imprimere audeat, vel praesumat. Elapso autem praefato decennio, eam exutionem adhiberi praecipimus ut nemo Sanctas Scripturas typis mandare praesumat, nisi habito prius excuso, eodemque Inquisitoris haereticae pravitatis ejus provinciae, vel si Inquisitor in ea provincia non sit deputatus, Episcopi ejusdem loci manu propria subscripto, juxta illud, ne minima quidem particula mutata, addita, vel detracta. Postquam vero libri sacri sic fideliter excusi fuerint, nec tunc quidem vendantur, aut evulgentur nisi prius delato rursus ad Inquisitorem, vel deficiente Inquisitore, ad Episcopum exemplari ab eis antea subscripto, iidem libri juxta illud impressi, cum eo diligenter et accurate collati, et Inquisitoris, vel in eventum praedictum, Episcopi signo, aut chirographo quod inter se prorsus concordent fidem faciente, et attestante, approbati extiterint. Verum, quoniam ex variis, quae hactenus ad marginem adscribi consueverant, lectionibus, illud sequitur incommodi ac molestiae, quod, cum primum hujusmodi varietas oculis objicitur, lectoris animum ab eo, quod tunc instat agendum, avocat, illumque alieno plane tempore ad ea, quae in codicibus dissonant, inter se conferenda traducit, nec facile est in tanta lectionum multiplicitate scripturas in offenso pede percurrere, et ea quasi silva diversitatis oblata quae quibus praeponenda sint, internoscere; Nos optimum factu piisque omnibus gratum fore arbitrati, ut Ecclesiae filii ab his perplexitatibus, ejusdem Ecclesiae judicio, liberentur, utque eos, quibus unum baptisma, una fides, una spes vocationis est, dissentiens non dividat lectio scripturarum, quarum potissimum indifferens consensio eos debuit in unitatem spiritus copulare; (Ephes. 4.) *auctoritate et tenore praemissis mandamus, ut Vulgatae editionis Biblia post hac nonnisi uniformia imprimantur, nec aliquid a textu diversum in margine scribatur. Quae vero antehac quibuscumque in locis impressa sunt, juxta hunc nostrum textum ad verbum, et ad litteram corrigantur. Idque tam in impressis, quam in imprimendis Missalibus, Breviariis, Officiis B. Mariae Virginis, Psalteriis, Ritualibus Pontificalibus, Caeremonialibus, et aliis ecclesiasticis libris, quoad eas tantum scripturae lectiones, et verba, quae ex Vulgata editione sumpta atque in eisdem libris inserta fuisse constat, ubique servetur. Si quis au-*

tem typographus in quibuscumque regnis, civitatibus, provinciis, et locis tam nostrae, et S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quam non subjectis, Biblia, Sacramque Scripturam intra decennium praedictum quoquomodo; lapso autem decennio aliter quam juxta hujusmodi exemplar ab Inquisitore, seu, in ejus defectum, ab Episcopo sibi tradendum, etiam minima aliqua particula mutata, addita, vel detracta, aut ad marginem, vel in textu adscripta, etiam per modum scholiorum, annotationum, vel glossae typis mandare, aut sic quidem codices impressos, et emendatos, sine tamen dicto signo, et attestatione quod cum priori exemplari, sibi, ut praefertur, tradito concordent, vendere, venales habere, aut alias edere, vel evulgare; aut, si quis bibliopola a se, vel ab aliis quibusvis, etiam ad hanc usque diem, vel in futurum, ante, vel post datam praesentium litterarum impressos libros, seu imprimendos, a praefata per Nos restituta et correcta editione, in aliquo discrepantes, vel juxta eam ad unguem non emendatos, ac simili Inquisitoris, seu Episcopi subscriptione non approbatos, seu cum additionibus, aut variis lectionibus ad marginem conscriptis excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare praesumpserit; is qui in supradictis casibus, sive eorum quolibet nostrae huic constitutioni non paruerit, ultra amissionem omnium librorum, et alias temporales, arbitrio infligendas poenas, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurret, a qua, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam pro tempore existente Romano Pontifice absolvi non possit. Quod si Inquisitor, aut Episcopus aliud exemplar ab eo, quod in Vaticana typographia impressum est, quoquomodo discordans, typographo ad imprimendum tradiderit, vel impressum sub signo, aut subscriptione approbaverit, quod revera ab eo discordet; in eum, si antistes fuerit, etiamsi Archiepiscopali, Primatiali, Patriarchali, vel alia majori praefulgeat dignitate, interdicti ingressus ecclesiae; si autem inferior, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam ex nunc per praesentes ferimus, ita ut ab alio, quam a Romano Pontifice absolutionis, aut relaxationis beneficium consequi nequeat. Et nihilominus tam Inquisitor, seu Episcopus ipse, qui hujusmodi libros a praefata impressione Vaticana differentes approbaverit, quam etiam typographus, seu bibliopola, qui nostris superius expressis praeceptis, ac prohibitionibus in aliquo non obtemperaverit, in congregatione Cardinalium sanctae Romanae et universalis Inquisitionis adversus haereticam pravitatem pro tempore deputatorum; seu coram judice, vel judicibus ab eadem congregatione delegatis, de hujusmodi facto in districto judicio rationem reddere teneatur, ac pro modo culpae severis poenis ejusdem congregationis, seu judicis, vel judicum ab ea deputandorum arbitrio puniatur. Ceterum si manuscripta, vel impressa Biblia hujus etiam vulgatae editionis, ob characterum venustatem, seu ob aliquod insigne Codicis ornamentum, sive ob impressionis praestantiam, vel ob notationes ad marginem scriptas asservantur, et juxta nostrum hoc exmplar emanduta non fuerint, ea in iis, quae huic nostrae editioni non consenserint, nullam in posterum fidem, nullamque auctoritatem habitura esse decernimus, ac declaramus: mandantes universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ecclesiarum et locorum etiam Regularium Praelatis, per universum orbem constitutis, ut praesentem constitutionem in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus, et jurisdictionibus curent

perpetuo, firmiter et inviolate ab omnibus observari, contradictores et inobedientes per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii saecularis, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, atque in generalibus, provincialibus, vel synodalibus conciliis editis, necnon quarumcumque ecclesiarum, ordinum, congregationum, collegiorum, atque universitatum, etiam studiorum generalium, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore pacifice observatis, privilegiis, quoque, indultis, et litteris apostolicis, illis, eorumque, vel earum praelatis, superioribus, et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Nos, et sedem praedictam motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, et alias sub quibuscumque tenoribus et formis; et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie quomodolibet concessis, et saepius approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur exprese, quod illis nullatenus, aut nonnisi de consensu certarum personarum, vel nisi sub certis modo et forma inibi expressis, derogari possit, et alias factae derogationes nullae sint eo ipso ac pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret. Tenores hujusmodi pro expressis habentes ad effectum praesentium dumtaxat, derogamus, ac nolumus illa cuiquam adversus praemissa in aliquo suffragari; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem praesentes litteras in valvis Basilicae Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae apostolicae de more publicari, et intra quatuor menses, eos, qui citra montes, sunt; qui vero ultra montes, intra octo menses a die publicationis hujusmodi numerandos perinde arctare, et efficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent: decernentes ut earum transumpsis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, ac sigillo praelati ecclesiastici obsignatis, eadem ubique habeatur fides, quae ipsis originalibus exhibitis, vel ostensis haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, declarationis, decretorum, voluntatum, prohibitionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVIII. *calendis Martii Pontificatus nostri anno* V.

In praef. ejusdem editionis. IV. Excuso hoc Sacrorum Bibliorum codice, cum Pontifex aliqua in eo deesse, et alia incuriosius praeli vitio irrepsisse deprehendisset, plura sua manu emendavit, ac opus ad incudem revocari praecepit. At morte praeventus, Clementis VIII. solicitudine, sub Sixti V. nomine anno MDXCII. prodivit. Meotitur igitur Lauoojus dum scribit, editam Romae a Sixto Pontifice Bibliam simulque constitutionem eidem praefixam, a

Launojus tom. 3. pars. 1. p. 272.

Romanis Pontificibus Sixti successoribus vetitam fuisse, quia in ipsa mendae et errores reperti fuerunt.

V. Picensium civitates eidem Sixto de Lauretana B. Virginis cella, templo, S. R. Ecclesiae cardinalibus ejusdem provinciae optime merito, insignem statuam ex aere erigendam curarunt, quae hoc anno Bernardini de Calcaneis nobilis Recinetensis manu pulcherrime elaborata, maxima accolarum frequentia est posita. In ejus stylobata haec incisa sunt.

SIXTO. QVINTO. PICENO
PONT. MAX.

QVOD. INCOMPARABILI. IVSTITIA. ET. ANIMI. FORTITVDINE. SVBLATIS. VNDIQ. IMPROBIS. QVIETEM. PROVINCIAE. COMPARAVERIT. QVOD. POPVLV. ARCTIORI. DEFATIGATVM. ANNONA. RERVM. COPIAM. SVPPEDITANDO. LEVAVERIT. QVOD. PROVINCIAM. ADAVCTIS. AMPLIATISQVE. CIVITATIBVS. DECORAVERIT. PICENAE. LEGATONIS. POPVLI. MEMORI. ANIMO. DD. PONTIFICATVS. SVI. ANNO. TERTIO. MDLXXXVIII. JVLIO SCLAF. MED. PRESIDE.

SIXTO. QVINTO. PONT. MAX.
PICENTI

PICENTES. AD. PERPETVVM. GRATIARVM. MONVMENTVM. OB. PROVINCIALES. ALEX. PERETTVM. P. NEPOTE. ANT. MARIA. GALLVM. AVXIMANVM. FR. CONSTANTIVM. SARNVM. SARNANENSEM. EVANGELISTA. PALLOTVM CALDAROLENSEM. MARIANVM. PERBENEDICTVM. CAMERTEM. FR. GREGORIVM. PETROCCHIVM. ELPARENSEM. a. R. E. CARD. CREATOS. AERE, LIBENTISSIME. COLLATO. PONI. CURARVNT. MDLXXXX.

VI. Ad Ecclesias Ariensem et Chissamensem in Creta electum fuisse ab eodem Pontifice episcopum Bernardum Quirinum Venetum ex ordine minorum conventualium tradit Flaminus Cornelii, cui adstipulatur etiam Hyacinthus Sbaralea in chronologia Episcoporum ordinis. Circa haec tempora episcopale munus inter observantes suscepit Ricchardus Brudaeus Cavanensis Hibernus, ecclesiae Kelmorensis in eadem Hibernia; anno MDCI. mense Octobris una cum aliis sodalibus captus fuit ab haereticis. *Flaminius Cornelii tom. 6. p. 296.* *Ann. min. ad an. 1236, n. 9 et ad an. 1395. n. 3.*

VII. Minores conventuales habuerunt hoc anno die IX. Junii in Urbe generale comitium, ubi praeside Hieronymo de Rnere: *Licet nos* die XXX. Maii ordinis patrono, supremum administrum salutarunt Julianum Causi de Moleano Picenum, a Pontifice: *Cum tu* die XIII. Junii confirmatum; Procurator vero generalis delectus est Ludovicus Albutius de Sarqno. Illo duodecimo post die defuncto, vocales qui nondum abierant, generalatus munus contulerunt Francisco Bonfigli de Gualdo ex S. Francisci provincia, cui Pontifex facultatem concessit: *Cum tu* die XXI. Julii, ut in singulis provinciis magisterii insignia aliquibus suis conferret, illumque in officio confirmavit: *Cum tu* die XXV. Julii. Cum hoc eodem anno e vivis ereptus esset Dionysius Columba tertii ordinis S. Francisci claustralium supremus administer, eo in munere suffectus est a Pontifice: *Cum sicut* die XX. Januarii Seraphinus Masnago Mediolanensis. *Benoffi pag. 278.* *Idem pag. 33.*

VIII. In hujus anni exordio minores etiam capucini suam indixerunt in Urbe generalem congregationem, in qua praeside Hieronymo a Politio supremo ordinis praefecto, assumptus fuit ad procuratoria officium Bonaventura a Monteregali ex S. Francisci provincia. Patrum decreto divisa *Boverius tom. 2. pag. 441.*

fuit provincia S. Nicolai a Saleutinorum provincia; illa S. Nicolai nomen retinuit, haec S. Mariae de Finibus Terrae sortita est.

Ex chronologia ordinis tom. 1. pagina 343.

IX. In coenobio S. Mariae Novae Neapolis, indicta a ministro generali ordinis minorum de observantia Francisco a Tolosa congregatione generali, ex dispensatione Pontificis iterum confirmatus fuit Thomas a Massa in munere commissarii cismontanae familiae: *Cum sicut* die xii. Junii. Procurator generalis electus est Ferdinandus Ximenez provinciae Carthaginensis, commissarius in curia Romana Angelus de Piona S. Francisci minister. In generales definitores instituti sunt Claudius Medulla secundo minister provinciae Mediolanensis, Augustinus Rivarola de Spedia provinciae Genuae, Theodorus a Bononia, Valentinus Triccins Germaniae commissarius, Antonius Nolanus guardianus S. Mariae Novae Neapolis, Laurentius Galatiuus provinciae S. Nicolai. Nicolaus Benveuutus electus est minister provinciae Candiae. Guardiani officium susceperunt pro conventu Hierosolymitano Franciscus de Ispello, designatus etiam commissarius totius Terrae Sanctae; pro conventu S. Mariae de Aracoeli Urbis Ludovicus a Petracuta provinciae Marchiae; pro conventu S. Clarae Neapolis Joannes a Bergomo provinciae S. Antonii, institutus etiam commissarius monasteriorum monialium ejusdem regni; apud monasterium S. Mariae Magdaleuae laudatae civitatis Franciscus a Mathilica proviuciae Marchiae; apud monasterium monialium S. Mariae Aegyptiacae item Neapolis Felix a Fracta provinciae S. Francisci, Constantinopolis Clemens a Melficto provinciae S. Nicolai.

X. Sunt litterae generalis ministri, quibus jubet, ut ea quae in hac congregatione sancita fuere, ab omnibus observarentur.

F. Franciscus a Tolosa totius Ordinis Minorum S. Francisci Generalis Minister et servus.

Dilectis nobis in Christo universis et singulis familiae nostrae cismontanae professoribus salutem et paternam benedictionem.

Familia nostra Cismontana, ut pristino sanctioris observantiae decori, et multarum virtutum splendori non restituatur solum, sed in dies etiam et moribus castissimis, et vitae innocentia, et christianis virtutibus, et regularibus SS. Patrum institutis, ac omni denique optima disciplina magis augeatur in Domino, nos pro ministerii nostri ratione magnopere quidem peroptantes, haec pro Dei gloria, proque animarum salute ad reformandos mores, et restaurandam regularis vitae disciplinam, prudenti ac propenso Patrum consilio, et unanimi consensu statuta, constitutiones et decreta confecimus, aliisque superiorum temporum generalibus statutis et ordinationibus addenda decrevimus, et addita universis patribus, ministris, et custodibus, in celeberrimo conventu nostro S. Mariae Novae Neapolitanae in Spiritu Sancto legitime congregatis promulganda curavimus. Nunc vero superest, ut hisce piis studiis, laboribus, et vigiliis nostris, ea qua decet animi pietate et religione in his praestandis, et in usum et consuetudinem diligenter inducendis, praesto sint prompta vestra voluntas, obedientia, studium, solicitudo, atque omne officium, ut et poenas cavere, et magna vestrae pietatis et obedientiae proemia consequi vuleatis in Domino. Valete, nosque in ferendo nostrae servitutis onere vestris orationibus adjuvate.

Ex praefato conventu nostro S. Mariae Novae Neapolitanae die xv. *Julii* mdxc.

LEGES EDITAE IN CONGREGATIONE NEAPOLIS.

XI. 1. « Sint privati voce activa et passiva per biennium, qui legi- » time non impediti, vel exempti per statuta generalia, non interfue- » rint ad omnes horas canonicas ».

2. » Sub poena privationis officii, guardiani curent, ut nemo sine li- » centia exeat a choro, eosque corrigant, qui ante signum campanae »d » chorum non vadunt ad praeparanda corda Domino ».

3. » Qui orationi mentali una cum aliis non vacaverit, singulis vi- » cibus faciat disciplinam. Si neglgentior fuerit, careat biennio voce ac- » tiva, et passiva. Guardiani aut ministri, qui id non curaverint, pri- » ventur officiis ».

4. » Habeatur ut proprietarius praedicator, qui per se, vel alium elee- » mosinas procuraverit. Ex sponte oblatae impendantur juxta statuta su- » periora; secus tam praedicatores, quam guardiani sint privati qua- » driennio voce activa et passiva ».

5. » Confessarii, qui legitime indicati fuerint, praetextu confessionis » pecuniam recepisse, arceantur ad veritatem dicendam. Convicti priven- » tur officio in perpetuum, et subjaceant poenae in proprietarios ».

6. » Guardiani, qui ab eisdem petierint pecunias, aut eis faverint, » amoveantur ab officiis ».

7. » Eleemosynae, quas poenitens pro sua pietate offerre voluerit, re- » mittantur ad arcam sacristiae auctoritate apostolica concessam, vel ad » procuratorem conventus ».

8. » Apponantur ad singula confessionalia laminae ferrae cum parvis fo- » raminibus, per quae pecunia trasmitti nequeat, easque visitent mini- » stri, qui ab audiendis confessionibus suspendant perpetuo, et proprie- » tarii poena afficiant eum, quem repererit laminas fregisse; secus mini- » stri ipsi officiis priventur ».

9. » Non audiantur confessiones virorum saecularium in privatis cubi- » culis, sed in ecclesia vel patenti loco. Mulierum vero nonnisi ad lami- » nas ferreas sub poena suspensionis a confessionibus audiendis ».

10. » Irrita sit electio guardiani non facta per ministrum et definito- » res congregatos in definitoriis, sive generalibus, sive provincialibus » etiam extra tempus. In hoc electus inhabilis sit per triennium ad illud, » et quodvis aliud officium ».

11. » Minister, et commissarius generales in conventibus sibi subjectis » possint extra capitulum vel congregationem substituere guardiano de- » functo guardianum alium, donec definitorum generalium consensum » habeant voce vel scripto ».

12. » Ministri provinciales ex consilio definitorum et patrum praescribant » in singulis conventibus numerum fratrum, asservandum in archivo pro- » vinciae, ratione habita eleemosynae, qua fratres ali possunt. Nec nume- » rus augeatur, nisi accedente communi consensu eorumdem patrum ».

13. » Guardiani habeant sigillum conventus, constitutiones tam gene- » rales, quam provinciales legendas praescripto in ipsis tempore, ac re- » gulam legendam cum testamento B. Francisci singulis sextis feriis, sub » poena privationis officii, et vocis activae ac passivae per triennium. Ea » omnia haec assignent praesidi conventus, dum pergant ad capitulum ».

14. » Praeses conventus ea resignet guardiano successori, nec antea » a conventu discedat, sub poenis eisdem ».

15. » Priventur officiis, quae obtinent, et declarentur inhabiles ad » alia omnes ii, qui non servaverint vitam communem.

16. » Ministri semel saltem quolibet anno, assumptis secum duobus » antiquioribus discretis, visitent cellas singulorum fratrum ».

17. » Permittatur fratribus usus rerum moderatus determinandus ju- » dicio superiorum ».

18. » In necessariis victus et vestitus nihil cuiquam desit; alioquin » guardiani, atque etiam ministri in eo culpabiles priventur perpetuo om- » nibus officiis ».

19. » Qui habitum vel formam variaverit, careat per sexennium omni » jure suffragiorum. Ministri in eo negligentes priventur officio ».

20. » In omnibus comunitatibus, in quibus vestimenta fiunt, habeatur » appensa tabella vernaculo sermone conscripta, in qua determinetur forma » habitus et caputii. Ministri inprimis eam servent sub eadem poena ».

21. » Fratres habentes vestimenta ex pannis, vulgo *rasetta*, vel *saja* » *impannata*, vel Bononiensi, aut Mediolanensi, aut Matelicano pretiosia, » ea deponant infra sex menses ab hujus constitutionia cognitione, sub » poena privationis actuum legitimorum per triennium ».

22. » Qui deinceps his pannis usi fuerint, ultra dictas poenas, priven- » tur eisdem pannis, et per trimeste includantur carcere ».

23. » Si quis absque licentia in scriptis ministri provincialis detule- » rit camisiam, eam de collo pendentem ferens coram praelato, culpam » dicat, et genibus flexis super illam comedat in pane et aqua ».

24. » Fratres in eo notabiliter defectuosi voce insuper activa et pas- » siva sexennio priventur »

25. » Ministri qui licentiam dederint portandi camisiam absque causa » gravis infirmitatis, priventur officiis, eamdemque poenam subeant guar- » diani si delinquentes non punierint ».

26. » Qui de quindena in quindenam, excepto infirmitatis casu, non » in claustris, sed in tonstrinis saecularium se radi fecerint, careant trien- » nio voce activa et passiva ».

21. » Qui caput et occiput, non autem barbam sibi radi fecerit, » careant triennio jure suffragiorum ».

28. » Eamdem poenam subeant tonsores, si contra praescriptum radere » aliquem ausi fuerint; et guardiani qui fratres aliter, quam praescri- » ptum est, radere fecerint, officio priventur ».

29. » Capitis corona ab auribus altior distet digito uno; latitudine » non excedat tres digitos communes ».

30. » Circulus laicorum in rotundum ducatur ab auribus supra uno » digito. Qui contrafecerit, prima vice deferat per tres menses caputium » probationis; secunda careat triennio voce activa et passiva, vel gravius » puniatur arbitrio ministri ».

31. » Curent ministri provinciales, ut in quolibet conventu singulis » sextis feriis habeantur capitula culparum, sub poenis eorum arbitrio ta- » xandis ».

» 32. In egressu a conventu licentia humiliter petatur, et in reditu » benedictio; quam qui petere neglexerit, non possit per sex menses clau-

» stra egredi, et praeterea faciat disciplinam, et comedat in pane et aqua » humi genuflexus. Contumaces acrius puniantur arbitrio ministri ».

33. » Puniantur guardiani, qui licentiam dederint fratribus exeundi » absque urgente causa, habita tamen semper personarum exire petentium qualitate ».

34. » Privetur per decennium voce activa et passiva guardianus, qui » charitative, et benigne hospites fratres non susceperit, et tractaverit ».

35. » Privetur officio, et ad illud, ac aliud quodcumque inhabilis sit » guardianus, qui infirmorum curam non egerit. Ministri in eo negli- » gentes, vel notabiliter culpabiles, et ipsi suis officiis destituantur.»

36. » Eleemosynae non extrahantur a capsis in sacristia asservatis, nisi » a procuratore conventus, praesentibus guardiano, et tribus aut qua- » tuor discretis, seu fratribus natu majoribus, ubi tot non fuerint di- » screti ».

» 37. Minister provincialis negligens in puniendis guardianis, qui sin- » gulis mensibus rationem de expensis, et acceptis non reddiderint, pri- » vetur officio ad arbitrium superiorum ».

38. » Discreti conventus ad minimum quinque antiquiores, vel eorum » defectu totidem fratres familiae, subscribant rationem praedictam, ob- » signatam manu guardiani, et procuratoris ».

39. » Rationum totius anni summam guardiani deferant ad capitulum » provinciale subscriptam ab omnibus fratribus familiae. Qui contrafece- » rit, officio destituatur, aliisque subsit poenis, arbitrio superiorum, » et definitorum provinciae ».

40. » Debita non contrahantur, sub poenis privationis officii, et in- » habilitatis ad alia per decennium ».

41. » Nemo recipiatur pro clerico, nisi munitus sacramento confirma- » tionis et intelligat saltem linguam latinam. Nec receptus admittatur » ad professionem, nisi memoriter recitaverit doctrinam christianam, et » regulam coram fratribus capitulariter congregatis. Aliter recepti professio » sit nulla, et qui eum receperit, privetur officio, et careat voce ac- » tiva ac passiva per triennium ».

42. » Magister, qui novitios non docuerit doctrinam christianam et » regulam, sit perpetuo inhabilis ad omnia officia ordinis ».

43. » Si minister provincialis hujusmodi poenas non inflixerit, aut in » his culpabilis fuerit, privetur officio ad arbitrium superiorum ».

44. » Clerici et laici ab annis sex et citra professi, qui doctrinam » christianam et regulam ante professionem non recitaverint, teneantur » illam recitare coram fratribus capitulariter congregatis, sub poenis ar- » bitrio ministri ».

45. » Novitiorum magistri sint viri probati, aetatis annorum saltem » XL. guardianatus officio triennio ad minus functi, de humanioribus lit- » teris, et cantu ecclesiastico periti ».

46. » Loca novitiorum in qualibet provincia, communi patrum con- » silio, sint, quoad fieri potest, frequentiori saecularium concursu sejun- » cta ».

47. » In unoquoque loco adsint saltem quatuor novitii, nisi fuerint » laici, et uniformitas in omnibus sive induendis, sive ad professionem » admittendis servetur ».

48. » In provinciis singulis erigatur unum, vel plura seminaria, seu » collegia pro juvenibus clericis professis, quibus magistri munere prae- » ficiatur vicarius conventus, dignitate sacerdos, gravis, honestus, libe- » ralibus disciplinis sufficienter eruditus, delectus judicio communi pa- » trum, et definitorum ».

49. » Non admittantur in collegium, nisi juvenes saltem XVII. anno- » rum, ex legitimo matrimonio nati; qui legere et scribere optime no- » rint, principia linguae latinae quoquomodo sciant, bonaeque sint in- » dolis et spei ».

50. » Singulis diebus intersint sacris; bis in hebdomada magistro pec- » cata sua confiteantur, et in dominicis aliisque festis solemnioribus » communicent, sub poena ad arbitrium superiorum ».

51. » Magister eos ad pietatem formet, instruat in ecclesiasticis riti- » bus, curet, ut crebro legant Sacram Scripturam, homilias patrum, » vitas, et res gestas majorum nostrorum, decreta, declarationes Ponti- » ficum, et sanctorum patrum super regulam. Discant etiam cantum » ecclesiasticum ».

52. » Conducatur communibus expensis provinciae, ministri, et de- » finitorum arbitrio determinandis, magister saecularis, moribus et vita » probatus, qui eos doceat grammaticam et ortographiam ».

53. » Circa collegii visitationem, et morum correctionem servetur de- » cretum Concilii Tridentini Sess. 23. cap. 18. ».

54. » Collegium moderetur guardianus provectae aetatis, vitae integer, » prudens, expertus ».

55. » Non teneantur juvenes ad onera extra conventum, praeter quae- » stuam frumenti et vini ».

56. » Recitent diu noctuque in ecclesia officium divinum, septem » psalmos poenitentiales, unamque horam impendant orationi singulis » diebus ».

» Singuli conventus quotannis collegio solvant eam contributionis ratio- » nem, quam minister et patres definitorii jusserint ».

58. » Juvenes non amoveantur a collegio, nisi post triennium, exce- » pta evidenti necessitate, aut utilitate, quae aliud postulaverit ».

59. » Absoluto triennio, illi qui communi definitorum judicio fuerint » idonei, promoveantur ad studia altiora, vel etiam provinciae servitio » partim deputentur, partim in collegio erudiendi permaneant. In edu- » ctorum locum alii interim sufficiantur ».

60. » Bona mobilia fratrum decedentium quocumque modo acquisita, » applicentur ad collegium, sub poena suspensionis, et alia graviori con- » trafacientibus infligenda ».

61. » Seligantur duo definitorii patres, qui bona praedicta distribuant » in communem collegii usum, una cum ministro, et guardiano ipsius » collegii, et bis in anno eorum rationem reddant coram aliis definito- » rii patribus, ministrorum jussu simul congregatis ».

» 62. » Instituantur in capitulis provincialibus, et scribantur in ta- » bula capitulari examinatores ordinandorum, et confessariorum. Et si » fieri potest, quatuor eorum, tresve, aut duo ad minimum semper » simul collocentur ».

63. » Fratres Romam euntes statim ac ad Urbem pervenerint, recta

» properent ad conventum S. Mariae de Aracoeli, et se praesentent co-
» ram procuratore, vel commissario curiae, cui tamquam vero ac legi-
» timo praelato subsint in omnibus, et per omnia, nec sine expressa ejus
» licentia de conventu egrediantur, sub poena apostasiae ipso facto incur-
» renda ».

64. » Conferat cum eo sincere, et fideliter negotia, si quae habuerint
» Romae peragenda, et quidquid ipse desuper decreverit, inviolate, et
» ad unguem exequantur ».

65. » Notetur in libro peculiari dies eorum accessus, et discessus ».

66. » Qui devotionis causa Romam iverint, possint ibidem commo-
» rari tribus diebus; qui causa negotiorum, diebus octo. Utrumquè ta-
» men arbitrio procuratoris, qui possit terminum producere, vel con-
» trahere judicio suo ».

67. » Habeatur ut apostata, et statuta poena salutariter emendatus re-
» mittatur ad suam provinciam is, qui Romam iverit absque legitima
» facultate, quam provinciales ministri non dent, nisi urgentibus de causis.

68. » Guardianus in conventu de Aracoeli capitularem audientiam pro
» fratribus suis habeat secunda, quarta, et sexta feria, solemni festo non
» impeditis. Procurator vero, aut commissarius curiae habeat eam pro
» cismontanis feria tertia et quinta; pro ultramontanis sabbato simili-
» ter non impeditis ».

69. » In Ecclesiis non pulsentur nisi organa, et instrumentum illud,
» quod *regulam* vocant, sub poena suspensionis, non exceptis moniali-
» bus. Si quis fratrum, vel monialium contrafecerit, uterque suffragiorum
» jure careat per triennium; et haec velo per mensem privetur; ille car-
» cere includatur arbitrio superiorum ».

70. » Nulla fiat in Ecclesiis musica per quoscumque, sub eisdem poe-
» nis, nisi praelati, vel principes divinis officiis interfuerint ».

71. » Puniantur arbitrio superiorum ministri, qui permiserint fratri-
» bus, aut monialibus retinere instrumenta musicalia, excepto mona-
» chordo. Et qui ea retinuerint, in poenas incidant, quas ministri exi-
» gant ».

72. » Nemini liceat, monialem, aut puellam educandam ad colloquu-
» torium musicam docere. Puniantur arbitrio ministri abbatissae, et mo-
» niales quae contrafecerint. Puellae vero aut poenam eamdem subeant,
» aut a monasteriis ejiciantur.

73. » Careant per triennium jure suffragiorum guardianus et fratres,
» qui aliquem saecularem, etiam consanguineum invitaverint ad come-
» dendum in communi mensa, exceptis praelatis, vel dominis magnae
» spectabilitatis ».

74. » Nemo habeat plures libros, quam eos quos minister et com-
» missarius generales, aut provincialis minister necessarios judicaverint ».

75. » Libri fratrum decedentium reponantur in bibliothecis, et illi
» qui in eis reponi non est expediens, dentur lectoribus, praedicatori-
» bus, et studentibus, de patrum consilio, ratione habita publicae uti-
» litatis ».

76. » Qui libros receperint, obsignent manu propria, et illorum inventa-
» rium conficiendum erit a guardiano, et discretis, et servandum in archi-

» vo conventus. Nec ulli liceat libros quovis modo vendere, donare, » aut distrahere ».

77. » Si quis equitaverit, bigisque aut guadrigis vectus fuerit, pri- » ma vice carcere includatur per bimestre; secunda per semestre; tertia » privetur perpetuo voce activa et passiva. Guardiani, qui carcere de- » linquentes non incluserint, dejiciantur ad arbitrium superiorum, si » in licentiis hujusmodi concedendis nimis faciles se praebuerint ».

78. » Privetur voce activa et passiva, qui quovis praetextu ocreas seu » *stivalia* detulerit, ac praedictis poenis subsint ministri et guardiani, » qui contrarium fecerint, vel fieri permiserint ».

79. » In itinere quisque socium ducat, excepta urgente causa probanda » a praelatis, sub apostasiae poena, quam guardianus exequi negligens, » privetur officio per biennium »

80. » Nemo unquam, etiam bacchanalium tempore, choreas ducat, » comedias, aut alia vana spectacula repraesentet, vel audiat, larvas » assumat, religionis habitum exuat, vel saecularem induat, sub sus- » pensionis poena, et aliis gravioribus etiam carceris, superiorum ar- » bitrio ».

81 » Nihil novi, quod librarum L. imperialium expensas excedit, sine » licentia in scriptis ministri provincialis aedificetur, aut destruatur. Qui » contrafecerit, expellatur a conventu, privetur officio, et gravius puni- » atur, arbitrio ministri ».

82. » Nullus conventus recipiatur sine licentia in scriptis superioris ge- » neralis, episcopi, ministri, et definitorum provincialium »,

83. » Minister et commisssarius generales in omnibus provinciarum ca- » pitulis, quibus aderunt, et praeerunt, votum habeant electivum. Si » munere suo functi fuerint, habeant votum consultivum, decisivum, » et electivum in omnibus capitulis et congregationibus generalibus respi- » ctive in definitorio, et electionibus quibuscumque ».

84. » Ministri provinciales actuales, ex-ministri, ex-procuratores ordi- » nis, ex-commissarii curiae, patres ordinis, illi qui fuerunt guardini » Terrae Sanctae, vel per tres annos continuos secretarii ministri aut co- » missarii generalium, in omnibus capitulis et congregationibus habeant » in definitorio votum consultivum et decisivum; in electionibus electi- » vum in sua quisque provincia, tamquam perpetui discreti, et defi- » nitores ».

85. » Custodes mittendi ad capitulum, vel congregationem generalem » et definitores actuales habeant votum consultivum, et decisivum in » definitorio, et electione guardianorum ».

86. » Nemo praedictorum patrum in sua provincia possit esse guar- » dianus ».

87. » Qui in visitatione superiorum majorum malitiose occultaverit de- » fectus fratrum, aut litteras contra aliquem servaverit, et postea illas » aut defectus occultatos, in judicio seu visitatione produxerit, privatus » sit ipso facto actibus legitimis, sitque infamis ».

88. » Qui verbis, aut factis aliquem graviter provocaverit, prima vice » ferat per mensem caputium probationis; secunda includatur carcere » per bimestre; tertia per semestre, et privetur decennio voce activa, » et passiva ».

89. » Provocantes autem ad levia, faciant disciplinam coram fratribus » capitulariter congregatis ».

90. » In visitationibus contentiosis, in quibus praelatus duos patres » exteros assumere non potest, assumat duos discretos conventus ».

91. » Fiat recursus ab inferioribus ad superiores praelatos, sub poena » carceris per bimestre, et privationis juris suffragiorum per decennium ».

92. » Minister et commissarius generales, item commissarii visitatores » possint eligere loca pro celebrandis capitulis provincialibus, de consi- » lio tamen aliquorum patrum ex probatioribus ».

93. » Sint privati officiis suis, et inhabiles ad ea, vel alia obtinen- » da ministri, et visitatores provinciarum, qui consenserint, aut permi- » serint, aliquem promoveri ad officium, dignitatemve, favore saecu- » larium. Sic promoti, subjaceant poenis et censuris contentis in litteris » apostolicis ».

94. » Poenitentiarii Basilicae Lateranensis sint aetatis annorum supra » XL. probati a definitorio provinciarum, a quibus assumuntur, sacro- » rum canonum periti, de quibus habeant ordinariam lectionem, que- » madmodum et de casibus conscientiae mutuo conferant bis in heddo- » mada ».

95. » Soli numquam incedant per Urbem, sub poena apostasiae ipso » facto incurrenda ».

96. » Praeses sit vir provectae aetatis, honestus, prudens, doctus, gra- » vis, qui eos contineat in officio, et puniat deliquentes ».

97. » Commutentur de triennio in triennium, et semel saltem quo- » tannis visitentur a ministro, vel commissario generalibus per se, aut » alium, et si quis demeruerit, possit amoveri, et transferri illorum ar- » bitrio ».

98. » Appellentur *reverendi* secretarii ministri, aut commissarii gene- » ralium tam actuales, quam habituales, commissarii provinciarum tem- » pore comitiorum generalium, vel alias per absentiam ministrorum pro- » vincias regentes, quo tempore regunt; custodes electi pro comitiis ge- » neralibus, quousque functionem obierint; theologi qui decennio lege- » rint, et praedicatores, qui decennio in praeclaribus Italiae civitatibus » sacrum peregerint praedicationis officium ».

99. » Secretarii procuratoris ordinis, commissarii curiae, ministrorum » provincialium, ac visitatorum, insuper et reformatorum custodes vo- » centur *multum venerandi*.

100. » Secundum locum semper ubique teneant minister et commissa- » rius generales officio functi ».

101. » Ministri provinciales in provinciis respectivis, praeter suos su- » periores, praecedant caeteros ».

102. » Procurator ordinis, commissarius curae, definitores generales, » et patres ordinis suis provinciis praecedant omnes, praeter ministrum » et guardianum proprii conventus. Praecedentia vero inter ipsos sit a die » electionis ».

103. » Ex-ministri provinciales, et ex-guardianus Hierusalem praecedant » omnes, exceptis praedictis ».

104. » Secretarii ministri vel commissarii generalium in comitiis ge-

» neralibus immediate sequantur quoslibet patres ordinis, et in provin-
» ciis praecedant eos, qui sunt definitores actuales provinciae ».

105. » Definitores provinciales in capitulis praecedant guardianos; ex-
» tra capitulum dent praecedentiam guardiano suo ».

106. » Secretarii ministrorum provincialium, et visitatorum, praeter
» definitores actuales, caeteros praecedant ».

107. » Lectores thelogi, et praedicatores clarissimi, praeter praedictos,
» caeteros praecedant ».

108. » Patres provinciarum in capitulis et congregationibus praecedant
» guardianos; aliis in locis, praeter praedictos, caeteros praecedant ».

109. » Custodes reformatorum in capitulis et extra, guardianos omnes
» praecedant, praeter eum, qui extra custodiam in unoquoque conventu
» ordinarius fuerit ».

110. » Guardiani extra proprium conventum, praeter praedictos, cae-
» teros praecedant ».

111. » Sequantur praedicatores, deinde sacerdotes, clerici, ac post ipsos
» fratres laici pro cujusque professionis antiquitate et ordine ».

112. » Singulis annis die tertia Novembris celebretur missa solemnis
» *de requie* cum officio defunctorum pro fratribus nostris, Summo Pon-
» tifice, et protectore ordinis, qui jam decesserunt; et singulis mensibus
» idem fiat pro fratribus, parentibus, propinquis, et benefactoribus ».

113. » Ut primum nunciatus fuerit obitus, mox diebus non impe-
» peditis, decantetur missa solemnis, accensis intortitiis circa tumbam pa-
» ratam antea pannis nigris, non tamen altarium palliis, juxta hanc ta-
» bellam publice servandam in sacristia. *In universa familia*: *pro Sum-*
» *mo Pontifice fiant funeralia novem dies*; *pro D. Protectore tres dies*;
» *pro generalibus tres dies*. *In propria provincia*: *pro ministris provincia-*
» *libus tres dies*; *pro patribus ordinis tres dies*; *pro reliquis patribus, et*
» *benefactoribus unum diem*.

114. » Singuli sacerdotes illis ipsis diebus pro eisdem celebrent, vel
» saltem statam orationem dicant. Clerici officium defunctorum. Laici
» centies orationem dominicam cum salutatione angelica, et requiem ae-
» ternam etc. ».

115. » Nemo officio privetur, vel suspendatur, vi horum decreto-
» rum, nisi de patrum consilio, et consensu ».

116. » Difficultates et dubia quae oriri possunt, explicentur a mini-
» stro vel commissario generalibus ».

117. » Superiores, qui decretorum exequutionem neglexerint, praeter
» poenas in ipsis decretis contentas, subjaceant etiam privationi officii,
» et juri suffragiorum, aliisque gravioribus, generalium arbitrio ».

118. » Erigantur duae universitates, altera in conventu S. Mariae No-
» vae Neapolis, in qua studentes XL., altera in conventu S. Francisci
» Perusiae, in qua studentes XXX. collocentur, hoc modo assumendi: ex
» singulis provinciis regni Neapolitani deligantur quatuor, examinandi a
» duobus lectoribus doctioribus cujusque provinciae, et probati mittan-
» tur a definitorio: ex aliis provinciis Italiae deligantur tres ordine prae-
» dicto, et mittantur ii Perusiam, illi Neapolim ».

119. » In utraque universitate tres sint lectores, pietate, et doctrina ma-
» xime insignes ».

120. » Singulae provinciae solvant quotannis decem coronatos pro singulis studentibus, ex quibus coronatis quindecim expendantur pro cujusque lectoris necessitate ».

121. » Guardiani curent, ne quidquam necessarium desit quoad victum, vestitum, oleum, chartam, pennas, calepodia etc. eisdem lectoribus, et studentibus, sub poena privationis officii ».

122. » Puniantur arbitrio generalium superiorum guardiani, qui studentes pluries extra conventum egredi permiserint, quam bis in mense ».

123. » Ministri provinciales de consilio et consensu guardianorum, et lectorum, mittant ad superiorem generalem studentes insolentes, vel scandali auctores ».

124. » Lectores habeant quotidie unam lectionem ex Doctore Subtili, faciant repetitionem bis in hebdomada, et in fine cujuslibet anni conclusiones publicas in ecclesia ».

125. » Studentes sint exempti ab horis primae, et completorii, a funeralibus, et missis celebrandis extra conventum ».

126. » Nullus studentium sit lector, nisi completo in sua universitate cursu studiorum, conclusiones ter publice defenderit, et probetur lectorum suorum testimonio ».

127. » Lector sic institutus non admittatur ad docendam theologiam, nisi prius docuerit philosophiam et artes. Idipsum servetur quoad studentes alios ad lecturam promovendos ».

128. » Lectores theologiae, qui sexennium absolverint, habere possint socium gratum assumendum a propria provincia. Qui legerint per decennium, gaudeant in omnibus et per omnia privilegia eorum, qui fuerunt ministri ».

XII. In laudata generali congregatione latum fuit decretum de erigenda ad dignitatem provinciae custodia Albaniae, hoc eodem tempore novem conventibus instructa. Anno MDLXXXVII., quo Franciscus Gonzaga suum opus edidit de historia seraphica, quinque tantum conventibus constabat. Albania Graeciae regio, ab occidente mari Jonio, ab oriente Achaja, et a septentrione Macedonia terminatur. Eam franciscani fratres antiquitus incoluerunt, atque in ea quamplures domus extruxerunt. Ante annum MCDXIV. ob mortem invictissimi ducis Georgii Kastriotti, quem turcarum Imperator Murad II. Scanderber, idest Georgium regem appellabat, cum Albania ditioni praefati imperatoris accessisset, fratrum observantium coenobia per Macedoniam aedificata, ejus mandato solo aequata fuere. Verum licet inter accerrimos fidei hostes, solerti tamen fratrum cura eo res devenit, ut post annos CXXVI. denuo provincia illa revixerit. Hanc erectionem confirmavit anno MDXCII. Clemens VIII. *Exponi nobis* die V. Martii. *Gonzaga pag. 547.*

PROVINCIAE ALBANIAE CONVENTUS.

XIII. 1. Annuntiationis Deiparae Sebastae dioecesis Crojensis.
2. Nativitatis Deiparae Alexiensis.
3. S. Salvatoris Rebicii dioecesis Alexiensis.
4. S. Salvatoris de Velia ejusdem dioecesis.
5. S. Alexandri M. de Miradetti ejusdem dioecesis.
6. S. Salvatoris de Chiaffecheraba in Terranova.
7. Assumptionis Deiparae in oppido Rhodonii dioec. Dyrrachiensis.
8. S. Petri in oppido Memelli.
9. S. Venerandae in Corbina dioecesis Crojensis, vi occupatus postremis temporibus ab archiepiscopo Dyrrachiensi.

XIV. Ceterum diruerunt in eadem provincia Turcae conventum S. Francisci Antibarensem, S. Nicolai de Dulcigno, S. Nicolai Dyrrachiensem, S. Eliae oppidi Bellegnani, S. Mariae de Binetti, S. Joannis Baptistae Crojensem, S. Martini de Tamade, S. Clarae oppidi Derventi, et S. Clarae dioecesis Canoviensis. Haec ex autographo saeculi XVII. exscripsimus.

Terrinca in theat. Etrusco pag. 51. et seq.

XV. Quibusdam jurgiis inter Florentinos et Senenses fratres de observantia excitatis, ad haec removenda, sicut contigit anno MDLXIII., necesse fuit duas iterum in Tusciae finibus provincias instituere, Florentinam unam, et Senensem alteram. Hinc patrum consilio, Ludovicus Pisanus una simul cum Luca de Cotiliano custode Neapolim ad congregationem generalem missi, decretum pro illarum separatione obtinuerunt. Anno igitur insequenti Thomas a Massa Commissarius generalis in Tusciam adveniens, Florentiae patres congregavit, ac juxta editum decretum duas provincias Florentinam, et Senensem constituit, singulisque proprium rectorem delegi curavit. Senenses suum provinciae ministrum salutarunt Georgium de S. Flora; Florentini vero Joannem Franciscum Cocchium Florentinum. Anno MDCIII. iterum haec provinciarum unio peracta fuit.

Greiderer tom. 1. lib. 2: n. 205. pag. 153.

XVI. Ejusdem congregationis generalis jussu aucta fuit provincia Bosniae Croatiae conventus S. Francisci Zagabriensis in Sclavonia superiori ad ripam fluvii Savi, quem anno MCCXXVII. excitaverat Stephanus II. illius civitatis Episcopus pro fratribus provinciae S. Mariae Hungariae. Hispanis civitatem invadentibus dirutus fuit; refectus subinde, deserviit aliquando puerorum tirocinio, ac seminario clericorum saecularium. Ratio vero cur coenobium recuperatum a laudata provincia adscitum fuerit Bosniae Croatiae, novimus verbis ejusdem Congregationis: *Conventus Zagabriensis provinciae S. Mariae Hungariae, quia per provincialem dictae provinciae visitari non potest, nisi magno ipsius periculo, ac propterea quia eadem provincia maxima fratrum penuria vel maxime laborat, idcirco Bosniae Croatiae incorporetur, et incorporatus declaretur.* Anno MDCVII. rediit ad Bosniae Croatiae provinciam.

Con. Rubeacensis. Ann. min. ad an. 1563. num 97.

XVII. Solertia Joannis de Menderstard Episcopi Argentoratensis redierunt observantes in conventum Rubeacensis provinciae Argentinae, antea incendio penitus exarsum, quem a fratribus derelictum, usque ad hunc annum administravit Episcopus Basiliensis. Eo destinati fuerunt fratres in comitio provinciali paullo post habito Monachii a Valentino Friccio commissario generali Germanorum. Provinciae Croatiae Carniolae largitum fuit

iisdem fratribus hospitium S. Antonii Patavini oppidi Salconensis, uno milliari germanico distans a conventu Montis Sancti, in districtu Goritiae. Incolitur a quatuor fratribus. *Hospitium Salconense. Greiderer ibidem n.137. pag. 137.*

XVIII. Fratrum observantium familia in provincia Bohemiae partim ob gravissima bella, partim ob universalem haeresum contagionem ita imminuta fuit, ut ab anno MDLI. ad haec usque tempora vix XVII. illorum numeraretur. Post annos XXXIX. suum habuit ministrum Maximilianum Noleti ex Styria, quo praeside, provinciae adjunctus est conventus SS. XIV. Auxiliatorum civitatis Cadanensis, archidioecesis Pragensis, anno MCDLXVIII. fundatus, et post annum MCDLXXXIII. ferme ab Hussitis eversus. Nam hoc eodem anno Georgius Poppel Senior, Baro de Lobkowitz, regni Bohemiae praefectus, et avitae munificentiae haeres, conventum suis opibus restituit. Inde ob bellorum clades iterum novae ruinae expositus, christifidelium eleemosynis refectus fuit. *Idem ibid. n. 65. pag. 593. Con. Cadanensis. Idem ibid. n. 91. pag. 615.*

XIX. Petrus Trajectensis minister provinciae observantium Saxoniae, doctrina eximius, ac in adversis summa constantia praeditus, cum ob haereticorum infestationes in verbi Dei praedicatione nullum ex suo ordine successorem habere potuisset, patres Societatis Jesu in urbem Halberstadii vocavit, ut eidem auxilium conferrent. Eo hoc anno ipsi accesserunt. De qua re ita scribit Sacchini « Hinc (Halberstadii) superstitem » sinceri cultus scintillam, bonus e franciscano ordine primarii templi » concionator, idemque suorum provincialis minister in Saxonia, magno » studio conservabat Petrus Trajectinus, qui senio et laboribus fractus, » successorem sancto operi quaerens, cum aliunde non inveniret, jamdu» dum a Societate flagitabat, et anno MDLXXXVII. Joannem Goslariensem » in aliquod impetrarat tempus. Nunc vero, qui tranquillius tota res fir» miusque transigetur, ad id postulandum collegium quoque canonico» rum induxerat voluntates. Itaque Ernefelderus Rheuanus provincialis » Melchiorem Troxitam et Renuerum Egnoicum primo quoque tempore » mittendos censuit; jussos collegii Heisingestadiani, quod minime om» nium distabat, rectori subesse. Illi profecti, prosperoque usi itinere, » quinto idus Februarii Halberstadium tenuere. Quos ut bonus ille se» nex franciscanus, ad quem divertere, conspexit, irruens in amplexus, » multum lacrymarum prae gaudio fudit ». *Sacchini part. 5. lib. 10. pag. 519.*

XX. In provincia Insularum Philippinarum fratrum discalceatorum initium accepit, Petro Baptista praeside, coenobium S. Francisci de Monte, una leuca a civitate Maniliae, ab hominum frequentia semotum, contemplationique accomodum. Primum extitit ex luto contextum; anno tamen MDXCIII. fuit de novo aedificatum. Inservit tironibus franciscanis instituendis pro infidelium conversione peragenda aliis in remotioribus locis. In provincia Arrabidorum pro iisdem discalceatis positum fuit coenobium S. Joannis Baptistae in Oppido Scalabi dioecesis Ulyssiponensis, a Joanne Alem equite ordinis S. Benedicti, ex voto quod ediderat, dum in Africa a Mauris in captivitate detinebatur, si ab ea servitute liberaretur. Sunt epistolae Michaelis a Castro archiepiscopi Ulyssiponensis, quibus apud Sixtum Pontificem commendantur fratres ejusdem provinciae. *Conv. de Monte. Joan. Franciscus a S. Antonio tom. 2. pag. 325. Conv. Scalabi. Monum. prov.*

SIXTO V. PONTIFICI MAXIMO.

Adeo, quae ad gloriam, et divini cultus augmentum, et exaltationem pertinent, S. V. grata existunt, ut cunctis, qui in eam curam sedulo incumbunt, quive eo potissimum nomine excellere conantur, semper S. V. impense faveat, cumulatissimeque satisfaciat. Quod cum ita compertum, et exploratum sit, ut probatione non egeat, sic enim orbis universus voce una praedicat, non dubitavi ad Sanctitatem V. sicuti ad verum Patrem ac Dominum has litteras dare, ut certam quamdam religiosorum provinciam (vulgus nostros capuchos de Arrabida vocat) S. V. agnoscat dignamque reputet, quam suo favore et patrocinio tueatur. Ut autem, quod de illis sentio, et vere et breviter S. V. aperiam, illud imprimis ut testis oculatus asseverare possum, religiosos istos ob excellentem doctrinam, vitae integritatem, singulare exemplum, ac mores probatissimos, non solum a vulgo (hic enim plerumque aberrare solet) sed a regibus, principibus, praelatis, et nobilibus, ab omni denique populo unice in istis regnis amari, observari, atque plurimi fieri. Quod autem reliqui faciunt omnes, id mihi jure optimo majori alacritate faciendum duco. Nam cum omnia ferme coenobia in hac Ulyssiponensi dioecesi habeant, ubi, et si indigne, munere fungor pastorali, vix verbis explicare queam, quas mihi suppetias in animarum salute procuranda, quae ferant auxilia, quos fructus faciant, quo exemplo populum instituant, qua denique vitae austeritate utantur; quo fit, ut populum a vitiis avocantes, ita illi mundi contemptum, ac coeli desiderium persuadeant, ut religio haec innumeris pene calamitatibus, veluti insanabili peste, jam dudum laborans, ipsorum humeris sustineatur. Quibus omnibus circumspectis, cum intelligerem fratrem Joannem de Chagas, etsi alienigenam, ob vitae sinceritatem, ut judicium gravissimum unanimi fratrum consensu et applausu ministrum provincialem electum, favores aliquot in dictae provinciae utilitatem, et conservationem a Sanctitate V. percupere, maximeque constitutionum atque statutorum confirmationem cooptare, quae jam usu recepta, admissa, et probata sunt, ut observantia illa, quae in ista provincia his temporibus tanta religione servatur, nulla temporum injuria, aut pereat aut deficiat. Cumque praedictus frater me adiret, rogaretque, ut piam, et justam ipsius supplicationem ad Sanctitatem V. exorator, et intercessor referrem, petitionem istam eo libentius suscepi, quo S. V. virtutis cupidissimum zelatorem agnovi. Quare ad beatissimos S. V. pedes humiliter abjectus, humiliter peto, oro, obsecroque, ut dicti fratris supplicationi divinum honorem potissimum respicienti acquiescat, subscribat, et faveat. Quod quidem S. V. libentissime efficiet, si qua tua est pietas, et clementia inspexerit, regularis religiosorum status conservationem ad universalem Ecclesiae commoditatem apprime necessariam esse; praecipueque Seraphici Patris Francisci, cujus sacer ordo in hac provincia Virginis de Arrabida *in antiqua illa, ac primaeva perfectione cum magna totius populi laetitia, et devotione praefulget, praeeminet, et perseverat. Deus optimus maximus S. V. in Ecclesiae suae utilitatem, amplificationem, et gloriam multos annos sospitem servet.*

Ulyssipone III. *nonas Maii* MDXC.

XXI. Extra moenia oppidi de Castello de Vide dioecesis Egytanensis in provincia Algarbiorum posita sunt fundamenta hoc anno coenobii Immaculatae Conceptionis titulo, oppidanorum sumptibus, et illius in possessionem venerunt anno insequenti. Incolitur a xvi. fratribus recollectis. *Conv. de Castello. Monum. prov.*

XXII. Ante hunc annum cum expensis universitatis instructum fuisset prope oppidum S. Justi dioecesis Firmanae in provincia Marchiae novum pro observantibus coenobium, secto pariete ubi picta erat, eo illata fuit prodigialis imago B. Mariae Virginis, titulo Puritatis, quae antea colebatur in veteri altero coenobio procul ab eodem pago, a fratribus ob malorum hominum incursionem derelicto. Translatio peracta fuit die xxi. Decembris, ut praesefert inscriptio italica posita in parte inferiori ejusdem imaginis: *A di* 21. *di Decembre* 1590. *il giorno di S. Tommaso Apostolo fù trasportata la S. immagine della gloriosa Vergine Maria dalla Purità vecchia, e posta nel presente luogo.* *Conv. S. Justi. Monum. prov.*

XXIII. Hospitium positum ante hoc tempus in civitate Gazae Tripolis in Syria, ampliatum fuit hoc anno beneficentia cujusdam pii ac catholici graeci ejusdem civitatis, Ibraim nomine. Munus vicarii ibidem gerebat tunc temporis Clemens de Montebarochio ex provincia Marchiae. Huic hospitio praesidet Terrae Sanctae Guardianus. In provincia Germaniae inferioria alterum etiam, quod *residentiam* vocant, positum fuit in monte S. Leonardi Leedeberghensis, quatuor milliaribus a Buxella, in quo degunt tres sacerdotes, ac duo fratres laici. *Hospitium Gazae. Calorra in hist. Syriae et Terrae Sanctae p. 517. Hospitium Leedeberghenensis. Monument. prov.*

XXIV. Fratribus discalceatis provinciae S. Josephi acceserunt hoc anno diversis in locis conventus; Assumptionis Deiparae conventus in oppido de Yuescas; conventus S. Lazzari in villa de Arevalo dioecesis Abulensis, expensis Philippi II. Hispaniarum regis aedificatus, et conventus Annuntiationis Deiparae in oppido de Malagon dioecesis Toletanae, pro cujus fundatione multa contulere marchio Joannes de Pardo, et ejus pientissima uxor. *Conv. de Yuescas. Joan. a S. Maria tom. 1. pag. 592. Conv. de Arevalo. Idem. ibid p. 593. Convent. de Malagon. Idem ibid.*

XXV. In provincia S. Nicolai Barensia exordium sumpsit custodia reformatorum, promotoribus Ludovico Galatino, Paolo a Sogliano, Petro a Cupertino, Hieronymo a Bitecto sacerdotibus, et Thoma a Vigiliis laico. Obtinuerunt ab observantibus conventum S. Mariae de Templo extra moenia civitatis Litii, et S. Mariae Visitationis oppidi Salicis, anno mdlxxxvii. aedificatum pro observantibus a marchione Joanne Antonio Albritio loci incola. Studio Josephi a Casentino, et Michaelis a Villa sacerdotum introducta pariter fuit in provincia S. Bernardini eorumdem fratrum reformatio. Eis primo obvenit conventus S. Angeli apud Anxianum; ab hoc autem ad annum mdc. eis largiti fuerunt conventus S. Juliani prope Aquilam, S. Nicolai Sulmonis, S. Mariae Collis Romani civitatis Pinnae, S. Angeli de Ocre, S. Francisci de Capistrano, et S. Mariae Collisviridis; In provincia Genuae S. Bernardini Albae. *De Fasano p. 1. Monum. prov.*

XXVI. Ejectis fratribus conventualibus e coenobio S. Francisci Oppidi Christe Arnaudi dioecesis Diensis in Delfinatu, haereticorum incursionibus, obtinuerunt hoc anno in eodem Oppido pro eorum incolatu eremum sub invocatione Consolationis B. Mariae Virginis, favente Pontifice: *Ex debito* die xxv. Julii. In Castro Franco dioecesis Arianensis in Prin- *Conv. Arnaudi.*

Con. Castrifranchi Thomas Vitali pag. 320.

cipatu ulteriori pro eis constructus fuit conventus titulo S. Mariae Septembris, urbis Episcopo Alphonso Ferrera.

Conv. Cremae. Bordonius p. 316.

XXVII. Domus suas etiam auxerunt tertii ordinis fratres. In provincia Brixiensi datum fuit eis coenobium S. Mariae Magdalenae intra moenia civitatis Cremae, erectum a praesidibus magni Xenodochii ejusdem civitatis, addita conditione, ut fratrum impensis festivitates Spiritus Sancti, et S. Mariae Magdalenae, et quotidiana missa celebrarentur. Prae foribus ecclesiae posita fuit haec inscriptio: *Spiritui Sancto ac divae Magdalenae Xenedochii praesides erexere.* In eadem provincia incoluerunt hoc anno conventum Immaculatae Conceptionis ad duo M. P. a Bergomo. Anno MDCXXXI. piis christifidelium largitionibus Ecclesiam a fundamentis erexit Petrus Licinus Bergomensis, ut praesefert hoc monumentum: *Quem cernis viator, Petrus Franciscus Licinus Bergomas hic est, cujus ope, cujus opibus sacra haec molis surrexit, ejusque nominis aeternitati exiguum hoc monumentum positum est in magno quod ille excitavit. Obiit* VI. *nonas Julii anno* MDCXXXV. *anno aetatis suae* LXIII. In provincia Neapolitana sui juris fecerunt coenobium S. Rochii in civitate S. Severi.

Conv. Bergomi Idem pag. 347.

Conv. S. Severi. Idem pag. 398.

Ex Michele a Tugio et ex Boverio.

XXVIII. Multiplicantur aedes pro fratribus capuccinis; in provincia Basilicata recipiunt conventum in oppido Montis Sani dioecesis Capntaquensis; in provincia Rhegiensi in Calabria conventum in civitate Oppidi, in oppido Sybaris Cathacensis dioecesis, et in civitate Tropeae; in provincia Cosentiae conventum Oppidi Acri dioecesis Bisinianensis; in provincia Hydruntina conventum in oppido Cupertini Nerithonensis dioecesis; in provincia Syracusana conventum in oppido Menae dioecesis Syracusanae; in provincia Aprutina conventum in oppido Caramanici Theatinae dioecesis, et conventum in oppido Scurculae dioecesis Marsorum; in provincia Romana, de quo nihil Tugius et Boverius, conventum Meritanae Sabinensis dioecesis, constructum a principe Michaele Perretti prope eumdem pagum. Extat hoc epitaphium. *Deiparae Virgini, et S. Francisco ad majorem Christi cultum, religionemque augendam Michael Perrettus Sixti V. Pont. Max. pronepos et Venafri Princeps aedes et ecclesiam a fundamentis erexit A. D.* MDXC.

Sperandio Sabina sacra e profana pag. 189.

XXIX. Item in provincia Marchiae recipiunt conventum in oppido Montisbodii dioecesis Senogalliensis; in provincia Bononiensi conventum in civitate Mirandulae dioecesis Regiensis; in provincia Veneta conventum in oppido Monteneanae dioecesis Patavinae; in provincia Mediolanensi conventum in oppido Ortae Novariensis dioecesis, et conventum Verani dioecesis Mediolanensis; in provincia Brixiensi conventum in pago Casalis Mauri nullius dioecesis; in provincia Genuae conventum in oppido Novarum Dertonensis dioecesis; in provincia Pedemontana conventum Carmaniolae dioecesis Salutiensis, conventum Serviliani dioecesis Taurinensis, et conventum de Monte ejusdem civitatis; in provincia Normandiae conventum in civitate Portus Gratiae dioecesis Rothomagensis; in provincia Tolosana conventum Eelvae Perpinianensis dioecesis, Galliaci dioecesis Albiensis, et Narbonae.

Gonzaga in prov. Canariensi pag. 1193.
Monast. Garacini, et Ortavensis. *Monum. prov.*

XXX. Circa haec tempora in Insula de Tanarifa provinciae Canariensis, praeter monasterium monialium S. Clarae anno MDLXXVI. fundatum intra civitatem Lacunensem, alia duo excitata sunt, nimirum S. Didaci intra oppidum Garacini, et S. Josephi inter moenia oppidi Ortavensis.

In provincia Burgensi exititit hoc anno pro monialibus Conceptionistis monasterium extra civitatem Burgensem S. Ludovici titulo, extructum a dominis Castellae Adelantatis, obtenta venia a Christophoro Valle archiepiscopo, precibus Ignatii Santibanez provinciae ministri. Commorantur ibidem xxxiv. moniales. De eo scribit et Gonzaga dicens, eumdem erectum fuisse paucis ab hinc annis, ac pauperie gravatum. Putandum est igitur monasterium hoc fuisse postea aedificiis auctum, ac reditibus locupletatum. Die xvii. Julii occupatum fuit monasterium S. Clarae in suburbio S. Marcelli prope Parisios, a copiis Regis Navarrae Henrici IV. unde sanctimoniales Parisios confugerunt. Repetiere domum ineunte Octobri, in quo muros integros dumtaxat invenerunt.

Monast. Burgens. Monum. prov. — *Gonzaga in prov. Burgensi monast. 13.* — *Ex Gallia Christiana tom. 7. pag. 935.*

XXXI. Hoc anno suasionibus cujusdam hominis, Caldera nomine, patre hispano et matre Chichimeca natus, initiata est inter Hispanos et Chichimecas, quae desiderabatur, compositio. Hispani licet armorum vi, praesidum, militumve vigiliis, haud tamen valuerant, gentem humanis carnibus aeque ac ferinis vesci assuetam, ad humanitatem adducere. Pactionis jura semel et iterum ab eis peracta, Ludovicus II. marchio de Velasco pro-rex Mexici quadringentas ex illis familias, quae post saeculum xii. degebant more belluarum in regione Otomitarum, nunc Nova Cantabria, in civitatem Zacatecae transtulit, ubi a minoribus de observantia in fide christiana instructi, baptismatis sacramentum suscipiebant. Qua in re mira egit Hieronymus de Carate illius regionis commissarius, et alter item Hieronymus Mendieta Victoriensis hispanus, vir apprime doctus, Mexicanae provinciae apostolus, et coenobii de Tlaxcalla guardianus; qui cum diu inter Indos diversatus esset, scripsit *historiam ecclesiasticam Indianam*.

Torquemada tom. 1. pag. 669. — *Sbaralea lit. H.*

XXXII. Ii tamen non primi fuerunt, qui Indorum Chichimecarum saluti insudarunt. Mittimus, quos jam notavimus martyres, qui proprio sanguine illam nascentem Ecclesiam ante haec tempora irrigarunt; nam decessores qui eo venerant, fuerunt anno mdlx. Hyacinthus a S. Francisco laicus, de quo Michelesius, et Petrus Espinareda sacerdos, quorum labore magnus Indorum numerus ad Christi fidem adductus est. Hic omnium primus custodiae S. Francisci de Zacatecas, de qua egimus, praesedit, eoque auctore una simul cum laudato Hyacintho, praeter domus doctrinales, coenobia sequentia aedificavit.

Ann. min. ad an. 1566. num. 29. Torquemada tom. 3. pag. 341. Ann. min. ad an. 1577. num. 17.

CUSTODIAE S. FRANCISCI DE ZACATECAS CONVENTUS.

XXXIII. 1. Conventus in oppido Nominis Dei prope hodiernam civitatem Portobello. Ibidem quiescit mox recensitus Hyacinthus a S. Francisco.

2. S. Francisci de Zacatecas. Dormitionis requiem cum ingenti sanctitatis fama hic accepit Petrus Espinareda, qui ex provincia S. Jacobi Mexicum advenerat, ut Indos ad Christi fidem adduceret. Verbo ac vitae exemplo Chichimecarum animum sibi devinxit. Item sancte ibidem decessit Martinus de Velena, qui, defuncta uxore, inter observantes cooptatus, se contulit ad eas regiones, Chichimecas, summa qua praeditus erat comitate, edocens fidei nostrae mysteria.

Torquemada ibid. pag. 344.

3. S. Stephani de Saltillo.

4. S. Joannis del Rio.

5. SS. Apostolorum Petri et Pauli de Topia. Haec tria coenobia erecta fuerunt a Laurentio de Pavira Chichimecarum altero apostolo.

Idem ibidem.

6. S. Aloisii de Potosi. Aetatis suae anno xxxiv. ibidem ad Dominum abiit Didacus a Magdalena laicus hispanus ex provincia S. Evangelii, in oratione, et in erudiendis in doctrina christiana Chichimecis assidue versatus. Peccatores flexis genibus et lacrymis ad poenitentiam excitabat. Obitus sui antea praedixerat.

7. S. Francisci de Mizquibich.

8. S. Stephani de Venado. Haec duo coenobia espensis regiis constructa fuere, distantque a septentrione Mexici ad xl. vel lxxx. leucas.

9. S. Ludovici de Colotlan. Distat ad meridiem a civitate de Zacatecas xii. vel xiv. leucas.

10. S. Andreae prope Chalchihuites. Abest a Zecatecas xxxv. leucas.

11. S. Francisci Chalchihuites a Zacatecas distat leucas v. Obiit in hoc conventu Franciscus de Lovenca sacerdos, qui plurimum adlaboravit in eorundem conversione. Sensuum mortificationi valde indulsit.

Idem ibidem.

Haec sunt nudecim, non decem coenobia, quae se ignorare profitetur Gonzaga.

Gonzaga p. 1276.

XXXIV. Irruentibus fidei hostibus Anglis in conventu Kilkenniensi in Hibernia, Matthaeum O Leyn lxvii. annorum sacerdotem, dum ad declinandum illorum furorem Vado proximum amnem trajiceret, eorum astis et lanceis crudeliter confoderunt die xiv. Novembris.

Matthaeus O Leyn M. *Brenan tom. 2. pag. 129.*

XXXV. In parochiali Ecclesia de Layland in comitatu Lancastriae ejusdem provinciae tumulum accepit hoc anno Joannes Senismendici, de quo nullo servato chronologiae ordine ad annum mdlviii. loquitur Josephus Maria ab Ancona. Alii dicunt eum fuisse es ordine S. Benedicti, alii vero minoritam. At spectata ejus vivendi et habitus induendi ratione, franciscanum fuisse putamus. Siquidem nudis pedibus incedebat, griseum habitum gestabat, cordaque S. Francisci pro cingulo utebatur.

Joannes Senismendicus *Ann. min. ad an. 1558. num. 1.*

XXXVI. In conventu S. Francisci Eborensis dies suos complevit xiv. Januarii Bonaventura Nectarius, anno mdlxxxvii. electus Episcopus Rossensis in Hibernia, a sua sede in exilium ab haereticis pulsus. Tumulum nactus est in ara majori ejusdem Ecclesiae hoc epigramate inciso.

Bonaventura Nectarius. *Agiologium Lusit. ad diem 14. Januarii.*

> Hirlandiae praesul Bonaventura hic jacet, audax
> Defensor fidei, pulsus ab haereticis.
> Hic moritur, fessusque locat cum fratribus artus
> E quorum numero dum fuit, ille fuit.

XXXVII. In conventu Trevirensi die xv. Januarii occubuit Joannes Meyler, dum confessarii munus gerebat in clarissarum S. Mariae Magdalenae monasterio ejusdem civitatis. Is vitam regularem omni virtutum ornamento ita conjunxit, ut omnes ejus sanctitatem praedicarent. Inclaruit etiam prophetiae dono; in conventu S. Antonii de Custanheira in provincia Portugalliae die xxii. Junii coelestia petivit Didacus Peregrinus, qui aula regia, cui inserviebat relicta, ad fratres minores de observantia convolavit, ubi vitam cum Christo absconditam inter jeiunia, corporisve austeritates transegit.

Joannes Meyler. *Hueber ad diem 15. Januarii.*

Didacus Peregrinus. *Monum. prov. Ann. min. ad an. 1394. num. 23.*

XXXVIII. In conventu Dominae nostrae de Pietate de Salvaterra in provincia Arrabidorum die vii. Februarii obiit Paulus de Punhete, qui primum in Italia inter capucinos professus, mox in Portugallia discalceatorum institutum amplexus est. Licet candidi moris summaeque foret perfectionis, ita tamen corpus vigiliis et austeritatibus edomabat, ut secum mitius

Paulus de Punhete *Agiolog. Lusitanum ad diem 7. Februarii.*

mitius agendum, majorum suorum auctoritas aliquando impulerit. Leprosorum obsequio deditus, eos verbis dulcissimis solabatur, charitateque summa eis inserviebat; die XXVII. Maii abiit ad Dominum in conventu S. Bernardini Insulae de Madera Antonius laicus, columbina simplicitate ditatus ac poenitentiae rigore attritus. Ejus corpus in ara majori Ecclesiae repositum, excepit inde mausoleum affabre instructum, divino lumine aliquando circumfusum. *Antonius laicus. Ibidem ad diem 27. Maii.*

XXXIX. Vultu hilaris, et in lacrymas effusus quievit die V. Maii in conventu S. Francisci Goae in custodia S. Thomae Indiarum occidentalium Juniperus, natus in oppido de Arrajolos dioecesis Eborensis in Portugallia. Vir erat ingenio rudis, sed cum extemplo in moralibus disciplinis excultus adparuisset, inter clericos connumeratus fuit. Missus in custodiam S. Thomae, ea de se virtutum specimina edidit, ut caeteris etiam grandaevis exemplo foret. Multos sustinuit labores in constructione collegii S. Bonaventurae civitatis Goae; suis enim humeris ligna ac lapides asportabat. Ejus acta descripsit Paulus de Trinitate lib. I. cap. CXXIV. Die XXI. Julii post expletum Missae sacrificium, et sacramentum extremae unctionis ab ipso festinanter petitum, ac a coenobii praeside in sacrario ejusdem Ecclesiae S. Francisci de Goa munitum, sancte occubuit Joannes Calvo sacerdos, flagrantissimae erga Deum et proximum charitatis. Ferdinando Contbio pro-rege Indiarum multam infidelium messem retulit in Insula Ceylan, ubi aliquot annos diversatus fuerat. *Juniperus de Arrajolos. Ibidem ad diem 5. Maii.* *Joannes Calvo. Ibidem ad diem 21. Julii.*

XL. In coenobio S. Francisci Populae de Angelis in provincia S. Evangelii dies complevit suos Franciscus de Linan hispanus ex regno Valentiae, qui ad Indorum regiones se contulerat, ut Christi fidem disseminaret. In conventu S. Francisci de Zacatecas trium annorum spatium insumpsit in educatione novitiorum, alios vero in infidelium conversione. Asperum cilicium ad nudam carnem gestabat; somnum capiebat super tabulam, modicoque cibo contentus erat. Ante ejus mortem gravissima infirmitate, quam a Deo enixe postulaverat, per octiduum correptus, eam inter divinae misericordiae laudes patientissime toleravit. Aliquando datus fuit socius individuus B. Petri Nicolai Factoris, cujus spiritus fervorem impense hauserat. In coenobio S. Francisci Mexici ejusdem provinciae S. Evangelii dies suos sancte complevit Aloisius Velasquez, qui abdicato canonicatu ecclesiae Metropolitanae ejusdem civitatis, inter observantes cooptatus, una cum sodalibus per plures annos in Indorum institutione ardenti zelo feliciter insudavit. *Franciscus de Linan Torquemada tom. 3. pag. 577.* *Aloisius Velasquez Idem ibid. p. 327.*

XLI. Anno aetatis suae LXX. dum in Hispaniam pro negotiis provinciae S. Gregorii se conferebat, penes Acapulchum obiit di XV. Novembris Didacus de Oropesa, de quo plura notavimus, intemeratae vitae sacerdos, et Insularum Philippinarum, Sinarum, et Cochincinae praeclarus apostolus, qui nullis parcens laboribus, per plures annos iis in regionibus hac illac cursitavit, ut fideles, quos ferme innumeros baptismatis lavacro tinxerat, in fide confirmaret, alios vero, ut ad Christi fidem adduceret. Nudis semper pedibus incedebat; herbis sylvestribus vescebatur; sub diu, rigente etiam hyeme, brevem carpebat somnum; quam quidem asperam vivendi consuetudinem ad mortem usque retinuit. In coenobio Dominae nostrae Maniliae justorum mortem oppetiit Martinus a Pietate laicus, oratione, contemplatione, et charitate erga infirmos, qui- *Didacus de Oropesa. Joan. Franc. a S. Antonio tom. 2. p. 465. Ann. min. ad an. 1583. n. 9.* *Martinus a Pietate. Idem ibid. p. 447.*

bus in publico illius civitatis valetudinario opitulabatur, insignis. Alapa graviter percussus, illico praebuit et alteram, Domini verborum recordatus, *si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe illi et alteram.* Praeter loricam ferream qua erat praecinctus, flagellis ita se caedebat, ut ejus corpus undique foret sauciatum. Ante ejus mortem, quam praedixerat, meruit recreari visione S. Francisci ac S. Antonii Pataviui. Ibidem hoc anno aetatis suae LXXX. Seraphici Parentis exemplo sequutus, super nudam humum obiit Joannes Pacheco sacerdos, praedicationis munus antea praeclare functus in celebrioribus Hispaniarum Urbibus usque ad annum LX. vitae suae. In Philippinas Insulas inde profectus, cum prae sui senectute illarum gentium idioma haud callere valeret, iter omnium virtutum alacriter arripuit. Saepe tamen conciones habuit ad Hispanos Manilliae degentes. In ecclesia S. Joannis Baptistae de Camarines quievit Michael a Siria sacerdos, ejusdem provinciae apostolus, qui eo vix appulsus, illius regionis idioma a Deo excultus fuit. Plurimum tamen insudavit, ut inaccessos montes, ubi infideles latebant, perlustraret, et belluinos homines ad humanitatem adduceret. Brevi post tempore ab idololatriae servitute soluti, sacro baptismatis lavacro regenerati fuerunt, erectis interim templis, et oppidis ad ineundum inter eos facilius perfectae societatis vinculum.

Matthaei 5. 39.

Joannes Pacheco. *Joann. Franciscus a S. Antonio ibid. pag. 460.*

Michael a Siria *Idem ibid. p. 457.*

XLII. Tumulatus fuit hoc anno in ecclesia S. Joannis Baptistae oppidi Lilii in provincia de Bay Joannes, natus Placentiae in Extremadura, primo in Italia inter minores conventuales, mox inter observantes provinciae S. Jacobi, postremo inter discalceatos fratres provinciae S. Josephi adscriptus. Martyrii desiderio incensus, anno MDLXXVII. cum aliis franciscanis in Philippinas Insulas se contulit, ubi novis genitis Ecclesiae filiis, ne in accepta fide deficerent, et in ea confirmarentur, plura in eodem idiomate, magno fidei ac pietatis augmento vulgavit. Scripsit enim opus mysticum *la Sentina*, *catechismum* variis illarum nationum idiomatibus exornatum, et *artem et dictionarium linguae tegelae. Statuta vero antiqua Indorum quos Tegalos vocant*, ad preces scripsit Jacobi de Vera Manilliae Gubernatoris. Custodiam S. Gregorii in easdem Insulas erectam, sanctissime tertius administravit, et in Manilliensi concilio, ubi et ipse praesedit, ejus liber de *doctrina christiana* in linguam tegalam translatus, ratus fuit, et adprobatus.

Joannes a Placentia. *Idem ibid. p. 512.*

Sbaralea lit. J.

Ann. min. ad an. 1582. num. 5.

XLIII. Cum autem ei concredita fuisset provincia de Bay, ita comiter penes eosdem infedeles se gessit, ut illi, abdicatis superstitionum erroribus, Christi doctrinam ex animo et prompte susciperent. Ejus labore excitatae fuerunt domus doctrinales in oppidis de Dilao, Quiapo, S. Annae de Sapa, Antipolo, Silan, Taytay, Binangonan, Pila, Lumbang, Mahayhay, Pangil, Moron, et Tabayas; et in provincia de Bulacau item domus doctrinales Cabilaya, et Meycavayan; ac proinde christifidelium numerus in dies auctus, divinus ubique cultus magis magisque patuit.

XLIV. Praeclaris interim virtutibus ditatus erat. Nullum opus, nisi ferventi oratione praemissa, aggrediebatur. Fuit observantiae regularis studiosissimus; membra cilicio, jejuniis, ac flagellis edomabat. Indigentibus qua poterat ope, subveniebat, divenditis etiam aliquando, ad eorum inopiam sublevandam, sacris Ecclesiae rebus. In componendis inter infideles dissidiis mire refulsit. Hinc cum apud omnes eximia sanctitatis fama

floreret, ad ejus funus concurrerunt undique christifideles, sacrum ejus corpus osculaturi; et Dominicus de Salazar Maniliae episcopus audita ejus morte, ea de ipso quae olim Gregorius X. de obitu seraphici Doctoris S. Bonaventurae verba protulerat, effatus est dicens: *Ecclesiam Dei illius morte magnam incurrisse jacturam, quia cecidit columna christianitatis.*

XLV. Circa haec tempora in conventu Metymnae de Campo dioecesis Salamanticensis in provincia S. Josephi mortales exuvias deposuit die II. Aprilis Lucas de Valle-Viridi laicus, austerissimae vitae; nunquam enim vinum, carnem, et pisces degustavit. Noctes ut orationi et contemplationi jugiter incumberet, in Ecclesia ducebat insomnes. Tanto Christi Domini cruciatus pietatis affectu recolebat, ut in majori hebdomada meruit participem fieri, quae Christus pro nobis in cruce pertulerat. In solemnitate resurrectionis Jesu Christi extra se rapiebatur, et ex ejus corpore ad jubaris instar radii lucis prodibant; eadem die raptus est Andreas a Valconeta laicus, abstinentia, patientia, atque simplicitate exornatus; die XXVI. ejusdem mensis ibidem decessit Alphonsus ab Asperilla, de quo solum nomen habent Bollandistae, laicus, qui eumdem spiritus fervorem quem hauserat in celebri coenobio Petrosi, usque ad mortem retinuit. Coelestibus visionibus, raptibus, divinisque colloquiis saepe potiebatur; attamen tanta erat humilitate, ut ab omnium nutu penderet. Nusquam eum quis vidit turbatum, aut in adversis commotum. Moestis, pauperibus, infirmisque summo erat solatio.

Lucas de Valle-viridi. Joan. a S. Maria part. 2. lib. 3. cap. 30.

Andreas a Valconeta. Idem ibid. lib. 4. cap. 6.

Alphonsus ab Asperilla. Acta SS. ad diem 26. Aprilis. Joan. a S. Maria lib. 4. cap. 3.

XLVI. In conventu Plici item provinciae S. Josephi die XII. Maii eum sequutus est Sebastianus a Casis, sive de las Casillas, laicus, qui paupertatis et poenitentiae amore ductus, unicum semper et obsoletum habitum induit, nudisque pedibus semper incessit; tanta insuper erat humilitate, ut omnium peripsema se reputaret, aliorumque pedibus conculcari cuperet. Daemonibus, a quibus saepe exagitabatur, formidabilis tandem evasit. Die VI. Augusti in eadem provincia non sine opinione sanctitatis obiit Petrus a Spe sacerdos, admirandae patientiae, ac perfectionis; die XXII. ejusdem mensis Petrus a Turrejonzillo, ferventissimae charitatis tum in deum, tum in proximum. Summo devotionis affectu Deiparam Virginem venerabatur, adhibitis et in ejus honorem vigiliis, jejuniis, ac corporis afflictationibus.

Sebastianus a Casis. Idem ibid. cap. 25.

Petrus a Spe. Idem lib 3. cap. 32.

Petrus a Turrejonzillo. Idem ibid. cap. 7.

XLVII. In coenobio S. Angeli Custodis Compluti die XXVII. Novembris coelestia petivit Franciscus a Cerebroso sacerdos, qui praeter singulare studium in assequendis religiosis virtutibus, ita doctrina excultus erat, ut S. Bonaventurae opera alta mente retineret. Summa pietate recolebat Christi Domini passionem, ac divinum Missae sacrificium devote peragebat; Matriti in conventu S. Bernardini die III. Decembris obiit Paulus a Jesu sacerdos, diu noctuque versatus in administratione sacramenti poenitentiae maximo cum animarum fructu; peccatores enim qui ad eum confluebant, singulari dono ad resipiscentiam revocabat. Fratribus quibus aliquando praefuit, exemplo charitatis, humilitatis, et patientiae praeibat; in conventu S. Andreae de Monte Arenis dies suos complevit die V. Decembris Petrus de Albacete, patria Abulensis, vir angelica puritate conspicuus. Antequam sacrum faceret, duabus aut tribus missis devote inserviebat.

Franciscus a Cerebroso. Idem lib. 4 c. 4.

Paulus a Jesu. Idem lib. 3. c. 34.

Petrus de Albacete. Idem lib. 4. c. 6.

Ob sui erga Virginem Matrem praecipuum obsequium, morte imminente, ejus praesentia dignatus est recreari.

XLVIII. Martinus a Jesu sive Ysasa, nobilibus parentibus Matriti natus, ita litteris in saeculo incubuit, ut brevi tempore summe eruditus evaserit. Graecis et hebraicis linguis copiose instructus, primum in academia Salamanticensi, ac postea Matriti in collegio Esuriali a Ferdinando II. Rege doctor theologus fuit renunciatus; in iis tamen muneribus pietatem quam lacte hauserat, enutrivit omnium virtutum exercitio. Sacerdotali dignitate insignitus, ac mundo valedicens, Barragiae prope Matritum ordini seraphico nomen dedit. Quo in instituto, obedientiam ac humilitatem summopere excoluit; praestans tamen fuit in paupertatis voto; totius enim vitae suae curriculo nihil aliud in cella retinuit, nisi crucem ligneam, et Sacrae Scripturae volumen. Millies in die gratias Deo agebat de sua ad pauperculum fratrum minorum ordinem vocatione. Toletum a suis missus, ut fratribus sacra fidei dogmata explanaret, quidquid temporis supererat, insumebat in augenda animi sui puritate, in effundendis precibus, atque in excitando culparum suarum dolore. Solitudine, vigiliis, austeritatibus, ac jejuniis delectabatur. Illum rapuit Deus die VIII. Decembris in eodem coenobio Toletano.

Martinus a Jesu. Idem ibid. c. 12.

XLIX. Eodem mense Decembri die XI. migravit ad Dominum in conventu S. Sebastiani Augnonii provinciae S. Josephi Petrus a Guadalaxara laicus, flagrantissimae charitatis erga SS. Eucharistiae Sacramentum; quam ut excitaret magis, genuflexus diu pernoctabat ante sacrum altare. Aliquando dum haec ageret, igneus globus miri splendoris visus est super ejus caput fulgere. Sacerdotes non alloquebatur, nisi flexis genibus, et manibus deosculatis; die XIII. in conventu S. Josephi Toleti Franciscus a S. Lucia sacerdos, puritate angelus. Ante ejus mortem ei apparuit S. Lucia V. et M. cui erat devotus. Eodem die S. Luciae sacro lucem hauserat, habitum religionis susceperat, et professionem emiserat; die XIV. Franciscus Vellonius obiit in conventu Dominae nostrae de Rosario prope alveum Tietaris in Castella. Lacrymarum dono sic potiebatur, ut sacrificium missae celebrare haud posset, nisi illis copiose effusis; apud oppidum S. Clementis in territorio Conchensi in coenobio S. Francisci decessit die XV. Didacus a S. Maria, oratione, patientia, ac poenitentia spectabilis; Toleti die XVIII. Franciscus de Monterroso, sive ab Occania, nobilibus parentibus natus. Tribus tantum horis quolibet die super tabulam, vel asseres sopori se dabat. Cum preces funderet, tam exardescebat in eo ignis amoris Dei, ut sudor per totius sui corporis partes proflueret; in celebratione autem Missae, totus in lacrymis colliquescebat. Eodem die in territorio Toletano Bartholomaeus a S. Anna, socius individuus S. Petri de Alcantara, ac S. Paschalis Baylon, eorumdem virtutum aemulator eximius. Bis electus minister provinciae S. Josephi, subditos rexit magis exemplo, quam verbo; cunctis vilioribus coenobii muniis se libenter mancipabat.

Petrus a Guadalaxara. Idem lib. 3. c. 33.

Franciscus a S. Lucia. Idem. lib. 4. c. 7.

Franciscus Vellonius. Idem. ibid. cap. 6.

Didacus a S. Maria Idem ibid. cap. 7.

Franciscus de Monteroso. Idem ibid. cap. 8.

Bartholomaeus a S. Anna Idem ibid. cap. 11.

L. Die XXII. ejusdem Mensis in conventu Conceptionis Oppidi de Callosa in provincia S. Joannis Baptistae obiit Benedictus Conchensis laicus, singulari puritate ac simplicitate exornatus. Dum die quadam labori in horto vacaret, et totus in Deo foret defixus, ligone ita pedem allisit, ut sanguis copiose ex illo manaret. Is nullo adhibito remedio, statim ad Ec-

Benedictus Conchensis. Panes tom. 1. pag. 120.

clesiam convolavit, et procumbens ante Virginis Deiparae altare, devote dixit: *Sanctissima Virgo ab hoc loco non recedam, nisi sanus fiam*; et illico sospitatem est assequutus. Circa haec tempora in conventu S. Joannis Baptistae Valentiae occubuit Petrus a Cabrera sacerdos, insignis verbi Dei praeco, et austeritate vitae clarus, qui ex superioris mandato praedixit sui obitus diem S. Paschali Baylon ejus consodali; Cadafalsi in conventu Dominae nostrae de Angelis in provincia S. Josephi Toletanae dioecesis Joannes laicus, Pacificus a pacifica vivendi ratione, et quia nemo illum turbatum vidit, dictus; emicuit in eo puritas, mentisque sinceritas; at in egenos tantam ponebat solicitudinem, ut eos tenerrime diligeret, et suis eleemosynis abunde cumularet. In conventu Dominae nostrae de Rosario prope Villam Regiam dioecesis Dertosanae in provincia S. Joannis Baptistae quievit die xxx. Martinus Ognantinus, cilicio ad nudam carnem revinctus, et orationi die ac nocte intentus. Quotidie singularia obsequia praestabat Deiparae Virgini, quae illi quandoque apparuit, puerum Jesum in ulnis gestiens, quem et ei amantissime ostendens, dixit: *Fili mi, persevera in meo servitio; praesto namque praemium accipies*. Coelesti colloquio confortatus, ampliori fervore iter omnimodae perfectionis arripuit. In conventu S. Crucis Maceratae in provincia Marchiae sancte obiit Angelus a Monte Roberto Aesinae dioecesis, in lege canonica peritus, in charitate fervidus, et regulae sui instituti zelantissimus; in coenobio S. Mariae de Jesu Nicosiae in Sicilia die xxvi. Martii Blasius a S. Lucia sacerdos summae perfectionis, ex cujus corpore suavis odor adhuc emanat.

Petrus a Cabrera. *Idem pag. 121.*

Joannes laicus. *Idem ibidem.*

Martinus Ognantinus. *Idem ibid.*

Angelus a Monte Roberto. *Monum. prov.*

Blasius a S.Lucia. *Tognoletto p. 342.*

LI. Inter capucinos cum sanctitatis opinione vitam cum morte commutarunt in provincia Panormitana in conventu Vibonae Ludovicus ab Alcamo sacerdos, nobili ortus prosapia, nobilior tamen vitae exemplo, conversationis gravitate, humilitate, ac paupertatis zelo. Superiorum jussu ad portum Velinum in Lucaniam adnavigans, a piratis turcis captus, et Algerium ductus, in durum carcerem conjectus est. Mira ibibem in eo eluxit patientia in adversis sustinendis. Petulantiam cujusdam turcae mulieris ad ejus labefactandam castimoniam, omni quo valuit modo, superavit. Eo in miserrimo statu, angelicis consolationibus, coelestibus revelationibus, mirandis exstasibus, et B. Virginis adparitionibus recreatus fuit. Liber inde biennio post dimissus, in Panormitanam provinciam commigravit. Vibonae commorans, mortis suae tempus praedixit. Tactu ejus pallii plura edita fuisse miracula ferunt; Eusebius Calaber laicus Messanensem provinciam suis virtutibus illustravit, ob quas a daemone variis infestationibus passus, orationis praesidio de ipso triumphavit; in Salvi conventu Petrus a Martina laicus, tantis praeditus virtutibus, ut a Deo ditatus fuerit prophetiarum ac miraculorum dono; in Cosentiae provincia Joannes a Petraficta sacerdos, a Deo item ob sanctitatem vitae suae miraculorum gratia exornatus. In conventu Aquilae e vivis ereptus est Antonius a Lionissa laicus, quatuor annorum spatio socius S. Felicis a Cantalicio in colligenda per Urbem eleemosyna; ita illius virtutes assequutus fuerat, ut Felix antequam obiret, haec de eo diceret Caesarinae cuidam Herculanae Camurdae baronissae Aquilanae: *Aquilana civitas illustrem ac pretiosam gemmam, tametsi non agnoscat, sibi vindicat, dum fr. Antonium a Lionissa superstitem habet*; *atque utinam et ipse eum*

Ludovicus ab Alcamo. *De Aremberg tom. 2. pag. 449.*

Eusebius Calaber. *Idem pag. 673.*

Petrus a Martina. *Idem pag. 669.*

Joannes a Petraficta. *Idem pag. 452.*

Antonius a Lionissa. *Idem pag. 671.*

in locum concederem, qui post obitum illi a Domino paratur. Quae quidem sancta verba, Antonii virtutum et sanctimoniae praeclarum testimonium reddunt.

Joan. Franciscus ab Aesio. Idem pag. 516.

Antonius a Mondulpho. Idem pag. 404.

LII. In provincia Marchiae immatura mors intercepit, et ad coeli praemia transmisit Joannem Franciscum clericum ab Aesio, ex gente Gritiorum illius civitatis illustri, anno aetatis suae xx. inter capucinos adscriptum. Excelluit austeritate vitae; membra aspero cilicio premebat, et gulae sensum jejuniis coercebat; Antonius a Mondulpho dioecesis Senogalliensis item Picenus, postquam summa cum laude concionatoris munus functus esset in pluribus civitatibus atque theologicam facultatem suis explanasset, meritorum plenus Neapoli Romam rediens, decessit in coenobio S. Bonaventurae de Urbe. Eum multa scripsisse tradit auctor bibliothecae capucinorum; in conventu Forocornelii provinciae Bononiensis Anselmus a Bononia, apostolico item spiritu praeditus in evangelica praedicatione, quam diu exegit; libere vitia increpabat, obstinatos quoque devincebat, vitamque illorum in melius commutabat. Servi sui praedicationem signis et miraculis Deum confirmatam voluisse fertur. In eadem provincia cum sanctitatis opinione decesserunt Lazarus Apuensis, Massaeus Ravennas, et Franciscus Maria Ferrariensis laici. Massaeus exemplo S. Patris Francisci, ut carnis tentationem depelleret, inter vepres se volutavit. Franciscus vero Maria morti proximus, ad signum salutationis angelicae in lectulo genuflexus, animam Deo reddidit, dum eamdem precem persolvebat. In provincia Mediolanensi obiit Peregrinus, Mediolani natus, vitae innocentia, ac regulari observantia insignis; in Belgica provincia Hieronymus Lirensis clericus, die a se praedicto cursum vitae beate absolvit; hoc eodem anno obiit adhuc clericus Seraphinus Antuerpiensis, postquam mentis excessum passus esset. Eum coelum ascendentem inter duos venerabiles viros manifestatum fuisse divinitus cuidam mulieri visu carenti, tradunt Boverius et de Aremberg.

Anselmus a Bononia. Idem pag. 234.

Lazarus Apuensis, Massaeus Ravennas, et Franciscus Maria Ferrariensis. Idem ibid p. 673.

Peregrinus Mediolanensis. Idem ibid.

Hieronymus Lirensis. Idem pag. 517.

Seraphinus Antuerpiensis. Idem pag. 115.

LIII. Tunc temporis inter eos virtutum meritis florebat S. Seraphinus de Montegranario Picenus. Is domestico hoste, ut diximus, devicto, in reliquas vitae spiritualis actiones totum sè dedit. Eximius paupertatis cultor, rebus ad sui usum necessitate quadam adductus utebatur. Habitus qui deterior et obsoletior esset, ab eo quaerebatur; neque unquam lacerum mutare, sed multis segmentis refectum ad extremam usque vetustatem gestare consuevit. Cum autem Dei tantum, ac praesidis sui voluntatem sibi in animo velut insculptam haberet, hinc nullum obedientiae pondus unquam illi grave visum fuit, sed leve ac suave. Non semel coenobiorum guardiani de Seraphini obedientia periculum fecerunt. In Asculano conventu commorans, jussit ei guardianus, ut novum habitum assumeret, et cum eo Asculanam urbem, in qua quotidianam stipem quaeritabat, circumiret. Gravior quidem haec illi res visa fuit, qui obsoleto hactenus semper habitu visus fuerat: at levem obedientia praestitit; nam urbem adiit, et vicos pervasit. Cumque passim incolae, quae praeter morem illum recenti habitu indutum videbant, eadem de nova veste congratularentur, is obedientiae virtute humilitatem contegens, lepide: *quid,* ajebat, *num semper mihi inter lacera versandum? nequaquamne ex iis erumpam?* At post haec guardianus, primaevo habitu obsoleto ut indueretur, permisit.

Ann. min. ad an. 1575. num. 133. Boverius tom. 2. pag. 722.

LIV. Tantum de se demisse sentiebat, et tanto sui contemptus amore aestuabat, ut summopere gauderet, cum pro nihilo teneretur. Hinc cum a sui ordinis fratre per fastidium ei diceretur, ut illo e loco abiret ob habitus sui foetorem, mox Seraphinus respondebat; *non habitus tantum, sed et animus intus pessime olet.* Ampliora Dei dona, quibus abunde cumulatus fuerat, solerti studio occultabat. Quadam die vir saecularis dixit ei: *O te beatum Seraphinum, qui nunc semper cum Deo versaris, ac certa deinde in coelo proemia expectes!* Cui Sanctus: *quid me beatum praedicas? num peccatorum maximus beatus esse potest? utinam mihi purgatorii poena ad extremum usque judicii diem toleranda a Deo adjudicaretur; quantae a me Deo gratiae haberentur!* Miracula vero, quae saepe divina virtute ab eo patrabantur, ne pervulgarentur, acrioribus aliquando verbis, interdum lepidis impedire conabatur. Hac denique suimet despectus cupiditate ductus, fratribus aliquando persuadere studuit, se dum diutius in Ecclesia orabat, non orationi, sed somno indulgere.

LV. Patientia ejus tam praeclara fuit, ut illum Deus ob id potissimum elegisse videretur, ut in eo ostenderet omnem patientiam ad disciplinam eorum, qui religiosam in claustro vitam degebant. Nam cum iis naturae donis a nativitate careret Seraphinus, quae hominem ad quaelibet recta agenda aptum efficiunt, hinc cum ineptum ad exequenda laicorum ministeria se praeberet, coenobiorum praesides, antequam illis nota ipsius esset sanctitas, asperioribus illum tum verbis tum factis ad trigesimum vel quadragesimum usque aetatis annum increpabant. Haec tamen hilariter Seraphinus accipiebat, ac in genua provolutus, superioris pedes osculabat, et saepe haec verba eructabat: *sic sanctule mi, sic fieri debet: Deus tibi pro tanto beneficio gratiam reddat.* Denique tam praeclaris gratiis a Domino donari meruit, ut Sanctus ab omnibus haberetur.

LVI. Virginum palmas recipiunt hoc anno in coelis quamplures sorores. In monasterio S. Annae Ulyssiponis die xiii Januarii obiit Margarita de Salvatore, primaria ejusdem aedis fundatrix, quae ibidem summa austeritate, et singulari regulae observantia vixit; in monasterio Matriti die xxx. ejusdem mensis Anna a Cruce. Infans a mortis discrimine erepta, novennis missa fuit a suis nobilibus parentibus ad domum Eleonorae a Castro, uxoris Francisci Borgiae Gandiae ducis, ubi ad annum usque xviii. virtutibus florens permansit. Habitum inde suscepit, et professionem emisit in collegio S. Clarae ejusdem civitatis, a quo tamen inde discesscessit, ut Matriti operam suam conferret ad fundationem monasterii S. Mariae Angelorum. Coelestibus donis illic cumulata apparuit, unde neophitis sororibus exemplo erat humilitatis, charitatis, vitaeque innocentiae. Post diuturnam laboriosamque infirmitatem, quam patientia summa sustinuit, ad Christi sponsum evolavit. Ejus acta descripsit Joanna a Cruce Caroli V. filia, prima illius monasterii abbatissa; die xxxi. ejusdem mensis in monasterio S. Clarae Figueriae dioecesis Conymbricensis Anna a Jesu, cilicio revincta, orationi intenta, et assiduae divinarum rerum meditationi occupata, ad superos vocata est.

Margarita de Salvatore. Agiologium Lusitan. ad diem 13. Januarii

Anna a Cruce. Ibidem ad diem 30 Januarii.

Anna a Jesu. Ibidem ad diem 31. Januarii.

LVII. In monasterio S. Elisabeth Segobiae in provincia Conceptionis ad astra migravit die i. Februarii Maria Ramirez, humilitate, charitate, corporisve afflictatione celebris; in monasterio S. Clarae Tordesillarum Catharina de Guevarra, cujus animam clarissima in coelum subvehi nube-

Maria Ramirez. Monum. prov.

Catharina de Guevarra, et Leonora Ulloa.
Ann. min. ad an. 1363. num. 12.
Maria Diez, et Maria de Rua.
Ann. min. ad an. 1373. num. 33.
Isabella a Matre Dei.
Agiologium Lusitan. ad diem 6. Martii.
Briolanga a S. Clara.
Ibidem ad diem 24. Martii.
Clementia Menezes.
Ibidem ad diem 21 Maii.

cula vidit Agnes Lopezia extasim passa; item Leonora Ulloa, in cujus decessu multae sorores concentum audierunt angelicum; in monasterio S. Clarae Villae de Reinoso Palentinae dioecesis Maria Diez, et Maria de Rua, ambo virtutibus ad miraculum excultae; die vi, Martii in monasteriu Spiritus Sancti de Torresnoves in provincia Portugalliae Isabella a Matre Dei, oratione, paupertate, ac continua mortificatione spectabilis, et ita sui ipsius victrix, ut etiam ad imitationem S. Catharinae Senensis virulentum ulcus sugere non dubitaverit. Post mortem ejus vultus luce irradiatus adparuit; in monasteriu S. Clarae Sanctaremi die xxiv. ejusdem mensis Briolanga a S. Clara, dono lacrymarum et devotione in Christi Domini passione recolenda exornata, de cujus cruciatibus speciali ejusdem Domini favore particeps fuit; beate decessit die xxi. Maii in monasterio Matris Dei Ulyssipone Clementia Menezes, uxor domini Andreae a Sousa dinastae de Arronchy. Marito defuncto, eo in monasterio seraphicam regulam professa, officiis vilioribus, austeritatibus, caeterisque virtutibus incubuit. Haec ex Agiologio Lusitano.

Leonora de Sylva.
Emmanuel a Spe tom. 2. pag. 7.
Birgitta de Menezes.
Idem ibid. p. 71.
Philippa de S. Petro
Idem ibid. p. 214.
Catharina de Fidelibus.
Idem tom. 1. pag. 688.

LVIII. In eadem provincia et aliae decesserunt juxta Emmanuelem a Spe; in monasterio S. Clarae Conymbriae die xi, Februarii Leonora de Sylva, nata parentibus Philippo de Sousa, et Philippa de Sylva. Vitam duxit angelicam, ac in summa rerum omnium egestate. In ejus morte, monasterii tintinnabula sponte sonum dedere in laetitiae argumentum, ac in ejus cubiculo rutilans sidus adparuit; in eodem monasterio die xxiv. Julii Birgitta de Menezes, ubi abbatissae munere functa, sororibus suis exemplo fuit sensuum macerationis, et regularis observantiae. Brachiis extensis, et jugibus lacrymis recolebat Christi passionem in cruce pendentis; in monasterio S. Clarae Villae-comitis Philippa de S. Petro, cujus innocentiam Deus testatam voluit perfulgida luce, instante sui obitus hora, quae tamen evanuit, mox e vivis erepta; in monasterio S. Clarae Portus Catharina de Fidelibus, oratione praestans ac contemplatione. Preces assidue Deo fundebat pro animabus Purgatorii.

Maria a S. Hieronymo.
Daza lib. 4. c. 5.
Hieronyma a S. Baptismo.
Idem ibid. cap. 50.
Theresia a S. Joanne.
De Guadalupe pag. 539.
Maria ab Assumptione.
Idem pag. 539.

LIX. In monasterio Conceptionis Antiquae Mellariae in territorio Cordubensi provinciae Angelorum migravit ad Dominum die xxix. Aprilis Maria a S. Hieronymo abbatissa, cui morienti adstitit S. Ursula cum sociis eam ad coelestem gloriam alliciens. Asperum cilicium nec de nocte unquam dimisit; die xii. Junii in monasterio S. Joannis de Poenitentia Belvisii in territorio Placentino Hieronyma a S. Baptismo, miris extasibus exornata, omnique sensu destituta, dum coelestium contemplationi se dabat. Poenitentiae operibus jugiter satagebat, flagellisque se asperis corpus ita caedebat, ut ob sanguinis nimiam effusionem ferme exanimis redderetur. Numquam lecto, vel strato usa est. Divinis revelationibus illustrata, obitus sui diem sororibus annuntiavit; in monasterio S. Clarae de Columna ejusdem provinciae Theresia a S. Joanne, quae spreta familiae suae amplissima haereditate, Domino inservivit in summa egestate et abstinentia. Toto fere anni tempore solo pane et aqua reficiebatur, excalceatis semper pedibus incedebat, ac super nudam terram brevem carpebat somnum; in monasterio S. Clarae de Palma Maria ab Assumptione, lacrymarum dono exornata, dum intentius orabat ante SS. Eucharistiae Sacramentum.

LX. In monasterio S. Clarae Cordubensis in provincia Granatensi quie-

vit Francisca de Pineda, ita solitudini addicta, ut septuaginta quatuor annorum spatio neminem virorum et mulierum saecularium alloquuta sit; in monasterio S. Clarae de Alcaudete sancte obierunt hoc eodem anno Maria de Espinoza, et Maria de Bustos, observantia regulari, et poenitentiae operibus illustres; in monasterio S. Elisabeth de Angelis Bazae Francisca Peralta, cilicio ad nudam carnem asperrimo cincta. Saepe quadragesimali tempore coronam spinarum in capite, et crucem in humeris, spectantibus sororibus, deferebat; Elisabeth de Villegas obiit in monasterio S. Clarae extra moenia civitatis Burgensis, quae trium vel quatuor horarum spatio extensis ad modum crucis brachiis orationi incumbebat, validis inde in humeris doloribus affecta. Cilicio ad instar vestis induta erat; in monasterio S. Clare de Guadalaxara Anna de Cruce Nunquam propriam cellam habuit, sed stratis per monasterii loca paleis, illic brevi sopori se dabat. Circa haec tempora in monasterio S. Apollinaris Mediolani pretiosa morte occubuit Elisabeth Crivelli, tanta charitate Deo conjuncta, ut aliquando horis quadraginta in mentis excessu perseveraret.

Francisca de Pineda
Idem pag. 590.

Maria de Espinoza, et Maria de Bustos.
Idem p. 590. 591.

Francisca Peralta.
Idem pag. 616.

Elisabeth de Villegas.
Monum. prov.

Anna de Cruce.
Monum prov.

Elisabeth Crivelli
Hueber ad diem 29 Augusti.

LXI. Aliquot sorores de tertio ordine in saeculo degentes cum sanctitatis fama decesserunt. Francisca de Citraro virgo Panormitana vitam solitariam degebat in monte S. Mariae de Jesu ejusdem civitatis inter austeritates, orationem, ac divinarum rerum contemplationem. Die in Ecclesiam fratrum se conferebat, et sacramentis reficiebatur. Tumulum nacta est in Ecclesia ejusdem coenobii; ibidem quievit die II Octobris Hieronymo a Messana, quae viro suo orbata, statim habitum ejusdem tertii ordinis assumpsit, et anacoritarum more solitariam vitam duxit inter illius regionis montana. Quadraginta enim annis inter ingruentes tum hiemis tum aestatis tempestates in antro delituit, cilicio ad nudam carnem revincta, et austeritatibus macerata. Nudatis semper pedibus incedebat. Nocturno tempore ad laudatam Ecclesiam adibat, ac prae illius foribus provoluta genibus, intensius ad usque solis ortum, non semel a Deo coelestibus donis ditata, in oratione perseverabat. Perpetuum illi fuit jejunium; modico namque pane et aqua vescebatur. Saepe a daemone dire percussa, et horrendis visionibus perterrita, victrix evasit et incolumis. Patientia summa comitiale morbum triginta annorum spatio sustinuit. His aliisque virtutum meritis exornata, penes omnes sanctitatis fama florebat; Calatahierone Agathia Martini, germana fr. Ludovici a Calatahierone, de quo nos acta descripsimus; ejus studio tertio ordini adscripta, iter arripuit omnimodae perfectionis, pane et aqua quotidie utens et aliquando solis fructibus. Id vitae genus annos XXX. gessit.

Francisca de Citraro.
Tognoletto p. 342.

Hieronyma a Messana
Gravina part. 2. cap. 2.

Agatha Martini.
Mazzara tom. 1. pag. 383.
Ann. min. ad an. 1579 num. 90.

LXII. In Ecclesia coenobii S. Laurentii Velitris fratrum minorum de observantia provinciae Romanae quiescunt exuviae Augustini Butii Mediolanensis, archiepiscopi Smirnensis, et suffraganei Alexandri Farnesii Cardinalis, illiusque civitatis Antistitis, hoc anno defuncti. Eam dioecesim non semel lustravit. In Corae civitate multa constituit; prae caeteris anno MDLXXXIV. statuit, *quod sacerdotes habere et detinere deberent penes se expositionem Canonis Missae, sub poena duorum scutorum.* Alia de eo no-

Casimirus a Roma de prov. Romana pag. 425.

tantur in subjecto lapide incisa.

D. O. M.
CERNITE MORTALES
AVGVSTINVS SANGVINE BVTIVS NATIONE
INSVBER MEDIOLANENSIS ORIGINE
RELIGIONE MINOR PROFESSIONE OBSERVANS
DIVINA SAPIENTIA CLARVS
SACRA ELOQVENTIA CLARIOR
AVORVM GENTILITIO DUPLICI BONITATE
CLARISSIMVS
APVD HIEROSOLIMAS PERVIGIL GENERALIS
VICARIVS
SVPREMAE HISPANIARVM HEROINAE
CONFESSARIVS
HINC VBIQUE CLAMANTIBVS MORIBVS
VIRTVTIBVS VNDEQVAQ. IMPELLENTIBUS
SMIRNENSIS ECCLESIAE CVRA PASTORALI
DONATVS TANDEM VELITREN. SVFFRAGANEVS
AQVILAE PLVMIS ET ACIAE
EVECTVS AD SIDERA
HOC SAXO PROMITVR HAVD PREMITVR
EX VOTO BVTIORVM FRATRVM
AVGVSTINI PHILIPPI I. V. D.
MARCI ANTONII CAROLI IO. BAPTISTAE I. V.
DD. QVI TANTI PERENNITATI VIRI
POSS. MONVMENTVM
ANNO DOMINI MDCXXXV.

LXIII. Decedunt viri docti inter minores observantes. Die xxiii. Octobris inter suorum lacrymas decessit in conventu S. Francisci Mexici Bernardinus Sahaguntinus ex provincia Castellae, qui ab anno MDXXIX. eo venerat, ut laboribus ac scriptis saluti Indorum consuleret. Mexicana lingua instructus, plura edidit. Praeter ea quae jam notavimus, alia scripsit, nimirum 1. *arte de lingua megicana*; 2. *tradato de la virtudes teologales in megicano*; 3. *esercicio espirituol para los siete dies de la semana*. Haec duo adservantur in collegio S. Gregorii Mexici. Auctor postremum librum emendavit an. MDLXXIV.; 4. *reglas y preceptos pera casados*; 5. *de los impedimentos del matrimonio*; 6. *leche esperitual*; 7. *eschala esperitual*; 8. *fruta esperitual, y otros opusculos adaptados a la istruccion y mas facil intelligencia de los neofitos*.

Ann. min. ad. an. 1580 num. 89. Beristain lit. B.

LXIV. Octogenarius obiit hoc anno in coenobio patriae suae Medinae Campi in provincia Conceptionis Joannes Pineda, *omnimodae lectionis*, ita Waddingus, *et infaticabilis studii vir, qui nullum visus est praeterire sacrum aut profanum auctorem, praesertim historicum, quem non legerit. Mirum est, quomodo tot libros legenti superfuerit tempus ad scribendum, aut tot volumina scribendi potuerit vacare ad legendum.* Scripsit anno MDLXIV., et MDLXV. duobus tomis in folio *Chiliadas universi, prosa et versu hispano*: extant Matriti in conventu observantium *vita S. Joannis Baptistae* tribus libris distincta; ad calcem habetur *expositio*

Wadd. de Script. lit. J.

salutationis angelicae verso; prodiit Salamanticae typis Gasparis de Portinariis anno MDLXXIV., et alibi deinde. In eadem civitate apud Cornelium Bonardi editum fuit anno MDLXXXVIII. opus *de honorifico decessu* D. Sueri de Quinones, cujus titulus *visio delectabilis carmine hispano adjectis glossis*. Scripsit Barcinone typis Jacobi Cendrat vel anno MDXCIV. vel anno MDCVI. editam *Monarchiam ecclesiasticam historiae universalis totius mundi* in libros XXX. in tomos tamen quinque divisam, in qua de omnium regnorum et rerumpublicarum origine, regibus, et principibus diserte agit, ac veram ecclesiae monarchiam ab Adam ad usque sua tempora deductam constanter perseverasse tuetur. Salamanticae vulgatum fuit anno MDLXXXIX. apud Petrum de Adverca, et Didacum Lopez opus: *agricultura christiana* in dialogos triginta quinque, binos tomos distributum, in quo quidquid ad animam christianam excolendam spectat, mira eruditione et rerum varietate intexuit. In bibliotheca Medinae Campi extat mss. ejus *Hecatompaea* tomis duobus in folio latine, quorum primus amplectitur centuriam concionum sacrarum a dominica prima adventus usque ad resurrectionem Domini; secundus centuriam aliam sermonum de tempore, ac de sanctis cum expositione Evangeliorum a dominica resurrectionis usque ad dominicam primam Adventus. Ibidem etiam extat mss. vernaculo et alphabetico ordine tomus unicus *de virtutibus et vitiis*. Ceterum aucta etiam fuit illa bibliotheca aliorum operum, quae subjicimus — *Clotalogia idest contra peccata et errores linguae - Chria Philotimica adversus ambitiosos — miscellanea diversarum materiarum et commentarios in decem primos psalmos Davidicos — in threnos Jeremiae — Ephanomicum praeludium ad explicationem Decalogi — Pentelogum juniorum praedicatorum — Convivium nobilium — Alveolos quatuor locorum communium variarum materiarum — in methaphysicam commentaria.* Sbaralea ut. s.

LXV. Joannes Nasus, vulgo Nas die XIX. Martii MDXXXIV. lucem aspexit Eltmanae, urbs Franconiae in ditione Herbipolensi ad Maenum intra Bambergam sita. Volfgangus et Magdalena ejus parentes eum, ut autem sarcinatoriam addisceret, Bambergam miserunt. Ea instructus, Norimbergam se contulit, ubi cum saepius conciones Lutheranorum andivisset in odium Summorum Pontificum, et catholicae Ecclesiae confectas, in eorundem haeresim incidit. At Bavariam inde trajiciens, ita ad meliorem frugem se revocavit, ut lecto saepe aureo libro *de Imitatione Christi*, ad seraphicum ordinem amplectendum vocatum se senserit. Ut autem voti sui compos fieret, ad ministrum provinciae Argentinae fratrum de observantia adiit, a quo in Monacensi coenobio inter suos anno MDLII. adscriptus, anno insequenti die v. Augusti professionem emisit. Obedientiae merito Ingolstadium amandatus, sarcinatoris munus explebat. Ingenti tamen desiderio ad studia exagitatus, noctu lampadem in dormitorio ante statuam B. Virginis collucentem adibat, studio linguae latinae, et aliarum tanto cum profectu vacavit, ut sacerdotali charactere insignitus anno aetatis suae XXV. theologicas lectiones in academia Ingolstadiensi frequentare coeperit. Prae suae doctrinae et eloquentiae praestantia concionator delectus, tum Ingolstadii, tum Straubingae Lutheranorum errores mire refellebat. Greiderer tom. 2. num. 248 p. 169. et seq.

LXIII. Verum non iis in locis tantum, sed et Monachii, Augustae Vindelicorum, Brixinae, Tramini, et alibi verbi Dei semina sparsit Joannes noster, at tanto cum animarum lucro, ut plura haereticorum

millia ad veram fidem perduxerit, et variis sceleribus catholicorum, luxuriae praesertim et blaspbemiae fraenum prosuerit. Eo etiam usus est in perlustranda sua dioecesi Tridentina eximius Cardinalis Madrutius; in pagis enim et oppidis ardenti zelo concionabatur. Ob haec praeclara ipsius gesta, ac scripta ab eo vulgata, plurimis haereticorum insidiis expositus fuit. Unus ex illis Isenae Naso obvians, dixit ei: *te vero monache tempus etiam vacat, ut aliquando seriam poenitentiam agas.* Cui respondit: *quid ergo faciam?* At ille: *primo cocullam tuam et vestem hanc inimicam abjice et lapides in eam projice.* Nasus ait: *quid postea?* respondit seductor: *mecum perge Hagam* (civitatem Lutheri veneno infectam) *et puellam tibi pulchram desponsabo, dein praedicatoris, ut me vides, munere fungere, eamque certissimam veritatem annuntia, Papam Romae antichristum, et omnes papicolas, maxime tonsuratos, ad diabolum pertinere assere.* Vaferrimus fidei hostis putans Joannem ad fidem suam jam conversum, eum in publicam propinam adduxit, et assatam carnem apponi jussit. At Joannes in risum solutus ait: *scias me hodie diem habere jejunii*, et his dictis se a propina fugam arripuit. Verum non solum animae, sed et ejus corpori insidias haeretici moliti sunt, tum in viis, tum etiam in cubili suo; a quibus tamen, protegente Deo, liber evasit.

LXVII. Irrisionibus etiam ac contumeliis eorumdem acatholicorum expositus erat. Aliquando enim impudentissimum et venenatum sycophantam appellabant; aliquando vero turpissimis agnominibus, quorum LXXII. numerantur, onerabant. Eo dementiae postremo devenerunt, ut illum asino insidentem, ejusque caudam manu apprehendentem cum forfice et acubus in asini tegumento coloribus exprimerent, satyricis cantilenis undique contra ipsum ibidem inscriptis. Licet haec ex odio peragerent, nihilominus ab auctore annalium universitatis Ingolstadiensis anno MDLXXX. editorum divulgabatur: *Nasus magnus certe et omnis haeresis mastyx, et schismaticorum vexator.* Lutheranorum enim facta ac scripta ita evidenter exponit, ut lecta aversionem provocent, omnemque iis fidem auferant.

LXVIII. Custos suae provinciae interim renunciatus, anno MDLXXI. Romam ad generale comitium accessit, ubi in Aracoelitano Templo o rostro dixit germano idiomate. A S. Pio V. Pontifice magni habitus, concionator apostolicus declaratus fuit, variis interim privilegiis vivae vocis oraculo cumulatus. Serenissimus Archidux Ferdinandus Tyrolensis Princeps anno MDLXXII. in suum aulicum praeconem adscivit, et Christophorus de Capitefontium minister generalis ordinis eum instituit provinciarum Argentinae, Austriae, ac Bohemia commissarium. S. Pio. V. e vivis erepto, Gregorius XIII. ejus in cathedra romana successor datis litteris: *Cupientes* die IV. Julii anno MDLXXVIII. illum ad reformandam Austriae provinciam misit. Item hoc eodem anno ex ejusdem Pontificis placito collatum illi fuit munus commissarii Ecclesiae cathedralis Brixinensis in Germania, ac tandem Episcopus Bellinensis anno MDLXXX. et suffraganeus Episcopi Brixinensis renunciatus. Suae originis probe memor, forficem insignibus suis apponi voluit.

LXIX. In episcopali dignitate constitutus, concreditum sibi gregem verbo, scriptis, sanctitateque vitae fovit ac nutrivit. Oratorium in caemeterio monasterii monialium Brixinensis in honorem S. Crucis, ac S. Mariae ad Nives a fundamentis extruxit, ac dotavit, et deinde die v. Au-

gusti consecravit, variaque alia in sua dioecesi sacro chrismate inunxit. Summi Pontificis mandato, Cardinalis Alexandrinus eum Romam vocavit, ut ibi cum canonico D. Arzt transactionem quamdam iniret. Quanta Romae valeret ejus fama, patet ex verbis epistolae ejusdem Cardinalis ad eum datis pridie calendas Augusti anno MDLXXXIV. *Ut autem eadem*, inquit, *amplitudo tua commodius iter conficere possit, jussu Suae Sanctitatis statim illi persolventur centum nummi auri, et Urbem deinceps ingressa humanissime excipietur, quemadmodum suarum virtutum merita postulare videntur, et multi labores per Dei ecclesiam in refellendis haereticorum fallaciis suscepti. Certo autem sciat amplitudo tua, sese hic esse in magna expectatione: laeto itaque animo amplitudo tua itineri se accingat.* Quod et praestitit.

LXX. Inde Oenipontum reversus, non aetate longevus, sed laboribus ac vigiliis fractus, hoc anno die XVI. Maii e vita migravit. In sacello S. Francisci sacro coenobii Oenipontani, sub niveo marmore ejus effigiem exhibente, conditus, super verticem ejus haec obviant verba.

SERENISSIMVS PRINCEPS FERDINANDVS ARCHIDVX AVSTRIAE ETC. ERGA OPTIMVM PRAESVLEM ET OLIM MINISTRVM SVVM GRATIAE SVAE DECLARANDAE HOC MONVMENTVM POSVIT.

Ad antistitis pedes haec et alia prostrat inscriptio.

REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PRAESVL AC DOMINVS FRATER IOANNES NASVS ORD. FRATRVM MINORVM DE OBSERVANTIA BELLINENSIS EPISCOPVS BRIXINENSIS SVFFRAGANEVS CONCIONATOR APOSTOLICVS ET SERENISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI AVSTRIAE ARCHIDVCIS AVLICVS RELIGIONIS CATHOLICAE PROPVGNATOR CONSTANTISSIMVS ET HAERETICORVM HOSTIS ACERRIMVS SVB HOC SAXO IN DOMINO QVIESCIT MORTVVS XVI. DIE MAII ANNO SALVTIS HVMANAE MDXC. AETATIS VERO SVAE LVII. QVEM DEVS OPTIMVS MAXIMVS SVA IN CHRISTO MISERICORDIA DIGNETVR.

LXXI. Quamplura scripsit et edidit contra sui temporis acatholicos, quorum specimen accurate exhibet hoc ordine Vigilius Greiderer, vir eruditissimus, et doctissimus. Sunt enim: *Catechismus catholicus* latine Ingolstadii impressus anno MDLXVII. et anno MDXCVIII. Censura mendaciorum insignium ab haereticis se evangelicos nuncupantibus scriptorum, sive *Prodromus centuriarum* Ingolstadii an. MDLXIX. *Centuriae sex de matrimonio, vita monastica, vitiis utriusque vitae, oratione dominica, discrimine veteris et novae fidei, ac praecipuis capitibus fidei christianae.* Centuria prima *Chiliadis veritatum evangelicarum* impressa fuit Ingolstadii anno MDLXX. Item eodem anno et loco centuria secunda contra *Hestuosium* et centuria tertia. Centuria quarta contra *Joannem Fredericum Saelestum* ibidem eodem anno. Centuria quinta *Lutheri acta* completitur contra *Cyriacum Spangenbergium*, in qua citatur *prodromus* centuriae sextae contra *Lucam Hosen* anno MDLXIX. G. *Asinus Nasi Battimontanus* sive instructio de Nasi asino, ejusque vero titulo, nimirum litteris G. M. B. contra Georgium Nigrum Bettimont, et Mathiam Ritter an. MDLXXI. *Practica practicarum contra haereticos, astrologiae judiciariae addictos* Ingolstadii anno MDLXXII. *Antigratulatio contra Jacobi Andreae gratulationem*, praecones ducatus Bavarici factos esse Lutheranos mendaciter ambo adserentes.

Greiderer ibid. n. 387 pag. 214.

Tractatus breves *de coena Domini*, in quo unico sermone, L. adversariorum objectiones refutantur anno MDLXXVI. *Refutatio libri a Josue Opitio* editi anno MDLXXVII. *Examen chartaceae Lutheranorum*, et concordiae contra Jacobum Andre Ingolstadii anno MDLXXXI. Concordia *controversiarum novarum* Monachii anno MDLXXXIII. *Praeludium novellarum*, seu in centurias hominum sola fide perditorum Ingolstadii an. MDLXXXVIII. *Angelus Paraneticus contra solam fidem delegatus* ibidem eodem anno. *Levita catholicus*, seu concio defensoria ibidem an. MDLXXXIX. *Manuale parvi christianismi* ibidem anno MDLXX.

LXXII. Sunt et ejus postillae ac conciones ab eo contra protestantes editae. *Postilla minor a Paschate usque ad Adventum* Ingolstadii an. MDLXI et Moguntiae an. MDLXVII. *Quinque conciones orthodoxae*, nempe de morte temporali, et aeterna, de animae et corporis morbis, de divinis et humanis remediis, de duplici modo sepeliendi funera, et oratione ibid. an. MDLXV. Conciones tres *de conjugio*, *statu religioso*, *et zizaniis in statu saeculari et religioso* ibid. an. MDLXVI. Conciones duae *de veteri et nova fide*, *ac praecipuis capitibus veteris christianismi* ibid. an MDLXVII. *Concio de usu orationis dominicae* ibidem an. MDLXVII. et MDLXXII. *Conciones familiares* seu domesticae sex an. MDLXXI. Moguntiae. *Postilla minor ab Adventu usque ad Pascha* an. MDLXXII. *Concio de victoria maritima a christianis de turcis an.* MDLXXII. *reportata*, seu de *tempestate a Christo sedata*. Conciones septendecim, quarum XII. *de SS. Sacramento*, et V. *de morte temporali et aeterna*, *morbi remediis*, *duplici sepultura et oratione* pertractant, Moguntiae an. MDLXXI. et Ingolstadii editae an MDLXXII. Concio *de SS. Sacramento*, et alia *de animabus* ibidem anno MDLXXIX. Conciones V. *autumnales* Tramini habitae ibid. an. MDLXXX. Conciones *de temperantia et aeterna morte*, conciones tres *de triplici vitae genere*, videlicet *de veste nuptiali*, *ac conjugio*, *statu religioso*, *et zizaniis in statu* saeculari, et religioso, conciones tres *de veste nuptiali*, conciones *catholicae* LXV., *admonitio ad omnes christianos*, et concio *de coena Domini* Ingolstadii an. MDLXXVII. Extant ejus mss. *adnotationes in dialecticas considerationes Francisci Tilelmanni*, *institutiones artis rethoricae sacrae*, *adnotationes in enchiridione locorum communium ab Hechio elaboratum*, et alia.

LXXIII. Joannes noster opera sua elaboravit teutonica in lingua; multa tamen eorum in idioma latinum transtulit. Ingolstadii an. MDLXXVII. typis commissa a cl. Io. Dominico Hessio. Ceterum ejus opera commendata semper fuerunt tum a veteribus, tum a recentibus religionis catholicae controversistis. Missis aliis, haec quae de eo, licet in florenti aetate versaretur, scribit cl. Eisengrein *in catalogo testium veritatis et fidei catholicae* anno MDLXV. edito: *Joannes Nasus ordinis minorum conventus Ingolstadiensis vir doctissimus*, *atque in monastica disciplina exercitatus*, *orator facundus*, *nec ulli theologorum secundus*, *catechismum catholicum tam pium tam doctum posteritati consecravit*.

Terrinca in theatro Etrusco pag. 207. LXXIV. Raptus est item hoc anno Neapolis Lucas Mencolinus a Cutiliano dioecesis Pistoriensis oppido in provincia Tusciae, qui in gymnasiis ordinis Aquilae, Perusii, Florentiae, et Venetiis Scoti doctrinam exposuit, scriptisque tradidit *contradictiones Scoti tum litterales*, *tum virtualiter tales*, *tum dictis SS. et Philosophorum oppositiones in prologum primum atque secundum librum sententiarum Subt. Joannis Duns Scoti*.

Eas postea expurgavit, auxit, vulgavitque Florentiae anno MDCXXV. Jacobus Pierio Pistoriensis ejusdem instituti.

LXXV. In conventu S. Francisci Aesii in provincia Marchiae dies etiam explevit suos Valentinus, in saeculo Astulphus, Septempedae ex gente Servanzi inter cives illustri natus. Principis illius ecclesiae canonicus renonciatus, et caesareo jure jam excultus, Tridentum venit cum Angelo Massarelli Episcopo Telesi civi suo, qui delectus a secretis concilii Tridentini, illum ob suae doctrinae praestantiam eo in munere sibi socium adscivit. Omnia quae in eo Patrum senatu evenerunt, accurate notavit composito commendatissimo scripto, quod *Diarium Concilii Tridentini* nuncupavit. A Marco Antonio Burghesio principe romano laudatum diarium ab aliena manu exscriptum habuit Cardinalis Pallavicinus, qui eo usus est ad historiam concilii Tridentini adornandam, ut ipsemet fatetur in eo opere lib. XV. cap. XIII. num. 4. Hoc mss. saepe etiam citatur a Raynaldo tomo ultimo annalium ecclesiasticorum. *Monum. prov.* *Sbaralea in suppl. lit. V.*

LXXVI. Absoluto Tridentino concilio, cum ab omnibus magni habitus esset, illum amplissimis litteris Neapolim vocavit Julius Caesar a Capua Conchae princeps, ut, eo adjutore, facilius sui regiminis negotia expleret; hujusmodi vero munus recusavit. Annuit tamen votis Cocchii archiepiscopi Corcyrensis, quem in partem laboris suae dioecesis sibi assumere curaverat, et inter suae cathedralis ecclesiae canonicos, antequam eo loci advenisset, jam cooptaverat. Verum cum itineri se commisisset, Venetiis appulsus, minorum instituto, non absque divino consilio nomen dare in animo sibi proposuit. Hinc in Picenum reversus, die XXIV. Martii anno MDLXVII. habitum franciscalium observantium suscepit, et professionem anno insequenti emisit. *Ann. min. ad an. 1567. num. 125.*

LXXVII. Anconitano S. Francisci ad Altum coenobio praefuit. Anno enim MDLXXVII., uti loci praeses, testimonium dedit de insigni B. Gabrielis Ferretti miraculo, cujus autographum sua manu scriptum ac subscriptum vidi apud cancellariam episcopalem ejusdem civitatis inter acta canonizationis laudati Beati. Majoris inde perfectionis gratia in nuperam fratrum reformatorum societatem cooptatus, custodis munus eorumdem obivit in provincia Marchiae. Anno MDLXXXIV. ab episcopo Auximatis confessarii officium suscepit monialium clarissarum S. Joannis Baptistae Montiscassiani, tunc temporis ejusdem dioecesis. *Ibidem ad an. 1577 num. 99.* *Compagnoni de ecclesia Auximana. tom. 4. p. 143.*

LXXVIII. In coenobio S. Francisci Aesii commorans, Sebastiano Servanzi consanguineo suo autographum concilii Tridentini diarium a se compositum misit, ut ex epistola hisce verbis expressa testatur sub die III. Februarii MDLXXXV. « Quando io era nel mondo, et cortigiano, et quando » andai nel concilio di Trento, scrissi per mio esercitio un libro di tutte » cose accadute in quello, quale ho sempre tenuto appresso di me; e » perchè non lo voglio più, ho voluto mandarlo a voi, acciò lo teniate » in casa vostra per memoria, come parente di sangue, e di una casa » medesima ». Anno MDCCLXXIX. eques Gaspar Servanzi diarium hoc dono dedit eminentissimo Cardinali Zelada, qui illud inde misit ad eminentissimum Cardinalem Laurenzana. Extat in bibliotheca Barberina de Urbe alterum hujus diarii exemplar, quod vidi, nitidis characteribus inscriptum. Ceterum quae de Valentino nostro vulgamus, aliqua humanissime habuimus a Raphaele comite Servanzi Septempedano.

LXXIX. Doctrina praestantes et inter minores conventuales obiere. Julianus Causius a Molleano Picenus in sacris litteris et concionibus egregie versatus, jam inquisitor generalis, suae provinciae praeses, procurator generalis ordinis, ac postremo ordinis supremus moderator, defunctus est, ut paullo antea diximus, paucis post diebus a sui electione. Extat de eo epitaphium marmoreum positum prope januam Ecclesiae lateralem SS. XII. Apostolorum de Urbe.

Sbaralea lit. I.

IVLIANO CAVSIO A MOLLEANO PICENO S. T. M. AC CONCIONAT. ILLVST. OB PRAECLARA EIVS MERITA FRANCISCANAE RELIG. POST S. PAT. GENERAL. LX. ROMAE V. ID. IVNII MDXC. OMNIVM LAETITIA ELECTO AC XII. AB ELECT. DIE OMNIVM MOERORE DEFVNCTO FF. MINORES HVIVS ROMANI COENOBII CONVENTVALES XII. PARITER AB OBITV DIE MAESTISS. POS.

Plures annos in Maceratensi academia philosophiam docuit. Ejus sunt *commentarii super lib. Perhierm. et Poster. Arist.* tom. 1. in folio mss. Maceratae anno MDLXXV., et *commentarii super lib. praedicament. Arist.* tomus alter in folio Maceratae MDLXXVI. mss.

Idem lit. F.

LXXX. Hoc eodem anno e vivis excessit Franciscus Maniuconius, ex oppido Sonnino dioecesis Terracinensis, plurium *concionum* scriptor, quas habuerat Viterbii ac Mediolani. Alia etiam *scripta* reliquisse docet Sbaralea, quin exhibeat catagolum. Hieronymus Alberici Brisighellensis ex provincia Bononiensi vulgavit italice, nuncupavitque Hieronymae Columna Montis Leonis ducissae suae spirituali filiae *concionem egregiam de vero Jubilaei anno* Romae an. MDLXXVI. De eo habetur sequens elogium apud SS. XII. Apostolos de Urbe.

Idem lit. H.

HIERONYMO ALBERICIO BRISIGHELENSI MIN. CONV. VIRO PIETATE MORVM INTEGRITATE ATQVE OMNI SCIENTIARVM GENERE ORNATISSIMO CONCIONATORI CELEBERRIMO QVEM BONONIAE PROVINCIALATV MAXIMA OMNIVM LAVDE FVNCTVM CVM SIXTVS V. P. M. S. BONAVENTVRAE COLLEGIO PRAEFECISSET IN IPSO VIRTVTVM ET GLORIAE CVRSV MORS MAGNO FRANCISCANAE FAMILIAE LVCTV ET IACTVRA ERIPVIT ANNO AEATIS SVAE LV. F. BAPTISTA A CASALI MAIORI COMES INDIVIDVVS PERPETVAE BENEVOLENTIAE ET PIETATIS ERGO. OBIIT ANNO MDLXXX. DIE XXVI. APRILIS.

LXXXI. In ecclesia S. Francisci conventualium prope Varisium ad aram principem extat sequens memoria Thomae Orrigoni ejusdem instituti.

D. O. M.
F. THOMAE ORRIGONO A VARISIO NVNCVPATO
FRANCISCANI ORDINIS THEOLOGO
BIS PROVINCIAE MEDIOLANI
MINISTRO PROVINCIALI
VNIVERSI ORDINIS SVI IN VRBE ROMA PROCVRATORI
IVSSV PII IV. PONT. MAX. VICARIO GENERALI
GREGORII VERO XIII. VISITATIONIS APOSTOLICAE
MVNERE PERFVNCTO
QVI OBIIT KAL. IVNII ANN. MDXC.
NATVS ANN. LXXI. MENSES SEX
GREGORIVS PHYSICVS COLLEGIATVS MEDIOL.
FRATRI CHARISS. ATQVE OPT. F. C.

Anno Christi	Sixti V.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1590.	an. 5. et 6.	anno 14.	anno 383.

LXXXII. Litteris floruit hoc anno penes eos Ludovicus Nuti Assisias, qui edidit *vitam S. Clarae Virginis*, *et poema drammaticum* in ejusdem laudem, Perusii typis Petri Pauli Orlandi. Petrus Marsaeus Cratepolius ex provincia Coloniensi scripsit *opus chronologicum orbis universi a mundi exordio usque ad annum* MDXC. Anno autem MDLXXX. Coloniae ediderat *catalogum electorum ecclesiasticorum*, *et fere omnium orbis episcoporum*; item eodem anno ibid. *Historiam martyrum Gorgomensium ord. min. de observantia*, et an. MDLXXXIX. ibid. *de sanctis quibusdam Coloniensibus librum*. Ejus pietas ac doctrina his verbis commendatur ab Henrico Sedulio minorita de observantia: *Rarae pietatis*, *et eruditionis V. C. Petrus Opmerus*, *dum viveret*, *argumenta multa dedit*, *quem cum aliquando coram vidissem*, *sermonem*, *vultum*, *gravitatem*, *et venerabile senem admirari debui. Multa cum laude scripsit*, *latina Belgis*, *Belgica latinis donavit. In his Vincentium Lirinensem satis feliciter patrio idiomate vulgavit*, *sacrae liturgiae*, *sive officii missae historicam assertionem e quatuor primis Conciliis*, *SS. Patribus*, *et Ecclesiae Doctoribus apte concinnavit.* Tandem Vincentius Gallus Alcariensis provinciae Siciliae, metropolitanae Ecclesiae Panormitanae modulationibus praefectus edit *opera quamplurima musice facta*, quae in Ecclesia cantari solent, Romae typis Montii, et alibi.

Idem in addenda pag 731. lit. L.

Idem lit. P.

Sedulius hist. Seraphica pag. 666.

Sbaralea lit. V.

LXXXIII. Suos habuerunt et doctos viros minores de observantia, discalceati, et capucini. Minores observantes fuerunt Hannibal Rossellinus Calaber, de quo multa dicimus, qui Posnaniae apud Joannem Volrabum edidit opus apprime doctum *de septem Sacramentis*. Venetiis vulgavit *miracula B. Mariae Virginis* Ludovicus Coelestinus a Monte Leone provinciae Umbriae. Item Joannes Nafarmendi parrochus conventus de Jezcupo edidit Mexici *elogio funebre en las solemnes honoras*, *qua se celebroron en la cividad de Zezcuco al ejemplar y venerable ecclesiastico D. Fernando de Cordoba*. Angelus Badajox hispanus ex provincia S. Josephi discalceatorum, jam minister provincialis scripsit quaedam *carmina*. Nonnulla leguntur initio libri hispanice inscripti *triunfos del amor de Dios* Mathyuae Campi hoc anno impressi. Archangelus Alarcon capucinus, in Turri Sillana Hispaniae Tarraconensis nobili genere ortus, edidit Barcinonae non anno MDXLIX. ut scribit Waddingus, sed hoc anno *carmina de Beata Virgine*, *et viridiarum plantarum divinarum*. Item Christophorus de Verruchio dioecesis Ariminensis italico idiomate scripsit *exercitiorum spiritualium volumina tria*, edita Lugduni hoc anno, et Venetiis apud Nicolaum Masserinum anno MDXCVII. Possevinus in suo apparato sacro tom. 1. illum appellat *sanctitatis* et *doctrinae* specimen.

Wadding. de Script. lit. H. An. min. ad an. 1585. n. 65.

Sbaral. lit. L. Beristain lit. J.

Joan. a S. Antonio in biblioth. lit A.

Wadding. ibid lit. A Joan. a S. Antonio lit. A.

Wadding. ibidem lit. A.

LXXXIV. Degebat hoc tempore in coenobio Dominae nostrae de Angelis Maniliae frater laicus franciscanus discalceatus Gonzalvus Garcia nomine, qui antequam mundo valediceret, decem annorum spatio in regno Japoniae, omnium existimatione fuerat diversatus. Cum autem Taicozama illius regionis imperator exules effecisset evangelicos operarios, ideo illius ecclesiae christifideles sequentes ad eum miserunt litteras, quibus franciscani, ut eis in tanto fidei discrimine positis auxilio forent, expetebantur. Eas ex japonico idiomate in hispanicum transtulit idem Gonzalvus.

Carta de la Reyna Dona Gracia, y de los christianos de Amacusa.

Joan. Franciscus a S. Antonio tom. 3. pag. 73.

LXXXV. Nosotros los christianos de Amacusa, yo Dona Gracia Reyna y senora de estas tierras, y la muger de mi hìjo Don Juan, y Don Bartholome, y Don Cornelio rogamos à vos fr. Gonzalo Garcia, como a hìjo, y hermano nuestro, que por quanto somos informados de los frayles de S. Francisco, y de su modo de vivir, y en especial que non reciben denèros, lo qual en un tiempo tuvimos por cosa de bùrla, pensar que tales hombres se hallassen en el mundo: péro yà la experiencia nos hà dessengauado; y assì decimos, que estos solos queremos, por ser pobres, y que viven de limosnas, las quales les daremos de buona voluntad, si viniessen à mis tierras, doude hày ochenta y nueve puebles de christianos, de à quatrocientas, y seiscientas casas cada una, y no tengo quien los administre, sino dos Teatinos, el uno sacerdote, y el otro légo; y como estan saltos de doctrina, sou muy perseguidos de los gentiles, que les persuaden, se tornen a su Léy, pues no saben la de los christianos, ni tieuen quien se la ensene. Estas cosas, y otras mnchas me escribieron mis vassallos el ano de mil y quinientos y noventa.

Epistola D. Gratiae Reginae, et christifidelium Amacusae.

Nos Amacusani fideles, ego D. Gracia Regina, et terrarum istarum dominatrix, uxor etiam filii mei Joannis, et Bartholomaeus, ac Cornelius, te fratrem Gonzalvum Garciam tamquam filium, et fratrem nostrum rogamus, ut fratres tuos moneas, quoniam religiosorum S. Francisci vivendi modum, et praesertim pecuniae renuntiationem novimus, quos divitiarum contemptum non credentes, aliquando derisimus, cujus nunc veritatem certam habemus: illos dumtaxat volumus, quia pauperes, et ex eleemosynis vitam ducunt, quas eis nos ipsi lubenter erogabimus, si in meas terras a nonaginta populis (quorum singuli quadringentas, aut sexcentas domos occupant) habitatas advenient. Neminem habeo, a quibus instruantur, praeter duos religiosos Theatinos, unum sacerdotem, alterum vero laicum: cumque sint in fidei confessione constantes, persecutiones a gentilibus patiuntur, qui eos ab Ecclesiae sinu abducere et retrahere conantur. Haec et multa alia a meis christianis ad me scripta sunt anno MDXC.

Carta de los christianos de Amanguchi.

Idem ibid. pag. 72.

LXXXVI. Decimos los christianos de Amanguchi, que somos trece, ò catorce mil, à quien en los tiempos passados bautizò el padre Francisco Xavier de la compania de Jesus, que estamos sin doctrina, y sin ministros dòce anos hà; y por no tener quien nos bautize, nos bautizamos unos à otros en casa de Joachiu, doude teniamos una cruz, una sobrepelliz,

Epistola christifidelium de Amanguchi.

Nos christiani Amanguchani, qui tredecim vel quatuordecim millia complemus, temporibus retroactis a Patre Francisco Xaverio Societatis Jesu religioso baptizati dicimus, quod a duodecim annis doctrina et ministris caremus, et quia deerant, a quibus nostri regenerarentur, semetipsos alterutrum baptizabant in domo Joàchim, in qua crucem, superpellice-

y una disciplina, que fuè del sobredicho padre: y quando alguno de los christianos enfermaba, vestiamosle la sobrepelliz, y ajustabamosle en la cruz, y daudole cinco azotes con la disciplina, sanaba luego. Murio el dicho Joachin, que non fuè pequeno trabajo para nosotros, aunque otro mayor se nos siguiò despues de su muerte, porque el Emperador quando supo, que eramos christianos, nos desterrò de nuestra tierra, dexando en ella solos quatrocientos, los quales, por aver sabido, que en la de Manila y Philipinas hày muchos frayles, accordamos de embiarlos à pedir, y que sean de los Franciscos, porque segun lo que acà entendemos de ellos, si viniessen al Japon, se convertirian innumerables gentes, viendo el estado tan perfecto y su modo de vivir tan semejantes al de los Apostoles, segun que muchas veces lo oimos predicar a nuestro buen padre Xavier. Y no ha sido sola esta vez, la que hémos embiado por ellos, ni nosotros solos los que los pedimos, que otros muchos los piden, y diversas veces hàn embiado per ellos. Tagunſa cunàdo del Emperador, es yà christiano, y por no tener quien le doctrine, se hà ido con toda su gente à buscar quien le ensene. Y persuadiendole el Emperador, que se tornasse à su Ley pues le faltaban min stros, que le ensenassen, de los christianos, respondio, que no la haria aunque le hiciessen todo su cuerpo tajadas. Justo natural de Meàco, que fuè senor de mas de ocheuta mil vassallos, està tan solo, que ni para si, ni para ellos, no tiene siquièra un ministro que los industrie, ni ensene en las cosas de la fè, en la qual hà estado siempre tan costante, que aviendole requirido al Emperador, que la dexasse, y se balviesse à la antigua idolatria, porque no le quiso obe-

um, et dicti patris disciplinam conservabamus: cumque aliquis christianus infirmaretur, ipsum super pelliceo induebamus, et cruci applicabamus, moxque quinquies disciplina percussus, illico sanitate pristina fruebatur. Mortuus est magno omnium moerore Joachim, et dolor additus est dolori. Cum postea audiens Imperator nos Christo, et ejus legi servire, e nostris terris nos expulit, relictis quadriugentis, qui intelligentes in insula Manilae, reliquisque Philippinis plurimos fratres existere, de mittendo ad eos eosque accersendos convenimus: sed franciscanos esse optamus, quoniam juxta quod de illis narratum est, praevidemus, quod si in Japoniam veniant, innumeras gentes ad Christum convertent, cum videbitur status eorum perfectus, et modus vivendi apostolicae vitae, saepe nobis a nostro bono patre Francisco Xaverio descriptae simillimus; nec solum hac vice, nec a nobis dumtaxat, sed a pluribus pluries postulati fuerunt. Tagunſa Imperatoris cognatus christianus est, et quoniam doctoribus caret, ivit cum universa familia sua, ut reperiret, a quibus in fidei via dirigeretur: cumque Imperator ex carentia ministrorum, ipsi apostasiam a religione catholica suadere vellet, constanter respondit se prius membratim discerpendum quam a Christo capite dividendum. Justus Meaci civis, cui plusquam octoginta subditorum millia obediebant, nec pro se, nec pro suis ministrum a quo in fide erudiatur, habet; attamen ille ita fortiter in fidei confessione perseveravit, ut licet bonis et honoribus ab Imperatore spoliatus, et ad pristinam idolatriam ab ipso illectus in summa tamen egestate semper vixerit, et in christianae fidei professione perseveraverit. Ipse, universa familia sua, subditique omnes qui octoginta sunt millia, instructi-

decer, le quitò sus estados, el titulo de Senor, y ser grande del reyno, y toda su tierra, y vassallos, y quedo en suma pobrèza, en la qual vive y en la lèy de los christianos. El, y todos los de su casa, y tierra, que son ochenta mil, piden doctrina, y en especial frayles de San Francisco.

onem, et franciscanos praecipue petunt.

Carta de otros Japones christianos.

Idem ibid. pag. 74. LXXXVII. Nosotros los christianos, que en neustra gentilidad fuimos Bonzos, a vos Fr. Gonzalo Garcia, del bendito habito de San Francisco os pedimos por las entranas de dios, que pues nos hicistes dexar nuestos templos, y rentas, y nos convertistes a la fe, tengais misericordia de nosotros, que andamos por los desiertos, y montes sustentandos con la fruta silvestre de ellos, sin comunicar con persona alguna. Y porque sabemos, que los frayles de essa sagrada religion tienen mucha llaneza y son muy pobres, os rogamos, que vengan à buscar almas a esta tierra, donde se pierden infinitas per falta de predicadores. Los christianos de Firando, que son tres mil, y los de Xiqui y otros muchos por sus cartas piden lo mismo.

Epistola aliorum christifidelium Japonensium.

Nos christiani, qui in gentilitate versantes, idolorum sacerdotes extitimus, a te fratre Gonzalvo Garcia benedictam S. Francisci vestem gerente, in visceribus Dei petimus, ut cum templa nostra, et reditus (te suadente) ad Christum conversi reliquerimus, nostri miserearis, qui per deserta et montes erramus, silvestribus alimentis viventes, nemini conversantes. Et quia scimus fratres sacrae illius religionis admodum familiares et pauperrimos esse, obsecramus, ut veniant ad salvandas hujus terrae animas, ubi innumerae pereunt ob praedicatorum inopiam. Christiani Firandi, qui ad tria millia pervenerunt, fideles de Xiqui aliique idipsum postulant.

LXXXVIII. De Summi Pontificis mandato prodiit hoc anno Sacrae Episcoporum et Regularium Congregationis decretum, quo cavetur, ne religiosi cujusvis ordinis moniales alloquantur, visitatoribus aliisque exceptis.

Bremond in bull. ord. Praedicat. tom. 7. pag. 212. *Illustrissimi et Reverendissimi DD. Cardinales S. Regularium Congregationis praefecti, ad occurrendum scandalis, quae contingere possunt, aliisque justis et rationabilibus causis animum pie moventibus, de speciali et expresso mandato SS. D. N. Sixti divina providentia Papae V. vivae vocis oraculo eis facto, decreverunt, et mandaverunt, nulli posthac religioso cujuscumque ordinis, gradus, qualitatis, et dignitatis existat, superiore, cui monasterii, seu domus cum incumbit, visitare, vel visitatoribus, confessarioque ordinario, vel extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis, licere absque licentia expressa ejusdem S. Congregationis accedere ad monasteria, seu domus quarumcumque monialium, vel sororum, sive sui sive alterius cujusvis ordinum ad colloquendum, sive tractandum cum eis. Quod si aliquando mandato sui*

superioris, aliquos religiosos ad praedicandum verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium, seu sororum ecclesiis, sive oratoriis exterioribus, sive extra claustra existentibus mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti religiosi, ullo quaesito colore, moniales, sorores aut quamlibet aliam personam, intra clausuram degentes, alloqui possint. Confessariis autem similiter interdixerunt, ne in aedibus monasterii seu domus, vel monasterio, seu domui monialium, aut sororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alias secum retineant, neve extra tempora generalium confessionum, quibus soli tantum confessario refectionem diurnam accipere vix permittitur, et tunc demum, videlicet cum sua habitatio, aut vivorum domus, vel monasterium, in quo degit, a monialium seu sororum monasterio, vel domo nimium distat, (nisi tamen, et eo casu contrarium specialiter constitutum sit) ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant. Quae omnia et singula, sub poena privationis officiorum, ac vocis activae et passsivae ipso facto incurrenda, aliisque ejusdem Congregationis arbitrio praeceperant, inviolabiliter observari, injungentes cunctis RR. PP. Generalibus, Provincialibus et aliis quorumvis monasteriorum, mendicantium, ac non mendicantium ordinum, et congregationum superioribus, ad quos spectat, quatenus infra terminum unius mensis, a die quo praesens decretum ipsis notificatum fuerit, computandum, debeant ejusdem decreti copiam cum hujusmodi praecepto, omnibus suorum ordinum, et religionum monasteriis, domibus, et conventibus intimare et notificare, ac intimasse, et notificasse, ne ullam aliquando desuper ignorantiam in futurum allegare, aut praetendere quoquomodo possint. Romae nonis Maii MDXC.

Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus.

Georgius Palearius Secretarius.

LXXXIX. Aliqua hoc anno concedit et jubet Summus Pontifex. Quindecim mille aureorum summam fratribus conventualibus SS. XII. Apostolorum de Urbe pro amplianda eorumdem aede largitur: *Postquam* die XXX. Januarii; subjicit regimini minorum conventualium monasterium S. Clarae Assisien. *Cum dudum* die XV. Julii; jubet, ne admittantur saeculares ad assidue inhabitandum conventum S. Antonii ejusdem ordinis in civitate Patavina: *Cum felicis* die XXVIII. Julii; providet quieti fratrum minorum de observantia provinciae Aragoniae super quibusdam gravaminibus eis illatis ab episcopo Barbastren. *Causam quae* die XII. Junii; similiter providit iisdem fratribus degentibus in provincia Delphinatus in regno Galliae, vexatis ob bellorum tumultus: *Nuper ad aures* die XIV. Julii; jubet episcopo Umbraticensi, ne fratres observantes conventus castri Canubani molestia afficiantur tum super quartam funeralem, tum super defunctorum associationem ad eorumdem Ecclesiam: *Cum sicut* die XXVII. Julii; providet necessitati monialium Imolen. exstinctione quorumdam legatorum: *Exponi nobis* die XVI. Maii; absolvit quosdam minores observantes ab apostasiae nota, qui ex provinciis S. Bonaventurae et S. Ludovici absque Sedis Apostolicae facultate transierant ad fratres conventuales: *Expositum fuit* die XXIV. Februarii; ut Joannes Barcinonensis capucinus permaneat inter fratres conventuales reformatos pro sublevanda suorum egestate: *Exponi nobis* die XXIV. Maii; precibus fr. Didaci de Guadix minoritae de observantia indulget, ut in civitate

et dioecesi Guadicensi celebretur officium et missa S. Torquati martyris die xv. mensis Maii: *Martyrum gloria* die xxx. Maii; exemit Ludovicam de Gennaro professam in monasterio S. Hieronymi Aversae a recitatione divini officii, dummodo in choro cum caeteris monialibus sit praesens: *Cum tu* die viii. Martii; ut ad valetudinem recuperandam Joanna Gusman professa in monasterio il Real Toleti se conferat ad aliud quodcumque monasterium S. Clarae: *Exponi* die xv. Aprilis; similia indulsit Annae de Avellaneda, professae in monasterio S. Antonii de Padua oppidi civitatis Murciae Carthaginen dioecesis: *Nuper* die xxv. Julii; et Franciscae Sotelo professae in monasterio S. Clarae Zamoren. ut se conferret ad monasterium S. Pauli ejusdem civitatis ad erudiendas moniales in cantu ac in divinis officiis peragendis: *Dilectae* die xvii. Augusti; ac postremo Catharinae de Alphonso professae in monasterio S. Clarae de Astudillo dioecesis Palentin. ut valetudinis recuperandae causa se transferat ad monasterium ejusdem ordinis in oppido de Tordesillas: *Exponi nobis* die ix. Junii; ut quaedam Ancillae deputentur pro famulatu monialium monasterii Conceptionis in villa de Scalona Toletanae dioecesis: *Exponi nobis* die xiii. Aprilis.

XC. Prodierunt hoc anno, Vincentio Robardo auctore poeta eximio, ipsius Summi Pontificis gesta quinquennalia, quae nos, cum prae omnium manibus non terantur, vulgamus.

GESTA QUNQUENNALIA SIXTI V.

XCI. Labitur astricomo novus in penetralia sensus
Pectoris ima polo, tumefactaque corda pererrans
Ingerit Euboicas subter praecordia vires.
Magnaque subjiciens, quae nunc praetenta tuenti
Mortalem involvit picea caligine mentem,
Discutit, irradians coelesti lumine, nubem.
Quae mihi, quae tantas reserabunt carmina flammas?
Quidve parat quicumque poli de parte serena
Aerios rutila perfringens lampade tractus
Nostra repentino labefacit pectora motu?
An septem geminae viridantia culmina Romae
Adscensu superare jubens, per cuncta repente
Mandat Aristoridae vigilantis in omnia visu
Circumferre aciem, et Sancti miracula Sixti
Tanta rudimentum nostrae libare Camoenae?
XCII. Immensum praefinit opus quicumque Deorum
Illa jubet nostro fulciri pondera dorso.
Namque sub exigua penitus dum mente voluto,
Atque animum perque has dubium, saepe ire per illas
Ambiguum subigo partes, urgetque morantem
Indefessus amor; tantarum pondera rerum
Prima cient trepidas vires, longoque fatigant
Ordine, nec tutos despectant lumina portus.
XCIII. Nam quae Musa Tui, Pater o Sanctissime, sacrum
Cui dedit imperium Genitor bipatentis Olympi:
Cui rerum commissus apex, almique meatus

Lumiuibus lustrasse poli, penitusque repostas
Cognovisse vices, arcanaque semina mundi:
Sicut Acidaliam per inania nubila matrem
Raptatus sub calce premens rutilante, coruscis
Scintillare comis, laetoque incedere vultu,
Innumerasque hominum per olentia prata cohortes
Ferre coronatas flavo diademate frontes
Lumine conspexit divinae Buccina legis:
Evolvat decoris seriem? Quis carmina tantis
Sufficiat meritis? Non si Phocaea canoris
Stagna refusa vadis, sanctoque condantia rore
Qui sacra grandiloquum secundo pectora motu
Exstimulat Vatum, penitus Latoja pandat
Progenies connixa humeris, et sicca perenni
Irriget undarum facilis praecordia lapsu,
Queis placidam Aonjis carpens per membra quietem
Pastor agris saturans avidi sitientia ventris
Viscera, Castalios mulsit concentibus agnos;
Exaequata Tuis modulentur carmina factis
Sixte Pater. Viden ut roseo calefacta pudore,
Quod meritas nequeat tantis persolvere grates
Muneribus, quoniam renuunt benefacta recursum
Mutua, aiderei vultus demittat honores
Roma decus mirata, atque insuperabile robur?
Illa triumphantes celsa ad Capitolia currus
Duxit, Acidalia rutilantia tempora myrto,
Daphnaeisque umbrata comas de more corollis,
Ut primum Inachios flammarum eiecta Corynthο
Pondera, et aetherias saxi glomerata sub aras
Viscera candentis revoluti turbine fumi
Turbavere Duces: vel cum Junonia tandem
Oenotrias experta faces, magnique potentem
Scipiadae Natum, ruere alto a culmine vidit
Sidonias arces, atque indefleta Parentum
Corpora, Carthago, patulis ardere sepulchris.
Jam vero dum sacra Deum delubra frequentat
Civis, et aeternum demisso lumine Patrem
Suppliciter venerans, cumulansque altaria donis
Pro Te vota facit, delubraque thure vaporat;
Attonitas roseo vultus obnubit amicta
Flammeolo, septemque tuens de collibus ora
Dia triumphantis, jam vasta cyrbe furentum
Libera sacrilegum, dumtaxat pectore laeto
Gaudia magna fovet, votisque assultat Olympo.
Nam, qui digna Tuis aequentur praemia donis?
Nomine Tu rutilans, memorandaque facta relinquens
Vatibus, atque ipsi non illaudata Tonanti;
Provehis imperium supra Garamantas, et Indos.

XCIV. Tu, dum dira cohors muris circum omnibus instat,

Portarumque moras lituis assultat, et hastis
Exules ejecti. Fas omne abrumpens, atque intra moenia Romae
Saevit, ut increpitans lucis Vulcanus opacis
Immensum populatur iter; victricia sancta
Deposito trepida vibras formidine civi
Signa manu, solvisque sacros discrimine Patres.
Dumque metu gelido crudelia pectora torpent,
Durorumque manus sortem aversantur iniquam
Armorum, latebrasque fugae, tutosque recessus
Rimantur, rapidoque pedum certamina tantum
Sacrilegum coeunt acies assuetaque turmae
Quadrupedum rigidis retrectant ora lupatis;
Haud secus Ansoniis funesta pericula pellis
Finibus, Ambrosium revocans in cuncta decorem;
Quam bene solliciti renuens oracula Pitthei,
Dum nequit indecores pelagi tolerare procelles,
Ut fera terribili premeret mucrone Tyrannis
Terrarum spatia, et per stagna loquacia cygni
Moererent nitidum fluvios mutasse colorem,
Amphitryoniadae peropaca silentia noctis
Subijciens animis commista laude labores,
Disiecit Danaas turbantia caedibus oras
Agmina sanguineis, miserum Troezenius Heros,
Dum sic Munichias victor penetraret in arces.
Sublevata annonae caritas. XCV. Tu, dum saeva quatit manibus bacchata prophanis
Frena per Hesperias aequo discrimine gentes,
Vitalesque ruensauras incestat Egestas;
Tu Pater Aeneadis Labanidos alma propago
Mitis ades, Cereremque Tuo sub numine torquens,
Quae sua caeruleos cogens ad plaustra Dracones
Praecipitarat iter, Siculis ubi vapulat Austris
Insula, Sicaniis statio gratissima nautis,
Ima Pyracmaeis falx desudata lacertis
Cujus hebet gremio, qua sanguinolenta Prosymna
Brachia Titanum primos sudare labores
Edocuit, Latios fecundis messibus agros
Aerarium S. Ecclesiae locupletatum. Sancte beas. Magnae quin gazophylacia pandens
Arcis, ubi medio pulsat fundamina fluxu
Pontis, et accessu specie rutilante talenta,
Quae sitiens mediis miretur Tantalus undis,
Votaque Mygdonii quondam mirata Tyranni
Tempestas pretiosa Tagi, tutatur opaco
Tibris ab Etrucis delabens flumine saxis;
Invehis exaustae Thermesia munera Romae.
Nec mora Dardanio memorandus pabula Pastor
Suspirita gregi dextra superaddis amica.
Triremes novae XCVI. Hinc reboans dirum coecis Geramantica tellus
Responsis Vatum, quos gens Mahometica celso
Sustulit evectos Coelo, templisque locatos

Marmoreis vigili caluit malesana vapore,
Audiit ingentes rerum tremefacta tumultus;
Et Pater insolitis nutavit motibus Atlas,
Atlas, sidereas qui torquens vertice sedes
Despicit immensi summota repagula mundi.
Nam simul occiduum, rutilis quo proximat astris,
Detorsit caput, et Tyrrheni litoris oras
Despexit pelagi, gentisque extrema togatae
Moenia: devexa Tiberini fluminis unda
Vidit in undisonas turrita puppe Triremes
Urbis opus, medio variantibus aethere ventis
Dum pandunt aditus, piceaeque obstacula nubis
Dissociant Superis, pelagi delabier undas:
Hispida cum vitreis extans corpora lymphis
Hippodates, numerosa sali Tritonide concha
Agmina compellat, densaque natante phalange
Excipit insolito venientia robora plausu.
Et ferus indomito permiscens vasta furore
Marmora Turgigenum ductor succincta ceruchis
Lintea convellens tumidis, diversa retorquet
Lumina, et indecores avertit ab aequore puppes.
Hinc metuens rigidis collum compagibus Atlas
Stipatum solito tentavit solvere nexu
Lataque pacatis fundamina figere terris.
Visum aliter Superis, duri scupulosa retundunt
Ignibus ora senis, fugitivaque brachia rursum
Impostis urgent scopulis, at dura secundo
Pectora coeperunt nato durescere saxo.
XCVII. At pia siderei servans tecta aurea Patris
Relligio, tristes hominum miserata ruinas,
Ut Phlegetontaeis emissa hortatibus auras
Eumenis irrupit, colubrisque innexa sonoris
Agmina Tartareis variarum ambage viarum
Sedibus elicuit, statuitque sub aurea coeli
Sidera concordes in bella moventia fratres, .
Assuetisque dolis miscentia sacra prophana,
Ipsaque (proh crudele nefas!) in crimina sese
Omnia conglomerans saevos adinnxit in usus
Nequidquam invalida, et pectus suffusa veneno;
Ecce, Tuo rursum Coelo delabitur alto
Munere Sancte Pater, atque instaurata revisens
Laomedontaea venientis origine Romae
Dalmaticis tenerum radiantia tecta metallis;
Attonuit sancto mortalia pectora motu,
Et placidis superum penetralibus addidit ignem.
XCVIII. Nam qua purpurea primum nitet inclyta luce
Roma, ubi Memnonio rutilos nitidissimos axe
Stellanti temone rapit per inane caballos
Phosphorus, et roseis lustrat vestigia plaustris,

Quae Phlegetontaeis piceam Nox illita frontem
Furva pauperibus fugiens Titania liquit
Lumina, praecipiti raptata per omnia gyro;
Virgineae sacro templum venerabile Matri
Sacellum in Exquiliis. Struxisti ritu, Pariis quod utrinque columnis
Irradians, superi flammas imitatur Olympi.
Spectantumque tenet variis stupefacta figuris
Lumina, quas doctae spiranti mollius aere
Artificum duxere manus, maculisque politos
Sidoniis lapides mirantum reddere vultus
Phidiacis docuere notis, velut ardua Coelo
Cynthia Phoebaeo noctem discriminat igne.
Translatum corpus Pii V. Pont. Max. XCIX. Quod Pius aetheria Quintus jam sede receptus,
Quintus in Oebalio qui Te fulgere Senatu
Jusserat, insando mentem succensus amore,
Debita dum tantae virtuti praemia pendit,
Observans; tacito feriit Tua pectora jussu,
Inque istis voluit melius requiescere tectis.
C. Vota ratam tenuere fidem, namque ecce sub auras
Ilicet insigni suffultum marmore, docto
Surgit opus studio, clarisque inscribitur actis.
Ille triumphali, qua Vaticana resultant
Carminibus delubra sacris, ad limina pergit
Agmina, et Exquilias facilis conscendit in arces.
Canonizatus S. Didacus. CI. At Didacus Coeli nondum dignatus honore,
Dum Tartessiacas miracula clara per urbes
Exhibet, egregia stimulans pietate Philippum,
Imperii qui jura sui plaudentibus astris
Asseruit tepidis pharetratae Persidos oris,
Arctoisque jugis, quibus aurea plaustra Bootes
Imminet associans villis Erymanthidos ursae,
Caelicolum insinuat sacris sua nomina turmis:
Et novus aetherio superadditus incola coelo,
Respicit humanas succenso pectore curas.
CII. Quem simul Illyricae rutila telluris alumnus
Caesarie vidit superas haud mollia secum
Scrutantem lustrare vices, longaque potentum
Digestas serie superum percurrere sedes
Luminibus vario mirantem singula ductu;
Extemplo, qua culta poli viridaria suavi
Flamine mulcentur, violisque recentibus halant
Intercepta Notis, et quae Rhodopeia turbant
Bistoniis ablato jugis durata rigenti
Saxa gelu Boreae, sparsasque per aera nubes
Agmina diripiunt piceas, de stirpe comantes
Ambrosia summo decerpens pollice flores,
Collectis niveis fulgentia tempora canis
Frondibus insertat: dumque alta palatia plausum
Ingeminant, gaudetque novo sub sidere mundus;

Obvia sidereo flectit vestigia Vati,
Amplexuque haerens avido, prior ore profatur.
CIII. Venisti Hesperiae tandem Sanctissime gentis
Tu quoque magnorum sacratos nomine fastos
Aucturus Superum augusto? tenebrisque soluta
Offusis Pietas, dubiae discrimina luctae
Evicit superans, meritosque accepit honores?
Sic equidem Aeneadum defigens lumina regnis,
Et mecum aetherii recolens opera ardua Sixti
Quae stupet Eoos subigens ad frena jugales
Ignea magnanimi proles Hyperionis ardens,
Ducebam studio tacitus, rebarque futurum.
Proh Superum pietas! ut noxia corpora mentis
Offuscant aciem, moribundaque lumina tardant
Semine stipatos coeli, calidoque vigore
Suffusos animos tenebris, et carcere caeco
Circumstant, rerumque vetant ventura videri
Omina, quo miseros dubias mutabilis aevi
Alternans facies raptatos ludat imago
Hinc dirae incumbunt pestes, labefactaque vasto
Pectora concutiunt motu, mersisque sub alto
Noxarum Oceano radiantes aetheris ignes
Eripiunt, superasque vetant evadere in auras.
At melior Natura sui praecordia Sixti
Coelesti tentata manu caligine caeca
Evolvens, rutila adspersit mortalia luce
Lumina, et auricomas, qua scintillantis Olympi
In praeceps regio ima patet, vibrataque torquens
Fulgura per medium radianti plurimus ore
Splendor obit dubio resonantia culmina vultu,
Qualis ubi varios Phoebo Thaumantias Iris
Induit adverso multum distincta colores,
Postibus excludens sedes; fastidia rerum
Infracto opposuit animo, quas invida morsu
Absumens avido rapidis lubribria ventis
Dissipat, aut pedibus premit impacata vetustas.
Coelicolumque optare domos, et lucida tantum
Sidera sublatia docuit sperare benigna
Cum prece luminibus, sacrisque assuescere votis.
CIV. Hinc mihi, Nonacrias Chrygiae qua moenibus Urbis Involvit rapido Tiberinus vortice lymphas *Templum S. Hieronymi.*
Sideribus variata nitent delubra coruscis,
Pictaque devexos sinuas testudo recessus
Induit Illyricos serie coeunte thyaras.
CV. Nec procul extremae qua claudit moenia Romae, *Tholus S. Petri.*
Janiculumque premit spatioso culmine collis,
Nomina cui perhibent fecisse oracula Vatum;
Tollitur aetherias Tholus admirandus in auras,
Sanctaque clavigeri despectans limina Petri,

Ardua marmoreum caput inter nubila condit
Illum vendico passim memorabilis ore
Fama canens, propere quos ultima terra refuso
Submovet Oceano; rapidisque caloribus urget
Phoebaeis subjecta votis plaga fervidà, currus
Dum variat medios, et tramite laetior aequo,
Exiguis orbem tenebris devexus opacat,
Excitos agitat populos, miroque videndi
Incensos studio Romanam cogit in Urbem:
Phocaicos en linquit agros Amphisia pubes
Agmina conglomerans, Cyrrhaeque arcana moventem
Neglectae solitis rident sine honoribus arae.
Fervet Agenorea veniens ab origine Dirce,
Natorum Dirce furias experta, manusque,
Donec in adversos contorsit flumina vultus.
Oethaei, Dryopesque ruunt, pictique Acathyrsi,
Chaoniaeque manus, Cressasque agitare pharetras
Doctior infido populus disclusus Oaxe.
Et Druidae Arctoi, quorum sententia furnis
Submovet occiduas Erebi de sedibus umbras,
Et mortis negat esse vices, sed corpore ab uno
Asserit orbe alio migrare in corpora sensus
Quin Pholoe quondam gentem mentita biformem,
Laxata penitus reserat compagibus alvo
Viscera, et Ismarium disclusis uoxibus Hemum
Exstimulans trepidis ventura illabitur undis,
Qua refluus rigidos eructat Bosphorus amnes.

Palatium Lateranum.

CVI. Parte alia, miseras qua nunc inculta ruinas
Magnorum ostendens operum, Vibennia cernit
Culmina Caesareo Roma exaequata Theatro,
Marmoreis rutilant Laterana palatia signis:
Impexusque iubas per cernua colla fluentes
Stat Leo vestibulis, vigilique interritus ore
Excubat, et tristes removet de limine noxas
Qualiter Hesperidum flaventibus arbore ramis
Auricoma assistens hortis, et squalidus alvi
Proluvie serpens piceo Phaetonta veneno
Inficiens; numquam damnatus lumina somno
Robora servabat croceo curvata metallo.

Porticus ad benedictiones erecta.

CVII. Juxta autem geminas tollens ad sidera turres
Porticus, unde sacra Patres, populumque Quiritum
Ipse manu insignit, sanctissima pectora motu
Attonitus supero, et tritae suspiria mentis
Sacra tonans rutili lenit solamine Coeli,
Agmina Romulidum densis stipata catervis
Miratur Parios, lacrymis super ora volutis,

Scala Sancta.

Exuperare gradus, atque oscula figere saxis:
Qualia, cum primum Brumali dura sereno
Libera jam tellus, radiosque, Hyperionis hausit

Sideribus uixus delapsae portitor Helles
Vernus, et aequatis ad justae examina Librae
Temporibus vicere dies; trans Nerea Nilo
Agmina discedunt Phario plaudentibus alis,
Bistoniosque petunt amnes, Boreaeque recessus,
Dum iuvat Orphaeo rursum aestivare sub Aemo.

CVIII. Adspicis, ut senior fluviu Tiberinus amoeno
Romula distringens cultis viridaria plantis,
Qua Pater Oebalii gremio veneratur opaco
Ossa Numae, gemina variatus imagine Janus,
Per tria Sixtaei sinuata foramina pontis
Miscet aquas timide flavo conterritus ore?
Qui pridem insolitum tumidarum pondus aquarum
Intulit Iliacae stupefactis collibus Urbi,
Abstinuit metuens operi, quod divite Sixtus
Munere pauperibus fundo substruxit ab imo.
Nec, quamvis dubias suspendat opinio mentes
Aeneadum, cum vasta parent adhibere furori
Erena nuvo, tantas Superi cognovimus iras
Fluminis, humani quantas facere timores.
Qua gelidis mediam Pater Appenninus opacat
Collibus, Italiam, subjectaque nubila celso
Vertice despectat, viridanti Tibris in antro
Audierat, curuo rursum nova tecta Theatro
Queis sacra priscorum servata volumina Patrum
Volueret, ingenio quicumque laborat opertas
Naturae lustrasse vices, et mystica Coeli
Dogmata miranti penitus reserasse coronae,
Surrexisse solo, vigilique indagine rerum,
Gloria conspicuis Sixti quibus additur astris,
Mollius Ambrosia spectantia lumina pasci.
Ergo ruens tumidis socii cum fluctibus Arni
Conscia conglomerat flaventia flumina Clanis,
Invectusque Urbi spatiantibus impiger undis
Substitit, optato rorantia lumina pascens
Intuitu, superas ubi stat proluta subauras
Aelia Caesarei moles operosa sepulchri.
Donec ab eximiis flectens vestigia tectis
Coepit in assuetos iterum devolvier alveos.

Xenodochium ad Pontem Sixti.

Bibliotheca Vaticana.

CIX. Coetera quid memorem? sublimia culmina saxi
Ecce Paraetonia quondam decisa Syene
Dum parat auricomo furiata mente Sesostris
Munera Titani, triplici rutilantia colle
Sancta salutiferae sacrato vertice gestant
Signa Crucis, Solemque poli reverenter adorant
Qui manat gemino aequaevum de numine Christum.

Obeliscus in area Vaticana erectus.

CX. Quod simul ac Obelum demersa in viscera terrae
Audiit insolito turba obstupefacta tumultu;
Ilicet aetheriam tollens ad lampada vultus,

Tres Obelisci alii, quorum unus ad aedem Lateranensem, alter in Exquiliis, tertius ad aedem S. Mariae de Populo erectus est.

Stipatos carie vultus, coenoque palustri,
Diversas adiere domos, tardisque morarum
Exclusi spatiis, humanae insigne salutis
Coeperunt domito sub nubila tollere dorso

Columnae Trajani et Antonini.

CVIII. Celsaque Traiani superans mounmenta potentis
Aere rigens Petrus, procul Antoninia cernit
Siderum fulcire Ducem nova marmore signa,
Qui sacra verbigenea dispersit dogmata Christi
Voce tonans, roseos qua tollit ab aequore currus
Phoebus, et occiduas sese demittit in undas.

Viae novae apertae et stratae.

CIX. Quae facile ut vigili lustraret singula visu
Quisquis ab externis sanctam venit hospes in Urbem,
Sedibus, aut septena pius delubra frequentat;
Sustulit anfractus dubios, caecosque reclusit
Maeandros Dux ipse viae. Videm alme repostas
Exquilias? priscasque nives penetralia Matris
Christiparae nitido jam nunc signantia sulco?
Hinc rigido gradiens ferro scopulosa ruinis
Compita perrupit gravibus, collesque subegit
Insultans tumidos, et levia strata viarum
Imponens, astri radios expressit acutos.
Queis quoniam Dios meritis affectat honores
Egregia nulli veterum virtute secundus;
Ut primum immanes Erebi, Cocytia monstra,
Fregerit Eumenides, victoque meaverit Orco;
Androgeonaeo quamvis cadat urna Tyranno,
Urna scelus subigens, multoque attrita rotatu,
Et quatiat sceptro indignans squalentia Pluto
Robora valvarum, rictuque inamoena trifauci
Regna sub exeso recubans vastissimus antro
Personet horrendum laxis per colla cerastis
Cerberus, et saevo manes deposcat hiatu,
Ignibus insignem fessos Coelestibus artus,
Sublatum rutilo laeti accipiemus Olympo,
Qua radiant gelidi crepitantia plaustra Bootae,
Parrasiaeque rotae, et qui caude interiacet Anguis.

CX. Talia commemorans senior, per singula ducit
Caelicolam. Interea sacrum majore sereno
Luminis arcanas culmen diffundit habenas.
At volucris docto sanctos Gens pollice nervos
Molliter increpitans, et consona fila reperta;
Exhibet auricomo spectacula dulcia coelo.

Fons aquae felicis.

CXI. Fallor? an assultans variato murmure vortex
Undarum, arrectas concussit lapsibus aures
Assiduis! piceamque procul auper aethere nubem
Stipatam nebulis nubem, fumoque nigranti
Exhalans, sacra involvit juga summa Quirini
Crebra columnaeis descendens finibus unda?
Cui tantum potuere manus? Caelone peractum

Fluxit opus? Danais an desudata lacertis
Praxitalem moles Phidiae sudoribus ussit?
Stat Pario rutilam dirimunt cui cornua frontem
Amramides niveus canentem marmore barbam.
Dumque inopes undae subter labentia primum
Flumina tellurem scrobibus rimantur opacis
Isacidae, et nullo stillant sudantia rore
Antra, nec exiguis turbatur glarae venis;
Solatur trepidos, monituque edoctus Olympi
Saxa ferit virga, reserataque pumice monstrans
Flumina percusso, magnum gravat aethera votis.
Accelerant Comites, viridique acclivia ripae
Corpora substernunt, recentibus undis
Ore inhiant alacres, et festa voce supinas
Tendendum dextras clamoribus adsonat Echo.
CXV. Cetera, dum medio tantarum turbine rerum
Aestuat horrisonis circumpulsata procellis,
Quae canat Aonidum? Non si Cyrrhaea bicorni
Interfusa jugo spumanti Cynthius urna
Sponte ferat famulis undarum pondera Musis;
Aut mihi tot fecunda suo reserentur hiatu
Ora, quot Arcadiis custos Junonius arvis,
Dura Lycaonidem pascentem gramina vaccam,
Ingratusque Patri, Nymphisque colentibus omnem,
Luminibus cupido lustrantibus omnia visu
Servavit; valeam completi singula cantu,
Quae videt insolito sol effulgere decore,
Dum quater extremum complet revolubilis orbem.
CXVI. Vasta Colossaei stupeant simulacra coloni;
Quae soror Enceladi Terrae omniparentia alumna
Sparsit in immensum claris rumoribus orbem
Regnaque Pyramidum serie Ptolomea resultent,
Lata Paraetonio qua rumpit in aequora cornu
Caeruleum Phaetontaeo caput igne renidens
Nilus et ambusto corpus velatus amictu:
Quae quoque Carpathio pluvias nascente Minerva
Accepit praetenta freto flaventibus aethra
Nubibus auratas, ceu cum Saturnia proles
Acrysionaeam perrupit ab aere molem
Lapsa per Argolicae rutilantia pectora Nymphes,
Insula, sublustri miretur culmina turris
Igne sub Olenio lustrantia sidere pontum:
Urbis Achaemenii jactent pulsata quadrigis
Vasta Semiramiae collatis moenia Parthi:
Eubasii monumenta polo sublata sepulchri
Mausoli: Triviaeque Ephesus canat aurea tecta:
Arcades Elaei sublimia signa Tonantia:
Quae tamen Iliacam passim monumenta per Urbem
Egregis, Alme Pater, vasto miracula mundo

Visa premunt, humilesque adeo aversantur honores
Illa etenim solido Nereus emota Tridenti
Hispidus, et Stygius telo labefecit opaco
Summanus, casuque suo traxere ruinam
Exaequata solo. Sed sacra si quod Olympo
Surgit opus, cunctos aeternum excurrit in annos.

CXIV. Dum vaga sidereos igitur iubar astra per orbes,
Flammarumque globos tacita sub nocte rotabunt;
Ponderibus librata suis et in aere tellus
Pendebit medio, caecique in nubibus ignes
Terrebunt populos, horrendaque murmura densis
Miscebunt passim comitata tonitrua nimbis;
Auricomo fulgens solio, qua mystica magni
Ora Patria rutili numerosa sedilia Coeli
Collatis celebrant studiis, Tua nomine cernis
Funereis erepta rogis, per cuncta vagari
Elimiuata terrarum, latique per aequoris undas.
Ast, dum corporea nondum Te mole solutum
Humanis Superum Genitor moderamina rebus
Suppeditare volet, dirumque frementibus Austris
Ducere sideream per caerulea marmora Puppim;
Taenariae numquam specus irremeabile portae
Laxabunt Stygii Briareia monstra profundi,
Impia quae rigidas moveant in proelia mentes.
Aurea quin posito pacato saecula Marte
Florebunt Latio, ceu cum Saturnus Olympo
Venit ab aethereo, fugiens scelerata furentis
Arma Jovis, duroque homines e robore natos
Composuit, vitae ducens melioris in usus.
Rursus et instructi sacria de more piorum
Legibus, unanimes simul intemerata Coloni
Liba frequentabunt, Relligionis honores
Optima posteritas rutilum super aethera tollet.

Spondanus ad an. 1590 num. 1. et seq.

CXV. Lutetiae Parisiorum teterrimis hisce temporibus Legati munus agebat cum Francisco Panigarola Astae Episcopo Cardinalis Cajetanus, eo a Pontifice missus, ut ejus opera, gens intestinis bellis agitata ac variis hinc inde partibus addicta, in unius catholici Regis electionem deveniret. Quidquid de ejus legatione sit, eruditorum judicio relinquimus. Indubium tamen est hoc eodem anno Franciscum Luxemburgum Pinei ducem Pontifici exposuisse, Henricum IV. Navarrae Regem, licet antea in haeresim lapsum, modo tamen catholicam fidem profiteri, et ideo regem salutandum; et comitem Olivarium Philippi II. Hispaniarum Regis apud eumdem Pontificem oratorem, ipsum Henricum tanquam haereticum nullo unquam tempore ad illius regni successionem esse admittendum. Notum interim Pontifici fuit, Cardinalem Ludovicum Borbonum, quem regem suum Carolum X. foederati agnoverant, xi. Maii defunctum Fontenai, ubi arcte custodiebatur, diramque insuper obsidionem, qua a copiis Navarraei regis ipsa premebatur civitas Parisiensis. His gravissimis distentus curis, ac tantarum rerum mole fatigatus, terzana febri correptus, die

xxiv. mensis Augusti hora xxii. adstantibus cardinalibus Aldobrandino summo poenitentiario, et Alexandro Damasceno Peretti pronepte suo, sanctisque Ecclesiae sacramentis refectus, mortem commutavit cum vita in palatio pontificio, quod est in Quirinali, anno aetatis lxix. pontificatus sui annos quinque, menses quatuor, et tres dies numerans. Ejus corpus in Basilicam S. Petri delatum, ad tempus conditum fuit in laterali S. Andreae Apostoli sacello. Ut vix decessit, insana Urbis plebs a malis hominibus concitata, dejicere conata est statuam in Capitolino a Senatu Romano erectam ad tanti Pontificis egregiorum gestorum memoriam in aevum trasmittendam; quod quidem evenisset, nisi unus ex Urbis praecipuae auctoritatis vir, a sacro Cardinalium collegio delectus, furentem multitudinem continuisset. Attamen paullo post, ut verbis utar Anonymi Vallicelliani coevi scriptoris, *eum desiderarunt Romani, et inter magnos principes* numeravere. *Tempesti tom. 2. num. 20. pag. 317.* *Idem ibid. num. 34 pag. 319.*

CXVI. Anno insequenti mdxci. die xx. Augusti, Alexander Damascenus Peretti solemni pompa e Vaticana Basilica corpus magni avunculi sui ad S. Mariae Majoris Basilicam aere proprio transferre curavit, celebre illud funus xxxix. Purpuratis Patribus sequentibus. Sixti laudes, quas ponimus, e rostro edixit Lelius Peregrinus sacrae theologiae doctor, ac in fraquentissima Urbis accademia philosophiae professor.

ORATIO HABITA IN FUNERE SIXTI V. PONTIFICIS.

Etsi funebris pompa, et feralis cultus Sixti V. Pont. Max. memoriae dicatus, lugubrem et moeroris plenam aspectu ipso orationem pollicetur, Patres Amplissimi, mihi tamen ad optimi, atque saeculis omnibus memorandi Principis merita animum convertenti, longe diversa dicendi ratio videtur instituenda. Datur id amori, quo charissimos quosque prosequimur, ut parente beneficentissimo e medio subluto, quam coepimus tristitiam, pulla veste, et atra supellectile significemus. Verum Sixtus V. qui hodie ita vivit in concilio immortalium, ut ejus praeclara gesta vigent in oculis mortalium, quantum Dei bonitas, et anteacta illius vita nobis pollicentur, gratulatione potius quam lamentatione, faustis acclamantionibus quam moestis vocibus, laeto plausu quam lugubri cantu, splendidis sacrorum ornamentis quam istis tristitiae argumentis esset in posterum prosequendus. A me vero nihil de tanto Viro fide non bona dicetur, nihil gratiae dabitur, nihil auribus, quorum causas procul habeo. Adderem imitaturum me Hellanodicas illos, qui statuas victoribus Olympicis ad commensum ponendas curabant aspectui atque formae egregie respondentes, nullaque in re mentientes, et sanctissimum Pontificem pari atque fida oratione mihi laudandum profiterer, nisi tu, Sixte beatissime, omni oratione major longiore spatio oratorum voces, quam altissimus aquilae volatus humanum obtutum superat, post te reliqueres. Illud certe consequar, ut quae gessisti sine fuco, absque ulla verborum illecebra, omni sermonis apparatu neglecto referam, non secus ac tu, dum viveres, inanem saeculi fastum, vanas felicitatis ostentationes, omnem denique supervacaneum ornatum ab insito veri solidique beni amore contempsisti. Hoc autem contendo, Patres Amplissimi, Sixto V. nihil defuisse, quod ad egregii principis imaginem faceret, ac veluti Polycleti canonem proponendum omnibus, qui christianam sunt rempublicam administraturi. Tria quippe desiderari possunt in eo, qui rerum potitur, studium religionis, *Ciaconius tom. 4. colum. 141.*

vitae innocentia, solers, et provida gubernatio: quorum primum Deo immortali, sibi alterum, tertium populo maxime debet. Sixtus V. in Dei, divorumque cultu, in sacrorum caeremoniis, in publicis precationibus, in solemnibus sacrificiis ita fuit assiduus, quasi nihil praeterea reliquum temporis animo volveret, ac in eo uno totus esset defixus. Quoties vidimus grandaevum senem sacras aedes procul sitas indictis supplicationibus, sequente populo Romano, pedibus invisentem, atque lustrantem? Quoties antiquorum Leonum et Gregoriorum more ad sacra extra Urbem celebranda, qua per vehementissimos calores, et molestissimum pulverem, qua per acres rigentis coeli morsus, et foedos imbres magno cum salutis discrimine commeantem? Ipsis vero mysteriis peragendis quis unquam augustius operatus est? Quis religiosius litavit? Quis ecclesiasticos ritus apparatu magnificentiore transegit? Quae tanta majestas oris, atque corporis ullibi visa, quantam ille medius inter coelum et terram, Deum et homines constitutus, aeterna immolanda victima referebat? De aedificiis ad religionem excitandam et amplificandam Deo erectis quid attinet hoc loco dicere, cum ad ripam Tyberis honorificentissimum B. Hieronymo templum regio sumptu aedificatum, Lateranensis ecclesia duplici porticu nobilitata, Sanctae Scalae sanctiore et ornatiore loco positae, Sacellum istud Christi incunabulis continendis destinatum, amplissimae Basilicae magnitudine par, opere vero, et ornamentis longe splendidius, in minore fortuna magno animo coeptum, in principatu magnificentius absolutum, ipsa denique admirandae structurae, et prodigiosae magnitudinis Vaticana moles ad fastigium perducta sint in oculis omnium, ac satis declarent Sixtum V. quem nulli unquam pro laude suscepti sumptus deterruerunt, ubi de opere quantumvis arduo in Dei honorem inchoando, absolvendoque, et pecunia liberaliter eroganda ageretur, nec labore superatum, nec impensa deterritum ullo tempore invictum animum despondisse? Sed, et sanctissimum Crucis vexillum Obeliscis, atque turribus ad tutelam impositum, Trajani, et Antonini Columnae, Petri et Pauli imaginibus sustinendis dicatae, summam ejus viri pietatem ingentem in divinum numen indicant aemulationem, quod ejusmodi inventa, nonnisi ab animo singulari sanctitate praedito proficisci potuere. Id maxime cupiebat vir pietate insignis, ut sive e Quirinali, sive e Vaticano, sive e privatis laribus subjectam planitiem despectaret, sive iter per Urbem faceret, undique sacrosanctum redemptionis nostrae monumentum, et fundatorum Apostolicae Sedis effigies oculis occursarent: ac subinde sacras imagines, quas pectori infixas gestabat, confirmarent, idemque nobis Urbem peragrantibus contingere maxime gaudebat. Denique sacra templa, ut, quo par erat, nitore custodirentur, ut debitis sacrificiis colerentur, enixe providit, plura in Urbe, et per ecclesiasticam ditionem sacerdotia ad ecclesiae ministros alendos opimis reditibus attributis instituit, ne divinum nomen improborum maledictis impeteretur, summopere cavit: ut sanctimoniales sine macula, monachi sine labe, clerici sine sorde essent, severis edictis, et magna adhibita diligentia perfecit: quibus ostendi existimo Sixtum V. quod spectat ad religionem, qua una populus maxime continetur et afficitur, egregii Principis partes cumulate explevisse. Ut autem ille intra domesticos penates vixerit, quam caste, quam pudice, non habeo ad praesens necesse commemorare. Adolescens in eo ge-

nere, nedum crimine caruit, verum omni suspicione criminis. Innatas homini cupiditates ita fregit, uti durioris franciscanae familiae alumnum decebat. Voluptates immoderatas adeo aversatus est, ut ne honestas quidem, et aetati permissas temere admitteret, cibi abstinentissimus, ab omni mensarum luxu alienus, insigne frugalitatis, et parsimoniae exemplum posteris reliquit. Testantur id sumptuariae illius rationes in tabulas relatae, quibus non tam moderati Principis, quam in tenui fortuna constituti civis victum contineri diceres, cum interim in publicos sumptus pecunia, quasi ab Amaltheae cornu immensa undique copia effunderetur. Et ne illam tanti animi partem, quae moribus informatur eum excoluisse putes, nulla mentis ornamenta quaesiisse, in omnibus fere scientiis ad miraculum eruditus, a Musis minime alienus, solida eloquentia, et incredibili philosophiae cognitione instructus. Sacris litteris, ac theologicis difficultatibus enucleandis sui ordinis scholas mire extulit. Romanum gymnasium, in quo publice theologiam profitebatur, exornavit, disertis concionibus totam Italiam illustravit, ut minime mirum videri debeat, si animus tot liberalibus disciplinis imbutus, vitam instituit summae religioni conjunctam. Quod si ad rectam populi institutionem magni refert Principis exemplum, cum ab eo in cives vitia, et virtutes facile deriventur, constat Sixtum V. ea ex parte injuncto sibi munere plene satisfecisse. Sed haec, quae caeteris ad commendationem amplissima forent in Sixto V. minima censentur; tanta fuit in eo virtutis ubertas, tanta copia praeclare factorum. Venio ad caput rerum, et quo pacto se gesserit erga subjectos, inquiro. Sed quo me vertam? Unde initium sumam? Obruor mole rerum; plura enim ille gessit, quam caeteri legerunt. Tot obversantur animo simulacra dicendorum, ut cum omnia una complecti oratione nequeam, quid referendum sit, quid omittendum, penitus ignorem. Sed non praeteribo primum facinus novi Principatus, sicariorum, grassatorum perduellium compressam temeritatem, quos nullo conscripto milite partim e medio sustulit, partim ita exterminavit, ut in multos annos execrandum illorum nomen non sit auditum. Quod si sub ejus excessum res tantisper commoveri visae, scelerosis hominibus ad Pontificis aegritudinem, quasi lacertis ad teporem solis caput a latibulo exerentibus, metu tamen generosi Principis non sunt ausi longius progredi: nec dubitandum, quin divinae providentiae vir, nefariis eorum conatibus, et malis interregno postea consequutis fuisset occursurus, si longiore vita frui contigisset. Ad profligandos vero perditos illius corrupti saeculi mores, eam rationem inivit, ut leges nedum e reipublicae commodo ferret, verum quammaxime sanctas et inviolatas custodiret. Quid enim prodest legem promulgare, si impune liceat in eam committere? Quid sceleri poenam edicere, quae deinde a sontibus, cum res tulerit, non exigatur? An non peccandi licentiam omni soluto metu id tribuere est, magistratum contemptui, labefactationi politiarum viam communire? Si enim velis, quod nondum vetitum est, adhuc timere possis ubi prohibeare: at si prohibita impune admiseris, neque metu amplius, neque pudore ab improbe factis tete contineas. Id fuit in causa leges inito statim principatu summo jure exercendi, quando magni refert, quam quis severi, vel facilis, lenti, vel acris ingenii opinionem ingerat, quem aditum ad imperandum faciat; unde certa futurae gubernatoris conjectura in reliquum tempus fieri consuevit: postea vero multa illum indulsisse,

multa humana imbecillitate condonasse nemo ignorat. Quod si acerbior aliquando visus est, graviore poena, quam leges permittebant, irroganda, velim in primis id persuasum omnibus, quod qui tunc judiciis capitalibus praeerant, hodie testantur, neminem Sixti V. jussu capitis damnatum, quin ex lege eo supplicio fuisset afficiendus. Sed quando leges superiorum temporum injuria senuerant, ille ubi Dei majestas foede nimis violaretur, vel publica quies maxime pertubaretur, legum severitatem revocavit, eas numquam excessit, saepe reddidit mitiores. Deinde juri scripto perpetuo inhaerere, ab eo ne latum unguem descendere, syllabarum momentis rempublicam regere velle, optimo statui valde noxium existimabat: recte enim docuerunt antiqui non posse legis ambitu omnia comprehendi, ob innumeras incurrentium rerum varietates, ac saepe ad Principem quasi ad legem animam commeandum, quem par esset aliquando facta legibus, aliquando leges factis aptare, quod fertur de regula Lesbia, expedireque eas in manu Principis existere, perinde ac in potestate gubernatoris ipsa navis gubernacula, quae impedimento potius essent, nisi ad omnem coeli faciem omnemque opportunitatem converti, atque circumagi possent: ita ut aliquando legis nervus intendatur, saepius laxetur, idque hominem regnandi bene peritum facere decet. Aerarium vero cum admodum tenue reperisset, ex quo gravia reipublicae pericula creantur, ingentem pecuniae vim eo comportandam statuit, cujus bona pars in domesticos usus converti poterat. Inde auri et argenti acervi in Hadriani mole coacti, et ad securitatem pacis, ad subsidium belli, successoribus quasi fideicommisso relicti, quod ut absque levissimo privatorum incommodo fieri minime potuerit, factum non ideo improbandum, cum tenuis paucorum jactura, utilitate publica rependatur, et ingenti beneficiorum cumulo compensetur. Nobis enim et christianae reipublicae ea pecunia collecta est, cujus ille publico nomine sese custodem ea lege constituit, ut, ubi foret opus, totam repraesentaret. Quare septingenta millia aureorum huic Urbi et ecclesiasticae ditioni ad rem frumentariam ex ea summa impertiit, ducenta millia annuis censibus coemendis exposuit ad puellas dotandas, et obaeratos, qui solvendo non essent, praesente pecunia de carceribus eximendos alia daturus ejusdem propositi experimenta, si diutius imperasset. Haec sunt, Roma, quae de Sixto V. dum animam ageret, dum sepeliretur jure queri poteras, et debebas, quod nullas annonae difficultates sub eo senseris, quod ad saturitatem parvo pretio vesci potueris, quod e tuo gremio virgines honeste locatas, quod cives tuos vinculis et aere alieno Sixti V. liberalitate solutos videris. Sed reliqua prsequamur, nec jucundissimam rerum praeclarissimarum commemorationem ingrata recordatione corrumpamus. Quantum enim ille in hospitali domo mendicis excipiendis construenda impendit! Quantum ne pium opus intermitteretur providit? Quot vias ad populi commoditatem aperuit, stravit, ornavit? Quot editiora loca complanavit, humilia extulit ad Urbis planitiem aequandum? Quot aedificia supra veteres ruinas ad coeli salubritatem revocandam faciunda curavit? Iste quae nobilissimas Urbis partes, ille quae celebrem portum ad Centumcellas irrigant aquae, isti enormis magnitudinis Obelisci (opus loquor caeteris desperatum) spectante populo Romano, et ad novum inventum immania armamenta, ingentemque ausum stupore defixo erecti, aedes pontificiae in Vaticano, et Quirinali ingenti opere auctae, ad Lateranum de

integro a fundamentis excitatae, et Romam adeuntibus prima facie miraculi loco obiectae, Quirinales Equi, ne insignis nobilium artificum aemulationis memoria periret instaurati, Vaticana Typographia de novo erecta, Bibliotheca in commodiores, et lexiores ab eodem aedificatas aedes translata, ad eruditorum hominum quos maximi semper fecit, et opibus atque honoribus extulit, commoditatem. Pons ad Tyberim in Faliscis, nova urbs ad Lauretum condi coepta, collegia studiosorum Picentium Bononiae, fratrum sui ordinis Romae instituta, multarum triremium fabricata, et adornata classis ad piratarum excursiones cohibendas. Monti Pietatis attributa sedes, pia domus quam appellant, longe lateque extensa, lanaria, atque sericaria in Urbem introducta, tum ad quaestum civium, tum maxime ut otiosi, quos inter homines quasi fucos inter apes iniquo animo ferebat, honesto labore occuparentur: caetera denique ad usum pauperum, ad utilitatem civium, ad ornatum Urbis ab eo magnificentissime constructa nonne in maximis sunt beneficiis reponenda? Composita Poloniae dissidia, reconciliatae Germanorum, atque Polonorum fortissimae nationes, Gallia pecunia et consilio sublevata, insignis apud Helvetios Abbatissellae comitatus, et ipse Badensis marchio haeresi abjurata, ecclesiae catholicae restituti .... timor denique improbis omnibus incussus, amor in bonis excitatus, nonne tum strenui, et expediti ingenii, tum vigilantissimi, et gregis amantissimi pastoris laudem illi tribuunt immortalem! O sanctum Pontificem utroque Petri gladio generose praecinctum, et apostolicae majestatis propugnatorem acerrimum! O pastorem in ovilis Domini custodiam dies, noctesque incubantem? Equidem cum quae hactenus a me relata sunt, aliaque innumera sub Sixto V. fieri viderem, Pat. Amplis. attonito similis contemplabar divinam eius mentem tantae molis capacem, stupebam tot res tam varias atque difficiles, tot diversis atque remotis locis coeptas ab eo summa celeritate ad exitum perduci potuisse, et quo pacto unus tot tantaque negocia sustineret, non intelligebam. Subibat mentem Vestalis ignis, quem Romani ad continuam mentis agitationem Rectoribus imperii necessariam innuendam aeternum esse voluere. Occurrebat antiquior ignis ab Hebraeis in Templo Domini castiore caeremonia servatus, et ad divinae erga homines beneficentiae perennitatem exprimendam perpetuo custoditus. Virumque tandem in Sixto V. concludebam adumbratum, cum et in christianae reipublicae gubernationem ignea illa mente perpetuo vigilaverit, et a beneficiis Urbi et orbi conferendis numquam destiterit; quo factum existimo, ut animus assiduis laboribus fessus, relicta corporis societate citius, quam expectabamus, ad conditorem suum convolaverit. Lectissima ossa omni thesauro clariora diu multumque in vita laborastis, ad finem per magna rerum discrimina devenistis; quiescite jam in amplissimo monumento ad novissimum diem, et interim laetas confluentis multitudinis acclamationes, pia vota colligite. Sanctissima anima sinu Abrahae excepta, haec tibi justa persolvit Alexander sororis nepos Cardinalis, tuae imago bonitatis, haeres virtutis, tanta cura et liberalitate, tanta officiosae voluntatis gratitudine, quanta ille quondam Aegypti moderator Joseph parentis reliquias in terram Chanaam transtulit, ac destinato loco sepelivit. Has tibi gratias Amplissimum Collegium, Romana Aula, populus omnis in hac tuorum cinerum deportatione, ac humatione frequentissimus refert pro acceptis beneficiis, haec

memoris animi argumenta promit. Hanc ego tibi nomine publico obstrictus, funebrem laudationem consecro, tuis licet meritis longe inferiorem, sed quae a me omissa sunt, supplet populus iste tui egregius laudator factus. Vive felix in concilio Beatorum, fruere aeterna quiete, quam summorum haustu laborum Deo coeptis favente tibi peperisti, gentis tuae, commissi olim gregis curam minime desere, illudque statue, cujus antea regebantur auspiciis, ejusdem in posterum precibus apud Deum fore sublevandus. Dixi.

CXX. Sixti parentalibus absolutis, ejus exuviae sepulturae mandatae sunt in sacello Jesu Christi incunabulis dicato, uti voluit, posita desuper marmorea Pontificis imagine hoc elogio.

SIXTO V. PONT. MAX. EX ORD. MINOR.
ALEX. PERETTVS. S. R. E. CARD. VICECANC.
EX. SORORE. PRONEPOS. PERFECIT.

SIXTVS V. PONT. MAX. CVPRI AD LITVS SVPERI MARIS IN PICENO NATVS MONTALTI EDVCATVS FR. FELIX PERETTVS EX ORD. MINORVM THEOLOGVS ET CONCIONATOR INSIGNIS HAERETICAE PRAVITATIS INQVISITOR SVI ORD. PROC. VIC. GENERALIS A PIO PAPA IV. PONT. MAX. CVM HVGONE BONCOMPAGNO CARD. LEGATO APOSTOLICO IN HISPANIAM MISSVS.

PIO V. PONT. MAX. OB SPECTATVM FIDEI ZELVM EXIMIE CHARVS AB EOQVE EPISCOPVS S. AGATHAE ET S. R. E. CARDINALIS FACTVS MAGNISQVE NEGOCIIS ADHIBITVS SVMMO SACRI COLLEGII CONSENSV PONT. MAX. CREATVS TOTO PONTIFICATV IVSTITIAE PRVDENTIAE ANIMIQVE MAGNITVDINIS LAVDE FLORVIT.

B. DIDACVM HISPANVM EX ORD. FRATRVM MINORVM PHILIPPO REGE CATHOLICO SVPPLICANTE IN SANCTORVM NVMERVM RETVLIT CAPTIVIS REDIMENDIS PAVPERIBVS IN CVSTODIA INCLVSIS AD AES ALIENVM DISSOLVENDVM VIRGINIBVS DOTANDIS FRVCTVS ANNVOS ATTRIBVIT VICTVM PER VRBEM OSTIATIM QVAERENTIBVS DOMVM IN QVA ALERENTVR AEDIFICAVIT.

HIPPOLITO CARD. ALDOBRAND. LEG. IN POLON. MISSO CONTROVERSIAS INTER AVSTRIACAM DOMVM ET SIGISMVNDVM POLONIAE REGEM COMPOSVIT EXVLVM ET PERDITORVM HOMINVM LICENTIAM COERCVIT PVBLICAM TRANQVILLITATEM RESTITVIT VRBEM AEDIFICIORVM MAGNIFICENTIA IN PRIMISQVE VATICANA TESTVDINE ORNAVIT AQVAM FELICEM OPERE SVMPTVOSO ADDVXIT.

CXXI. Praeter summam in rebus agendis dexteritatem, eximio etiam ingenio praestantique doctrina praeditum fuisse Sixtum Pontificem nemo quidem inficiabit. Hinc licet totius vitae suae tempore pluribus distentus curis, non pauca tamen scripsit ac vulgavit. Extat de eo *concio de necessitate sacrae scripturae pro hominis reformatione* italice scripta et anno MDLIV. Neapoli edita; *sermo de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis* ibidem vulgatus; *concio habita Perusii* anno MDLV. et ibidem edita. Hae de eo aliae conciones habentur: *praedica sopra il misterioso Van-*

Sbaralea de Script. tit. S.

gelo della Settuagesima, *detta in S. Lorenzo di Napoli colle sequenti*: *del sapere dello scolaro cristiano — della felicissima venuta del promesso Messia — della purissima concezione della gloriosa Madre di Dio Maria Vergine detta ivi alli* VIII. *Decembre in palazzo all' Illustrissimo e Reverendissimo Cardinal Paceco vice-Re di Napoli*. Dum Neapolis sui ordinis gymnasii esset praeses, typis commisit *commentarium super Evangelium S. Matthaei*. Vulgare etiam incoepit una cum Petro Rodulpho Tossinianensi *Opera S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis*, *et Opera S. Gregorii M. Papae*; quae cum non absolvisset, eundem negotium Rodulpho ipsi commisit. Unus etiam fuit ex Romanis *Decreti Gratiani* emendatoribus. Sunt ejus mss. *expositio evangelii S. Joannis Neapoli facta*, *expositio epistolae D. Pauli ad Romanos Romae facta*, *librum theologiae mysticae*, *apophtegmata*, *sententiae*, *et epistolae ad M. Hetruriae Ducem*, et ejus *epistolae ad varios* multae, ac *sententiae et monita* ad Alexandrum Cardinalem Montaltum ejus proueptem.

CXXII. Multa de tanti Pontificis actibus scripta, typisque edita, tum eo vivente, tum successivis temporibus vulgata fuere, quarum specimen diffuse exhibet Casimirus Tempesti. Nos autem in primis adnotatum cupimus, Gregorium Leti ingenue profiteri, quae de vita ejus prodiderat, haud omnia indubia ac vera fuisse. In epistola enim sua ad D. Jussel a consiliis et secretis Regis Franciae missa scribit, Delfinam Regis filiam Parisiis ab eo postulasse: *se tutte quelle belle cose che io havevo scritto in tal vita* (Sixti V.) *e che haveva lette con piacere erano vere? Alla quale domanda risposi*: *real principessa*, *quel ch' è ben trovato*, *benchè falso*, *piace più*, *che una relatione mal composta*, *benchè vera*. *Leti tom. 1. epist. 135. pag. 482. Amstardam 1700.*

CXXIII. Plura tamen de Sixto adhuc inedita sunt. In Bibliotheca Barbarina de Urbe extat mss. *De educatione Sixti Papae Quinti*. In Bibliotheca Vallicelliana de Urbe: 1. *Vita Sixti Quinti anonimo Vollicelliano*; 2. *Relazione della morte di Sixto Quinto*; 3. *Annali di Sisto Quinto*. In Bibliotheca Chigiana de Urbe: *memorie scritte di propria mano dal P. Felice Peretti*, *che poi fu Sisto Quinto*, *tutti i luoghi ove studiò*, *insegnò*, *predicò*, *e di quanto fece nella religione*. In Bibliotheca Vaticana: 1. *Vita Sixti Quinti a Petro Galesini protonotario apostolico scripta*: 2. *de Patria Sixti Quinti*. In archivo Capitolino: *Memorie in forma di annali di Sisto Quinto*. Scribit Sbaralea ex catalogo Montfaucon tom. II. pag. 1123. *Sixti V. vitam ipsius manu* emendatam ms. Parisiis haberi in bibliotheca Coisliniana Sangermanensi n. 1462. una cum *vita Sixti IV.* a Platina composita.

CXXIV. Novendialibus Sixti de more absolutis, die XV. Septembris Romanus Pontifex renuntiatus est Joannes Baptista Castanea Bononiensis, presbyter Cardinalis S. Marcelli titulo, qui Urbani VII. nomen assumpsit. Ejus electio magna affecit laetitia populum Romanum; cuncti enim bona omnia ab ejus administratione sperabant, cujus pietatem, prudentiam, vitae integritatem, rerum usum, ingenii dexteritatem, moderationemque noverant. Conscientiae suae moderatorem Simonem Sondrini ex minoritis observantibus, Asculi in Piceno illustri genere natum, candidi moris, ethices christianae peritum, ac praesidem poenitentiariae Lateranensis de Urbe, quem adhuc Cardinalis delegerat, voluit habere. At XIII. a suae electionis die, antequam pontificatu initiaretur, morbo correptus, die *Spondanus ad an. 1590. num. 20.* *Monum. prov. Marchiae.*

xxvii. ejusdem mensis pie in Domino obdormivit, postquam universum satis amplum patrimonium sodalitati B. Mariae Virginis Annuntiatae, pro dotandis puellis erogasset.

CXXV. Die v. Decembris in locum Pontificis Urbani VII. mox defuncti, suffectus est Nicolaus Sfrondati Mediolanensis, tituli S. Caeciliae presbyter Cardinalis, Cremonensis tum ab Ecclesia cui praeerat, tum a civitate a qua oriundus erat, vulgo dictus. Coronatus die sacro Immaculatae Conceptionis Deiparae viii. Decembris, Gregorius XIV. nuncupari voluit.

CXXVI. Hoc eodem anno Franciscus Gonzaga episcopus Cephaludensis arcam reseravit B. Gandulphi a Binasco franciscani, anno mcclx. humati in principe Ecclesia Politii in Sicilia. Causa eam aperiendi fuit, ut facilius pro ejus canonizatione ageretur apud Sedem Apostolicam. Ne vero media deficerent, Elisabeth la Farina mulier illustris et Beati devota notabilem pecuniae vim ad eam assequendam legavit. Igitur Episcopus, postulante etiam Senatu Politiensi, illam aperiens, invenit in ea vitam Beati scriptam, et miracula ab ipso edita. De ossibus ibidem inventis sic habetur in processu: *Insuper et in eadem arca conditos reperimus duos sacculos albae telae compositos, quibus recondita sunt ossa B. Gandolphi, ac etiam sejunctum mentum dicti Beati, quod supra arca intus caput argenteum conditum, non sine amissionis periculo, extitisse cognovimus.*

Ann. min. ad an. 1260. num. 41.

Acta SS. ad diem 17. Septembris.

CXXVII. Apud Ecclesiam fratrum de observantia Trajecti ad Mosam Beata Virgo, cujus imago impense a christifidelibus in ea veneratur, prodigialis se ostendit hoc anno. Simeon filius Aegidii Ansca, claudus utroque pede natus, ad sextum aetatis annum, nonnisi fulcris nitens, ire poterat. Mater ejus edit pro eo votum, ut ter in sacello Deiparae pro salute filii sacrificium celebraretur. Cum tertium sacrum fieret, illico Simeon in pedes substitit, et fulcra ibidem beneficii memoria dereliquit. Similia contulit Annae filiae Damiani Praessen, et Mariae Boermans, aetatis unius anni, utroque pedusculo ita claudae, ut non sine fulcris deambulare ac stare posset. Vix enim tertio rem divinam sacerdotes operati fuerunt, illa repente convaluit in ipso B. Virginis sacello.

Sedulius pag. 469.

Ibidem pag. 471.

CXXVIII. Die xxiii. Februarii erupto incendio in cathedrali templo Arianensi, quaedam tabella lignea, quae diu inter flammas exstabat minime combusta fuit. In hac tabella depictae erant sacrae imagines B. Mariae Virginis, S. Athonis patroni, ac S. Elzearii comitis ejusdem civitatis, et tertiari franciscani. Alia etiam miracula tunc temporis acciderunt. Lampas accensa ante praedictam tabellam, quae combusto ejus tenui funiculo, pendere, ac per quatuor dies, totidemque noctes clarescere absque ulla olei instillatione visa fuit.

Acta SS. ad diem 27 Septembris.

CXXIX. Miraculis etiam coruscabat S. Catharina Bononiensis. Adolla annorum decem, filia Joannis de Assesinis tanta et tam gravi detinebatur infirmitate, ut neque loqui posset, neque ab adstantibus percipi quid ab ea pronunciabatur, insuper nec quid cibi deglutire ipsa poterat. E domo pater egressus, cum amicis de morte, ex medicorum judicio, jamjam certa filiae suae unigenitae illacrymans perdolebat. At filia ea aqua lota, qua sanctimoniales clarissae corpus virginis abluerant, illico convaluit. Redeunti circa vesperas patri, ac de filiae salute enixe siscitanti, mulier incolumem filiam deduxit, alloquens eum: *ecce filiam tuam B. Catharinae*

Acta SS. ad diem 9. Martii.

aqua et orationibus matrum Corporis Christi sanatam. Mulier nuptui tradita Antonio Trinchedi Bononiensi, primo anno conjugii sui lethali morbo correpta fuit, ita tamen ut alio cibo vesci nequiverit, quam modico pane et fructibus, quos paullo post evomebat. Cum septimum mensem jam exactum videret, totum corpus crustis, putribusve pustulis, veluti lepra affectum, ita conspersum adspexit, ut iis in cruciatibus mortem appeteret. Hisce in adversis S. Catharinae aquam petiit, quae cum ei delata esset, et vulnere abluta cum illa fuisset, perfecte convaluit. Quare intra dies octo in monasterium se contulit, S. Catharinae grates debitas ei relatura.

CXXX. Catharina Veronensis, famula dominae Helenae Cortellini, per multos menses altero brachio laborabat adeo, ut die noctuque pene dementer fremeret. Cum in dies morbus ingravesceret, S. Catharinae patrocinium assidue implorabat. Hinc in somnis apparens Sancta ei dixit: *exurge*; *etenim sana es*. Expergefacta, sospitatem in brachio recuperavit. Interim ejus domina, cui dirum carcinoma in aurem caput depascebatur ab annis duodecim, famulae exemplo se Sanctae commendavit. Venia a Pontifice Maximo impetrata, monasterium Corporis Christi Bononiense ingressa est, et admoto capite Sanctae Virginis pedibus, de repente sanctimonialibus admirantibus carcinoma evanuit.

CXXXI. Dorothea de Galeazzo ex Brittensi castro Bononiensi, lethali ac pestifera febri toto quadragesimali tempore vexata, sensibus destituta praeter auditus, eam consanguinei suaserunt, ut S. Catharinae opem imploraret, votumque emitteret visitandi ejus exuvias cum oblatione, si convalesceret. Edito voto, illico Sanctam adspexit, et mox de lecto coram omnibus desiliens, sanam se liberamque professa est. Angelica Bononiensis, quae pluribus abhinc annis verno tempore opprimebatur a tussi, ut eam quasi suffocaret; accedens ad ecclesiam Corporis Christi, et S. Catharinae ex animo sese commendans, ab eo morbo libera evasit totius vitae suae tempore. A coecitatis periculo in oculo suo dextero item erepta est Doralicia Fagnani, uxor Antonii Moldrati, devote invocato S. Catharinae patrocinio.

CXXXII. Sacellum tituli S. Sepulchri, quod hoc tempore SS. Pietatis nuncupatur, erectum in ecclesiae Aracoelitana de Urbe a Mauritio Clerico Redonensi, ac ab eo die XXIII. Maii anno MDLXXXV. Paulo Matthaei patritio Romano donatum, idem Paulus suis expensis exornavit, ac ibidem sibi tumulum paravit, hoc addito monumento.

PAVLVS. CYRIACI. F. MATTHAEIVS. PATRICIVS. ROMANVS
ANNVM. AGENS. LXXIII.
LOCVM. IN. QVEM. IPSE. MORTVVS. INFERATVR
SIBI. PARAVIT. SACELLVM.
SANCTISSIMO. CHRISTI. SEPVLCRO. DICATVM
PICTVRIS. AVROQVE. SVA. PECVNIA. PIE. EXORNAVIT
VESTE. CENSV. IN. VSVM. SACRORVM
AVXIT. HONESTAVITQVE
ANN. SALVTIS. HVMANAE. M.DXC.

REGESTUM
PONTIFICIUM

SIXTI V.

Anno Christi 1585 — Pontificatus An. 1.

I.

Indicit Jubilaeum pro bono ecclesiae catholicae regimine. Ex Bullar. Caroli Cocquelines tom. IV. part. IV. pag. 132.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Virium nostrarum infirmitati pastoralis officii molem nuper impositam considerantes, non possumus susceptum tantae administrationis munus non maxime formidare. De illius tamen benignitate non desperantes, qui operari dignatur in Nobis, non desinimus ejus auxilium implorare, eique mentis nostrae sensus, ne altius extollantur, humiliter subjicere, illud agnoscentes, et vere confitentes, unius Dei clementiam, nullis praecedentibus meritis, nostri in imbecillitate nostra memorem magna in Nobis fecisse mirabilia, quos tot, et tantis gratiarum donis cumulatos, honoris Principis Apostolorum admirabili dignatione voluit esse consortes. Quam tamen dignitatem, et potestatem cum multae graves curae consequantur, valde solicitamur, tum quod de collatis in Nos maximis beneficiis, quae Dei benignitati referimus accepta, nullam dignam gratiam, quam ejus clementiae persolvamus, nostra potest infantia reperire; tum etiam quod sub tanto pondere exiguas vires initio contremiscere, ac pene jam corruere sentimus, non tamen animo deficientes, ad summam Dei bonitatem confugimus, fideliumque, et Deum timentium, quorum ipse (ut speramus) voluntatem faciet, orationes expetimus, quibus omnipotenti Dei semper benedicendo, gratiisque misericordiae ejus agendis adjuvemur, viribusque a coelesti rege subministratis, suffulta nostra infirmitas, commissas Nobis curarum, et salutarium reipublicae christianae officiorum partes, orantis simul populi instantia promerente, valeat sustinere, opemque agitatae, et ubique fere depressae catholicae religioni suppeditare, ne cum in altitudinem maris venerimus, tempestate demerga-

mur, sed potius horribiles tot peccatorum flatus, et excitatas toto mari procellas discutientes, cum credito nobis grege optatum cursum, et aeternae salutis portum teneamus.

§. 1. Omnes igitur, et singulos utriusque sexus christifideles ubicumque existentes monemus, ac in Domino requirimus, ut qui in hac alma Urbe sunt, proxime sequenti hebdomada, aut altera protinus post eam item sequenti; qui vero extra Urbem degunt, cum primum harum notitiam habuerint, prima aut secunda itidem immediate sequenti hebdomada, conscientis sua diligenti prius examinatione discussa, peccata sua omnia humili et contrito corde confiteantur, et ante festum Pentecostes ejusdem hebdomadae quarta et sexta feria, et sabbato (cum hoc tempore jejunia non indicantur) eleemosynas erogent, piaque eorum largitione, quantum pro sua cuique facultate visum fuerit, Christi pauperum egestatem, et inopiam sublevent, orationibusque a Deo impetrare studeant, ut nobis lumen suum ostendat, pares tanto oneri vires praebeat, omnesque actiones nostras dirigat, ac ostium ecclesiae suae conatus infringat. Die vero Dominica, quae dictas eleemosynas, atque orationes proxime sequetur, sacrosanctam eucharistiam devote accipiant. Ita ut qui post festum Pentecostes voluerint infra dicendae indulgentiae beneficio frui, dictis tribus diebus praeter orationes et eleemosynas etiam jejunare teneantur. Et nihilominus, ut Deum magis propitium Nobis, et populo christiano reddere, ipsique quantum nostrae tenuitati conceditur, gratias agere valeamus, et ad tantum onus sustinendum vires impetremus, Nos ipsi supplicationes, processionesque, una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, omnibusque praelatis, et romanae curiae magistratibus die Lunae, qui erit 27 dies praesentis mensis Maii ab ecclesia S. Mariae in Aracoeli, usque ad basilicam S. Mariae Majoris habere, atque incedere statuimus. Ceterum ut fideles ipsi ad haec omnia peragenda magis idonei efficiantur, de tradita nobis a Domino potestatis plenitudine, ecclesiae thesauros, quorum divina favente clementia dispensatores effecti sumus, copiose ac benigne aperientes, omnibus christifidelibus supradictis, ut hac vice tantum confessores idoneos presbyteros saeculares, vel cujusvis ordinis regulares, ab ordinariis tamen approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, eos a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, ac in litteris die Coenae Domini quotannis legi solitis contentis, in foro conscientiae dumtaxat, ac etiam a sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis, injuncta inde eis pro culpae modo poenitentia salutari absolvere, ac quaecumque per eos emissa vota (praeterquam castitatis et religionis) in alia pietatis opera commutare valeant, per praesentes concedimus.

§. 2. Nos enim omnibus, qui praemissa devote adimpleverint, de ejusdem omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, plenissimam omnium peccatorum remissionem, ac eamdem, quae christifidelibus anno jubilaei hujus almae Urbis ecclesias, et extra eam deputatas statutis diebus devote visitantibus concessa est, misericorditer in Domino elargimur, eos quoque, qui morbo, vel aliquo alio impedimento detenti praemissa adimplere nequiverint, si

alia pia opera fecerint, in quae arbitrio suorum confessorum (quibus super hoc facultatem impartimur) commutata fuerint ; ac etiam illos qui in itinere fuerint, si cum primum iter perfecerint, praemissa exequi studuerint, ipsius indulgentiae, et doni ac aliorum praedictorum participes fieri volumus.

§. 3. Praecipientes universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et quibusvis aliis ecclesiarum praelatis, et locorum ordinariis, ut statim cum praesentes litteras, seu earum transuptum authenticum, etiam impressum ad eos deferri contigerit, solemnes processiones tribus diebus, scilicet quarta, et sexta feriis, ac sabbato praedictis, juxta locorum opportunitatem ad effectum praemissorum indicent, et celebrent, ac easdem praesentes, seu earum transumptum per suas quisque provincias, civitates, et dioeceses sine ulla fraude, aut lucro publicent, et per ecclesiarum rectores publicari faciant.

§. 4, Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum VIII. calendas Junii Pontificatus nostri anno I.

II.

Ut capucini erigant conventum in oppido Finalis. Ex regesto Secretariae Brevium in mense Augusti pag. 354.

Ad perpetuam rei memoriam.

Piis fidelium votis, quae religionis propagationem, divinique cultus augmentum respiciunt, ut optatum sortiantur effectum, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Ministri Generalis ordinis fratrum Capucinorum nuncupatorum petitio continebat, quod alias venerabilis frater noster Joannes Baptista episcopus Savonen. animadvertens incolas et habitatores litoris maris Terrae Finalis Savonen. dioecesis singulari studio erga ordinem praedictum, ob pium et laudabile ipsorum fratrum vivendi institutum moveri, Ecclesiam S. Joannis extra muros et procul a dicta Terra consistentem, quae olim eorundem incolarum et habitatorum parochialis erat, et a qua cura animarum, illi hinc incumbens abdicata, et ad aliam Ecclesiam commodiorem canonice translata fuerat, eidem ordini pro una inibi ejusdem ordinis construenda domo, de incolarum et habitatorum praedictorum consensu, quantum in eo fuit, ordinaria sua auctoritate concessit, prout in litteris desuper confectis dicitur contineri. Quare pro parte dicti ministri Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ejusdem ordinis propagationi et ampliationi, ac alias in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, ejusdemque religionis augmentum, ac animarum salutem nostris potissimum temporibus sinceris desideramus affectibus, ministrum praedictum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac concessionis et desuper confectarum litterarum praedictarum tenores pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ecclesiam praedictam eisdem Ministro et ordini de novo, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus ; et nihilominus illam, quae nullos reditus praeter eos

qui ex ejus domo, et horto colliguntur, seu percipiuntur, habet, an hujusmodi illius domum, et hortum in domum dicti ordinis, cum illius Ecclesia sub invocatione ejusdem S. Joannis, ac claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, infirmaria, cellis, et universis aliis officinis membrisque necessariis et opportunis pro usu et habitatione perpetuis unius guardiani, et ad minus decem fratrum ejusdem ordinis, qui inibi sub regulari observantia, et humilitatis spiritu juxta ipsius ordinis regularis instituta Altissimo famulantur, divinisque laudibus insistant, ac sub obedientia, correctione, et visitatione dicti, et pro tempore existentis Ministri Generalis, ac dilectorum filiorum aliorum superiorum dicti ordinis remaneant, ac alias in omnibus et per omnia ad instar aliarum ejusdem ordinis regularium domorum, perpetuo, sine tamen alicujus praejudicio, auctoritate et tenore praemissis, erigimus et instituimus, ac eidem domui sic erectae, illiusque guardiano et fratribus inibi commorantibus, quod omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, et gratiis, quibus aliae domus ejusdem ordinis, earumque guardiani et fratres de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite valeant, auctoritate, et tenore praemissis de speciali gratia indulgemus. Necnon praesentes litteras etc. Irritum quoque etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum XIII. calendas Augusti Pontificatus nostri anno I.

III.

Facultatem tribuit erigendi monasterium. Ex regesto Secretariae Brevium lib. 2 Bullarii pag. 213.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supernae dispositionis arbitrio in suprema militantis Ecclesiae statione, meritis licet imparibus collocati, inter curas multiplices quibus occurrentium negotiorum vastitatem gravamur, illam libenter amplectimur, per quae omnibus postpositis temporalibus, monasteria et alia religiosa loca incrementum suscipiant, et in omnibus immaculata vigeat observantia charitatis, prout personarum quidem charitate conspicuarum exposcit devotio et salus exigit animarum, rationabiliter suadet, et in Domino conspicimus salubriter expedire. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum Magdalena e Britannia et de Lavangour, ac Joanna de Hoguiet petitio continebat, quod dicta Magdalena illustri Ducum Britannorum prosapia orta, ac Joanna praedicta ad praesens viduae abjectis hujus mundi illecebris Altissimo in humilitatis spiritu earum reliquos vitae dies transigere, abdicare, ac terrena in coelestia, et transitoria in aeterna bona felici commercio commutare desiderantes, apud earum aedes proprias in civitate Tholosan. sitas ac magnis sumptibus et expensis ad usum monasterii monialium fabricatas, et in quibus Magdalena et Joanna praedictae in communi in praesentiarum vivunt, unum monasterium monialium tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupat. cum ecclesia, campanili, caemeterio, claustro, dor-

mitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, ac aliis officiuis necessariis construi et aedificari facere, illudque ex propriis reditibus competenter et honorifice dotare summopere desiderant, si sibi ad id nostra suffragetur auctoritas. Quare pro parte Magdalenae et Joannae praedictarum asserentium plurimas alias mulieres poenitentia ac devotione ductas unanimiter ac religiose una secum vivere decrevisse, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ibi monasterium praedictum construendi licentiam concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui antiquae religionis decorem statusque praedictarum conservationem, necnon divini cultus augmentum sinceris desideramus affectibus, Magdalenam et Joannam praedictas, ac earum utramque a quibusvis etc. censentes, necnon domorum ac aedificiorum praedictorum situationes, confinia, qualitates, vocabula, denominationes, et locorum ac nummorum valorem praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Magdalenae et Joannae praedictis, ut in dictis earum domibus suis apud illas, ex bonis sibi a Deo collatis unum monasterium praedicti tertii ordinis regularis sub invocatione S. Elisabeth, necnon campanili, campanis, refectorio, dormitorio, claustro, hortis, hortalitiis, et aliis officinis necessariis, ordinarii loci aut superioris dicti ordinis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, construi et aedificari faciendi, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem; illudque postquam constructum fuerit, in monasterium monialium dicti ordinis sub invocatione ejusdem S. Elisabeth pro perpetuis usu et habitatione unius abbatissae et monialium ipsius ordinis inibi introducendarum et permansurarum, ac deinde juxta regularia instituta ejusdem ordinis recipiendarum, quae ibidem sub regulari observantia dicti ordinis ac cura, visitatione, correctione, et subjectione fratrum ordinis minorum regularis observantiae nuncupat. et illorum superiorum Altissimo subsint, et famulentur, prout abbatissae et moniales aliorum monasteriorum dicti tertii ordinis in Regno Franciae subsunt et famulantur. Itaque tam virgines, quam viduae in ipso monasterio in moniales recipi, et admitti possent auctoritate et tenore praemissis perpetuo erigimus et instituimus, eidemque monasterio per praesentes erecto ac illius ecclesiae, necnon abbatissae, monialibus, et personis hujusmodi, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, concessionibus, indultis, indulgentiis, caeterisque gratiis tam spiritualibus quam corporalibus quibusvis aliis monasteriis et ecclesiis monialium dicti tertii ordinis de poenitentia, illarumque abbatissis, monialibus et personis in genere et in specie, etiam per viam communicationis aut alias quomodolibet et pro tempore concessis, ac quibus illae et illa de jure, consuetudine, privilegio, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, frui, et gaudere licite et libere valeant, non solum ad earum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter absque ulla prorsus differentia, in omnibus super, et omnia perinde ac si illa eis expresse concessa essent. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum pridie nonas Decembris Pontificatus nostri an. I.

IV.

Caesar Nardi fit episcopus Geruntinen. et Cariaten. Ex actibus consistorialibus Sixti V. pag. 14.

Apud S. Petrum die II. Septembris fuit consistorium, in quo

Sanctissimus Dominus Noster proposuit Ecclesias Geruntinen. et Cariaten. pro magistro Caesare Nardi de Fano ordinis minorum conventualium cum pensione scutorum 200. pro Scalco, et 200. pro Blasio Coppieri, dummodo remaneant mille etc.

V.

Ut consecret altare S. Bartholomaei in Insula de Urbe. Ex regesto Scret. Brevium in mense Augusti pag. 350.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum dilectus filius noster Julius Antonius tituli S. Bartholomaei in Insula S. R. E. presbyter Cardinalis sanctae Severinae nuncupatus altare majus in ecclesia ejusdem tituli S. Bartholomaei, quod superioribus annis magna Tyberis inundatione simul cum ecclesiae parte collapsum atque confractum fuerat, post ejusdem ecclesiae instaurationem de novo aedificavit et decentiori forma constructum ornavit, illudque die Dominico proximo, qui erit XVIII. hujus mensis, solemni dictae S. R. Ecclesiae more et ritu consecrare, ac in eo ipsius S. Bartholomaei apostoli, et aliorum Sanctorum corpora, ac reliquias reponere in animo habeat. Nos ad majorem cultum et venerationem ejusdem gloriosi Apostoli, et aliorum Sanctorum ac ut ecclesia ipsa congruis frequentetur honoribus, et christifideles eam adeuntes aliquod coelestis gratiae donum inde consequantur, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui sacram Eucharistiam susceperint, et praefatam ecclesiam dicta die Dominica a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei devote visitaverint, atque ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus. Quam eamdem indulgentiam perpetuis futuris temporibus ipso anniversario consecrationis die, videlicet Dominica tertia mensis Augusti, quotannis similiter christifidelibus utriusque sexus, vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis ecclesiam S. Bartholomaei praedictam visitantibus et orantibus, ut praefertur, misericorditer in Domino elargimur.

Datum Romae apud S. Marcum die XV. Augusti Pontificatus nostri anno I.

VI.

Donat fratribus de observantia aulam pontificiam Aracoelitanam. Ex P. Casimiro a Roma de conv. et eccl. aracoel. pag. 470.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet ea, quae per praedecessores nostros Romanos Pontifices pro monasteriorum et aliorum religiosorum locorum quorumlibet, ac personarum in eis sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium commoditatibus, et necessitatibus facta et concessa provido fuisse, et ab eis rite processisse dicuntur, plenam obtinere debeant roboris firmitatem: Nos tamen illis interdum cognitis, et pensatis undique rerum circumstantiis, aequitati non dissonum rati incommodis et dispendiis, quae inde personis ipsis provenire valerent, ne successu temporis de illorum juribus haesitari, ac personae hujusmodi sua, quam desuper ex Sedis Apostolicae, earumdemque Romanorum Pontificum benignitate reportarunt, gratia frustrari contingat, apostolici muniminis, ut ea firmius illibata persistant, adjicimus firmitatem.

§. 1. Sane, sicut accepimus, alias fel. record. Paulus Papa III. praedecessor noster palatium in horto domus B. Mariae de Aracoeli de Urbe ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum, pro sua et Romanorum Pontificum pro tempore existentium commoditate, ac usu, non mediocri tum illius, tum camerae apostolicae impensa constructum, ad se et successores praedictos pertinere per quasdam suas litteras in forma brevis declaravit, ac dilectis filiis ejusdem domus fratribus perpetuum super dicto palatio, illiusque solo silentium imposuit. Et deinde piae memoriae Paulus Papa IV. etiam praedecessor noster attendens, quod pro aedificatione dicti palatii pars infirmariae antiquae et quaedam aliae mansiones, seu cellae dictorum fratrum destructae fuerunt, ex quibus ipsis plurima detrimenta, sive incommoda hactenus passi fuerant: et propterea ac etiam ut ipsi divinis laudibus quietiori animo insistere valerent, opportune providere volens, motu proprio, et ex certa scientia sua, ac de apostolicae potestatis plenitudine palatium praedictum cum omnibus et singulis juribus, et pertinentiis suis a dicta camera, et quatenus illud titulo cardinalatus ejusdem B. Mariae in Aracoeli per recol. mem. Julium Papam III. similiter praedecessorem nostrum, perpetuo seu alias unitum, seu applicatum fuisset, etiam ab ipso titulo; ita quod idem Paulus Papa IV. aut ejus successores Romani Pontifices, seu praedicta camera, vel bon. mem. Michael ejusdem tituli S. Mariae in Aracoeli, aut alii ipsius tituli cardinales pro tempore existentes, praemissorum seu alia occasione, vel causa ullo unquam tempore dictum palatium inhabitare, vel in illo, aut ad illud jus aliquod praetendere nullatenus possent, seu deberent, auctoritate apostolica perpetuo dismembravit, et separavit, et abdicavit; illudque cujuscumque pretii, seu valoris existeret, cum omnibus juribus, et pertinentiis supradictis domui et fratribus praedictis, pro illorum perpetuis usu et habitatione, ita quod liceret eis corporalem et realem possessionem palatii, juriumque et pertinentiarum praedictarum per se, vel alium, seu alios propria auctoritate, etiam absque vitio spolii

libere apprehendere, et perpetuo retinere: et illud ejusque habitationes ad eorum usum reducere, et reformare, perpetuo donavit, concessit, et assignavit; ac donatione, concessione, et assignatione perpetuis et irrevocabilibus largitus fuit; omnesque et singulos tam substantiales, quam accidentales, ac solemnitatum, auctoritatum, et decretorum in praemissis de jure et consuetudine, vel alias quomodolibet intervenire debentium, et quoscumque alios etiam forsan majores, juris et facti defectus, si qui intervenissent, in eisdem supplevit, ac palatium praedictum dismembratum, separatum, et abdicatum, ac domui et fratribus praedictis donatum, concessum et assignatum, ac in eos translatum esse per alias suas litteras in forma brevis desuper sub dat. videlicet die xi. Decembris mdlvi. pontificatus sui anno ii. confectas decrevit, et alias prout in singulis litteris hujusmodi plenius continetur. Et quamvis a tempore datarum litterarum earumdem guardianus et fratres dictae domus ejusdem palatii, et universarum ejus pertinentiarum possessionem adepti fuerint, illudque ad eorum infirmariae, et habitationum usum reduxerint, ac pacifice toto tempore pontificatus ejusdem Pauli Papae IV. praedecessoris possederint, nihilominus recol. mem. Pius Papa IV. pariter praedecessor noster de novo dicti palatii possessionem adeptus extitit et in eo aliqua aedificia sibi benevisa fabricare, et ex tempore sui pontificatus, quoties ei placuit, habitavit.

§. 2. Verum cum Nos in praesentiarum, et alii Romani Pontifices aliud palatium in Monte Quirinali de eadem Urbe per similis memoriae Gregorium Papam XIII. etiam praedecessorem nostrum fabricatum habitaturi simus, et ipsis guardiano et fratribus valde necessarium sit, ut primo dictum palatium ad eorum usum, et habitationem reducant, illudque de cetero inhabitent, et ne super hoc ipsamet camera apostolica aliquando propter fabricas, et impensas etiam maximas, ab eisdem praedecessoribus in primo dicto palatio, ut praemittitur, factas, neque dictus cardinalis de Aracoeli pro tempore existens, vel alius, aliquod interesse ullo unquam tempore praetendere, et aliquam molestiam desuper etiam alio quam Romano Pontifice pro tempore existente, usu et habitatione eisdem guardiano et fratribus inferre possit: et pro majori eorumdem guardiani, et fratrum dictae domus nunc et pro tempore existentium cautela, praemissorumque omnium firmiori subsistentia in praemissis, pro nostri pastoralis officii munere paterno affectu opportune providere volentes, ac guardianum et fratres praedictos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praedictarum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, motu simili et ex certa scientia nostra dismembrationes, separationes, abdicationes, donationes, concessiones, assignationes, et elargitiones primo dicti palatii, juriumque et pertinentiarum praedictarum per eumdem Paulum IV. praedecessorem, ut praemittitur, factas, omniaque alia et singula in litteris Pauli IV. praedecessoris hujusmodi contenta, et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate ten. praes. perpetuo approbamus et confirmamus: omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, necnon, quatenus opus sit, easdem et similes dismembrationem, separationem, abdicationem, donationem, concessionem, assignationem,

et elargitionem, etiam perpetuas et irrevocabiles de novo facimus; palatiumque primo dictum separatum, dismembratum, et abdicatum, ac domui, guardiano et fratribus praedictis donatum, concessum, et assignatum, ac in eos translatum esse; ita ut liceat dictis guardiano et fratribus corporalem, realem, et actualem possessionem primo dicti palatii, juriumque et pertinentiarum praedictarum per se vel alium, seu alios propria auctoritate, et absque vitio spolii, et attentatorum libere et licite apprehendere: ac illud ejusque habitationes ad eorum usum reficere, et reformare, ac reducere possint, et valeant. Decernentes praesentes literas de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, seu impugnari, aut in aliquo alterari nullatenus posse; sicque per quoscumque judices etc. scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca dilectis filiis camerario nostro, et dictae camerae praesidentibus, et aliis ad quos spectat, ac spectabit quomodolibet in futurum, per apostolica scripta motu et scientia similibus, mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios praemissa sequentes, illa omnia et singula, ac easdem praesentes litteras, ac in eis contenta hujusmodi ab omnibus ad quos spectat, ac spectabit quomodolibet in futurum firmiter observari, ac guardianum pro tempore existentem, et fratres hujusmodi, et quoscumque alios, quos ipsae praesentes litterae quomodolibet concernunt, et concernent in futurum, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos, vel aliquem eorum desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles etc. compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus etc. auxilio brachii saecularis.

§. 4. Non obstantibus praemissis, et Symmachi, ac Pauli II. Romanorum Pontificum, similiter praedecessorum nostrorum de rebus ecclesiae non alienandis, ac nostra de non tollendo jure quaesito, ac etiam dicti Pii Papa IV. de registrandis gratiis interesse concernentibus in eadem camera apostolica, ad quas registrari faciendum guardianus et fratres praedicti minime teneri volumus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; necnon domus ordinis et camerae praedictarum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, tam eidem camerae, quam S. R. E. Cardinalibus, eorumque collegio, et titulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam iteratis vicibus concessis, et approbatis, ac innovatis; necnon quibusvis donationibus et concessionibus de dicto palatio praedicto Joanni Michaeli cardinali, et aliis quibusvis personis, etiam ad illorum vitam, tam per Paulum III. quam Julium praedecessores praedictos quomodolibet factis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad haec servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis

alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse, motu ac scientia praedictis derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus. Necnon donationes et concessiones Joanni Michaeli cardinali, et aliis de ipso palatio factas hujusmodi harum serie revocamus, cassamus, et annullamus, ac omnibus illis, quae idem Paulus IV. praedecessor in eisdem suis litteris voluit non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, et de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Nulli ergo omnino etc. si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Marcum iv. nonas Augusti Pontificatus nostri anno i.

VII.

Committit visitationem. Ex regesto Secret. Brevium in mense Octobri pag. 241.

Dilecto filio Matthaeo Monaco ordinis fratrum minorum S. Francisci conventualium, ac theologiae professori salutem et apostolicam benedictionem.

Volentes de toto statu Congregationis Canonicorum Regularium S. Jacobi de Mazzara nuncupatam Messanen. per quatuor tantum loca seu domus, ut accepimus, videlicet S. Jacobi Messanen. S. Mariae de Monserrato civitatis Agrigentin. et S. Mariae de Ravanosa della licata, et S. Caloveri de Naro dioecesis Agrigentinae, et paucos admodum religiosos numerum viginti non excedentes, inter quos alii sacerdotes, alii clerici, et alii conversi existunt, et ex illis quinque aut sex extra congregationem vagantur, habere dicitur, diligentem informationem capito, de cujus fide prudentia integritate, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, ad id muneris deligendum duximus. Itaque tibi per praesentes committimus, et mandamus, ut ad singula loca et domos praefata te personaliter conferas, illaque et illas visites, ibique in ejusdem congregationis ac locorum et domorum hujusmodi statum, formam, regulam, instituta, regimen, administrationem, statuta, consuetudines, moresque, et disciplinam tam conjunctim quam divisim, et tam in capite, quam in membris diligenter inquiras, et super his omnibus, ac de reditibus locorum praedictorum, ac religiosorum numero, necnon regendi modo, ac denique de iis, quae nos scire convenit, ut bono regimini ejusdem congregationis providere possimus, informationem copias, et quicquid repereris, in scriptis redigas. Nos enim tibi super praemissis omnibus et singulis, et circa ea necessariis, ac inprimis quoscumque inobedientes et contumaces recipiendi, eosque a quibusvis censuris, et poenis per eos incursis in foro conscientiae dumtaxat absolvendi, ac super irregularitatem propterea contracta dispensandi, ita ut promoti in eorum sacris et presbyteratus ordinibus etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite valeant, cognitionem illorum contumaciae, et objectorum in aliud tempus arbitrio no-

stro differentes, super quibus, prout justitia suaserit, procedetur, aliaque omnia quae tibi visa fuerint opportune faciendi, mandandi, et exequendi plenam liberam, et omnimodam per praesentes concedimus facultatem. Non obstantibus etc. Volumus autem ut absoluto ejusmodi negotio quod a te receptum, et in scriptis redactum fuerit, ad dilectum filium nostrum Aloisium Cardinalem Estensem Congregationis Protectorem sub tuo sigillo quamprimum transmittere cures, tuamque sententiam perscribas, ut ab eo nobis facta relatione, opportuna in praemissis remedia adhibere valeamus.

Datum Romae apud S. Petrum xxiii. Octobris Pontificatus nostri anno i.

VIII.

Pro fratribus observantibus conventus S. Mariae de Drappa in suburbio Constantinopolis. Ex Bullario Secret. Brev. tom. 1 pag. 510.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii cura Nobis meritis licet imparibus ex alto commissa nos excitat et inducit, ut circa statum christifidelium quorumlibet, praesertim sub regulari observantia degentium prospere dirigendum, operosis studiis intendentes, necessitatibus eorumdem fidelium, ut vota sua Altissimo quietius persolvere possint, subveniamus, eisque benignos favores et gratias conferamus. Sane exhibita nobis nuper pro pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus B. Mariae de Drappa nuncupatae extra suburbium Constantinopolitan. ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia nuncupat. nuper ibi erecta et instituta, petitio continebat, quod cum quaedam mulier christiana pia devotione ducta quamdam suam propriam domum pie et charitative eidem domui B. Mariae de Drappa donaverit, et elargita fuerit, postquam guardianus et fratres regularia ejusdem ordinis instituta, sacrique concilii Tridentini decreta bona stabilia recipere et retinere nequeant; quia tamen inter infideles degunt, adeo ut ex ordinariis eleemosynis pro sustentatione eorumque necessitatibus providere nequeant, guardianus et fratres praedicti, ut domum ipsam, eis ut praefertur donatam, et quaecumque alia bona stabilia sibi eidemque domui B. Mariae causa mortis seu donatione inter vivos, et alias quomodolibet pro tempora relinquenda recipere, et retineri possint, a nobis licentiam sibi desuper concedi et impertiri cupiant, ideo pro parte guardiani et fratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ideo devotorum votis, quantum cum Domino possumus, libenter annuimus, guardianum et fratres praedictos, et singulares dictae domus B. Mariae personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, guardiano, et fratribus pro tempore existentibus domus B. Mariae hujusmodi, ut domum illi donatam, et quaecumque alia stabilia bona eis, et praedictae eorum domui per quoscumque christifideles tam donatione inter vivos, quam causa mortis, vel alias quomodolibet donanda, elargienda, et relinquenda, ut praefertur, recipere et retinere libere et licite valeant apost. auct. ten. praesent. de speciali gratia perpetuo concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum xi. calendas Augusti anno i.

IX.

Pro Petro Portocarrero marchioni de Villanova. Ex reg. Secret. Brev. in mense Novembri pag. 158.

Dilecto filio nobili viro Petro Portocarrero marchioni de Villanova Hispalen. dioecesis salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecisti, quod cum tu a nativitate surdus et mutus existas, et propterea in sacramentali confessione per te facienda, confessario qui gratia et experientia te intelligere possit, indigeas, quo id melius effici valeat, aliquem presbyterum regularem ordinis fratrum minorum de observantia, vel excalceatorum nuncupatorum habere, et in tua domo una cum alio fatre ejus socio retinere, eumque assidue in tua societate deducere summopere desideras. Quare Nobis humiliter supplicare fecisti, quatenus conscientiae tuae securitati opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialis gratiae favorem prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut quoad vixeris, aliquem sacerdotem dicti ordinis professum tibi benevisum pro tuo confessario ordinario in domo tua una cum alio fratre ejusdem ordinis socio de licentia illorum superiorum retinere, ac in tua societate assidue habere, tecumque ducere ad effectum praemissum libere et licite valeas auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur. Non obstantibus.etc.

Datum Romae apud S. Petrum die III. Novembris Pontificatus nostri anno. I.

X.

Instituit confraternitatem Chordigerorum S. Francisci. Ex Bull. Laertii Cherubini tom. 2. pag. 385. Romae 1638.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex supernae dispositionis arbitrio, gregi dominico praesidentes, inter curas multiplices, quae ex pastoralis officii ministerio nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam omnium christistifidelium, praesertim sub suavi religionis jugo et vexillo, Altissimo famulantium, animarum salus cum divini cultus incremento preveniat, ipsosque christifideles, ut eorum vota ad id facilius concurrant, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus, in apricum eis adducendo, justos variis signis et miraculis coruscantes invitamus et confovemus, ac alias desuper disponimus, prout ad eorumdem christifidelium spiritualem devotionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque B. Franciscus, a quo ordo dilectorum filiorum fratrum minorum institutus fuit, quique inter caeteros in numerum Sanctorum cooptatus signis et miraculis maxime claruit, ita vixerit, ut pene omnes ad sui devotionem et imitationem pertraxerit, multique ex ipsis christifidelibus, chordam similem ei, qua ipse dum in hoc saeculo versaretur, cinctus erat, hodie deferant; quin etiam plures ejus laudabile

institutum amplexi, et sub suavi jugo religionis ab eo institutae, diversisque S. Romanae catholicae Ecclesiae praelatis, etiam cardinalatus bonore fulgentibus, et postea ad summi apostolatus apicem evectis illustratae, militantes, tantumque virum imitati, in numerum eorumdem Sanctorum relati fuerint.

§. 2. Nos qui etiam a teneris annis singularem devotionis affectum erga ipsum S. Franciscum, cujus corpus sub altari majori ecclesiae domus fratrum minorum conventualium nuncupat. Assisien. quae inibi insignis maximeque celebris, et diversis privilegiis decorata existit, requiescit, sub habitu dicti ordinis sui incedentes gessimus, cupientes domum et ecclesiam hujusmodi amplius decorari, pietatisque, et christianae charitatis opera ubique cum divini cultus augmento, ac ad ejusdem S. Francisci honorem et venerationem, animarumque salutem exerceri, fidelesque ipsos ad faciendum ea per quae ad aeternam beatitudinem valeant facilius pervenire, mediis opportunis excitare, infrascriptum fratrem Clementem magistrum generalem, ac singulares personas conventus domus praedictae a quibusvis excommunicationis etc. harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et certa scientia, in ecclesia domus et ad altare hujusmodi, unam archiconfraternitatem utriusque sexus christifidelium, qui chordam per ejusdem ordinis fratres geri solitam ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur, sub invocatione ejusdem S. Francisci, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus. Ut autem ipsa archiconfraternitas confratrum chordigerorum praefatae chordae numero in dies magis ampliata decoretur, ipsique confratres ad piorum operum exercitium propensiores reddantur, ac ad ecclesiam, et altare hujusmodi devotionis causa confluant, quo per hoc se majora coelestia gratiae dona cognoverint adipisci, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi,

§. 3. Omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, ac praefatam chordam, quae prius a superioribus dicti ordinis benedici debeat, ad reverentiam et memoriam ejusdem S. Francisci gerentes sacraque communione refecti, praefatam archiconfraternitatem ingredientur, die prima illorum ingressus, ac in mortis ipsorum articulo, nomen Jesu, ore vel corde invocantibus, si etiam vere poenitentes, et confessi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem;

§. 4. Et insuper eidem archiconfraternitati, illiusque confratribus omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac relaxationes archiconfraternitati Confalonis B. Mariae Virginis in ecclesia S. Luciae de Urbe institutae, necnon praedicto ordini, ac illius fratribus et personis quandocumque, et per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam per nos concessas, quo ad illas tantum, quae hactenus revocatae non fuerint, motu, et auctoritate, ac tenore similibus, etiam perpetuo concedimus, et elargimur, ac communicamus.

§. 5. Postremo, dilecto filio fratri Clementi Bontadosio nunc et pro tempore existenti dicti ordinis generali magistro ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. quascumque confraternitates utriusque sexus chri-

atifidelium chordigerorum hujusmodi in quibuscumque ecclesiis domorum, tam minorum conventualium, quam capucinorum, et de observantia nuncupatorum fratrum praedictorum, in quibuscumque mundi partibus et locis pro tempore erigendis et instituendis, erigendi et instituendi, illasque, postquam erectae et institutae cum omnibus et singulis indulgentis, peccatorum remissionibus, et relaxationibus aggregandi; ac ipsas indulgentias illis et earum confratribus communicandi, pariterque concedendi, plenam, liberam, et omnimodam facultatem, et auctoritatem damus et concedimus, prout nos easdem omnes confraternitates, ex nunc prout ex tunc, postquam erectae et institutae fuerint, ipsi archiconfraternitati per praesentes erectae et institutae hujusmodi, aggregamus, praefatasque indulgentias illis et earum confratribus communicamus et concedimus.

§. 6. Decernentes easdem praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis, seu quopiam alio defectu, notari, impugnari, vel retractari, aut revocari ullatenus posse, neque debere, sed semper et in perpetuum validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri debere.

§. 7. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum XIII. calendas Decembris Pontificatus nostri anno I.

XI.

Ut moniales terrae Berlangae officium SS. Martyrum Ursulae et soc. recitent cum octava. Ex reg. Secret. Brevium in mense Decembri. pag. 373.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventus monasterii monialium Conceptionis B. Mariae Virginis terrae Berlangae Seguntin. dioecesis sub cura fratrum minorum de observantia nuncupatorum degentibus.

Exponi Nobis nuper fecistis quod vos in ecclesia vestra octo dimidia corpora, et unum caput, decemque brachia ex reliquiis Sanctarum undecim millium Virginum partim a charissima in Christo filia nostra Maria Romanorum Imperatrice, partim a nobili muliere marchionissa de Almazan istuc transmissa habetis, et asservatia, magna cum vestra et vicinorum populorum spirituali consolatione, et propterea aliqu'd in memoriam et reverentiam praedictarum undecim millium Virginum de nostra licentia et concessione recitare ac facere summopere desideratis. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, vos ac vestrum singulas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, vobis ut ex nunc deinceps et in perpetuum, vos et aliae pro tempore existentes in dicto monasterio sanctimoniales festivitatem undecim millium Virginum praedictarum cum integra illius octava solemniter celebrare libere et licite possitis, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dicti monasterii, et juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, coeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV. Decembris Pontific. nostri anno I.

XII.

Largitur indulgentias plenarias. Ex regesto Secret. et Brevium in mense Septembri pag. 250.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a primaeva institutione regulae beati Francisci, tam ob illius, et Sanctorum Antonii de Padua, Ludovici episcopi et confessoris, Bonaventurae, et Bernardini, necnon divae Clarae, aliorumque ejusdem ordinis sequacium sanctitatem et miraculorum multitudinem, quam etiam ob multorum ipsius religionis summorum Pontificum praedecessorum nostrorum merita, ingens unique christianorum multitudo singularem erga quemcumque dictorum sanctorum gerat devotionis affectum, Nos, ut ipsorum fidelium devotio hujusmodi non modo conservetur, sed in dies magis augeatur, animarumque saluti uberius consulatur, precibus etiam dilecti filii Clementis Bontadossi ordinis minorum conventualium magistri generalis super hoc humiliter porrectis inclinati, tam omnibus et singulis dicti ordinis minorum conventualium, capucinorum, et de observantia nuncupatorum fratribus et monialibus, quam caeteris utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes, et confessi, et sanctissima communione refecti diebus festis SS. Francisci, Antonii de Padua, Ludovici episcopi et confessoris ac Bernardini, praedictorum eorundem fratrum minorum conventualium, capucinorum et de observantia, necnon die festivitatis S. Clarae monialium dicti ordinis monasteriorum ubilibet constitutorum Ecclesias tam erectas, quam erigendas, vel earum aliquam, a primis vesperis usque ad occasum solis eorundem dierum, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud apud S. Marcum die XXVIII. Septembris anno I.

XIII.

Constantinus a Sarnano fit S. R. Ecclesiae Cardinalis. Ex archivo coenobii Montis S. Petri Angelorum.

Dilecto filio Constantino S. Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Sarnano nuncupato salutem et apostolicam benedictionem.

Romanam ecclesiam, quae volente Domino ita excrevit, ut ejus potestas in totum orbem terrarum longe lateque diffundatur, multis oportet fulciri adjutoribus, quorum virtute et doctrina in multis et majoribus totius reipublicae christianae negociis valeat sublevari. Quare solicite haec animo meditantes, in te ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. et theologiae professorem nostrae mentis aciem convertimus, firma spe fiduciaque conceptis, quod tu, qui in piis et religionis tuae professionis exercitiis, ac theologiae, et aliarum optimarum scientiarum studiis assidue versatus, necnon verbi Dei praedicatoris, ac Sacrarum Scripturam lectoris muneribus in celeberrimis Italiae civitatibus et locis praeclare functus fuisti, egregiamque ac solertem operam in pluribus Scoti, et aliorum piorum auctorum voluminibus impressoriae artis lubricitate depravatis suae integritati restituendis, ac doctissimis scholiis et annotationibus locupletandis, et denuo in lucem edendis praestitisti, ob haec et multa alia spectatae religionis, doctrinae, et industriae tuae documenta etiam nobis ipsis cognita et probata, esse poteris eidem Romanae Ecclesiae ac Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti in negociorum praedictorum sublevatione plurimum utilis, et multipliciter fructosus. Habita super his cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio et assensu ad omnipotentis Dei laudem, et ejusdem sedis honorem, ac fidei catholicae incrementum te in ipsius Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem cum omnibus privilegiis, honoribus, facultatibus, ornamentis, praerogativis, et insignibus debitis et consuetis de apostolicae potestatis plenitudine, et ex certa scientia nostra assumimus, creamus, constituimus, pronunciamus, publicamus, et esse decernimus, ac in numerum et consortium aliorum ejusdem Romanae Ecclesiae cardinalium adscribimus, tibique solita benedictione benedicimus, necnon quae in tantae dignitatis decus assumptis pro tempore in cardinales exhiberi consueverunt, birettum per Nos de more similiter benedictum, aliaque cardinalatus insignia concedimus et assignamus. Non obstantibus etc. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae assumptionis, creationis, constitutionis, pronunciationis, publicationis decreti, adscriptionis, benedictionis, concessionis, et assignationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum anno xvi. calendas Januari, Pontificatus nostri an. ii.

XIV.

Oppidum Lauretanum civitatis honore auget, et cathedralem Ecclesiam erigit. Ex Bull. Laertii Cherubini tom. 2 pag. 394.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro excellenti praemineutia Sedis Apostolicae, in qua post Beatum Petrum Apostolorum Principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen auctoritate, constituti sumus, in exiguae militantis Ecclesiae agro, novas Episcopales Sedes, Ecclesiasque plantare dignum arbitramur, ut per hujusmodi novam plantationem, popularis augeatur devotio, divinus cultus efflureat, et animarum salus subsequatur, ac humilia loca dignioribus titulis, et condignis favoribus illustrentur, necnon propagatione novae Sedis, honoratique Praesulis assistentia, et regimine, cum apostolicae potestatis plenitudine, et orthodoxae fidei profectu, et exaltatione, populi ipsi, propositum eis aeternae felicitatis praemium facilius valeant adipisci.

§. 1. Considerantes itaque oppidum Lauretanum in provincia Piceni situm nullius dioecesis Sedi Apostolicae immediate subjectum, in toto orbe celeberrimum, et in eo unam insignem collegiatam Ecclesiam sub invocatione B. Mariae V. Dei Matiis fundatam excellere, in cujus medio inest illud sacrum cubiculum divinis mysteriis consecratum, in quo Virgo Maria nata fuit, et ibidem ipsa ab Angelo salutata, Salvatorem Mundi de Spiritu Sancto concepit, ministerio Angelorum illac translatum et ad dictam Ecclesiam ob miracula quae in dies omnipotens Dominus intercessione, et meritis ejusdem B. Mariae Virginis in eodem cubiculo operari dignatur, christifideles ex omnibus mundi regionibus, devotionis et peregrinationis causa confluere.

§. 2. Et propterea cupientes, oppidum et ecclesiam hujusmodi dignioribus titulis et nominibus decorare, habita super hoc cum fratribus nostris deliberatione matura, de eorum consilio et assensu, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad ejusdem omnipotentis Dei laudem et gloriam, et ipsius B. Mariae Virginis honorem, necnon christifidelium devotionis augmentum, Oppidum in civitatem Lauretanam nuncupandam, Ecclesiam vero in Cathedralem sub eadem invocatione, pro uno Episcopo Lauretano nuncupandu, qui jurisdictionem episcopalem habeat ac exerceat in spiritualibus, cum mensa episcopali, arca, sigillo, aliisque insignibus et honoribus, et privilegiis, quibus alii Episcopi, de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet in eisdem spiritualibus utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere quomodolibet possunt, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetno erigimus, et instituimus, illasque sic erectas, necnon Episcopum Lauretanum pro tempore existentem, ac ipsius ecclesiae capitulum, dictae Sedi immediate, perpetuo etiam subjicimus et sub protectione Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum suscipimus. Necnon cum nuperrime unionem enim de ecclesia Recanaten. et ecclesia Maceraten. eadem auctoritate perpetuo factam, de consilio, et potestatis plenitudine similibus dissolverimus, et venerabilem fratrem nostrum Galeantium Episcopum Maceraten. a vinculo quo

dictae Ecclesiae Recanaten. cui tunc ratione unionis hujusmodi praeerat, tenebatur, absolverimus, ac in dicta ecclesia Recanaten. nomen et titulum Cathedralis, necnon Sedem, dignitatem et mensam episcopales suppresserimus, ipsamque ecclesiam Recanaten. in collegiatam reduxerimus, civitatem tamen Recanaten. titulum et denominationem civitatis propterea non amisisse, ita ut illius inhabitatores, cives denominari, et privilegiis civium uti possent, decernendo Castrum Ficardi ab Anconitana, et S. Mariae in Casciano ab Auximana, et Montis Luponi oppida a Firmana dioecesibus, quibus in spiritualibus subjecta sunt, auctoritate et tenore praemissis, similiter perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, illaque sic dismembrata et separata, ac eorum incolas et habitatores, ab omni jurisdictione et potestate et subjectione Anconitan. et Auximan. ac Firman. episcoporum pro tempore existentium, necnon solutione decimarum eisdem Episcopis per eos debitarum, ex tunc de cetero facienda, itidem perpetuo eximimus, et liberamus.

§. 3. Necnon ipsa, et civitatem Recanaten. praedictam illiusque et Castri Ficardi, ac oppidorum praedictorum territoria, pro dioe. d. episcopi Lauretani; illos vero, necnon civitatis Lauretanae ecclesiasticas personas pro clero, et habitatores pro populo, auctoritate et ten. praemissis, similiter perpetuo concedimus, et assignamus.

§. 4. Ac pro Episcopi Lauretani pro tempore existenti, dote, quam summam duorum millium scutorum dictae provinciae constituere debere declaramus, omnia et singula, reditus et proventus, jura, obventiones et emolumenta, in quibusvis rebus, et actionibus, et ubique locorum consistentia et provenientia, et ad quamvis summam ascendentia dictae mensae episcopali Recanaten. sic suppressae et extinctae, et quae ad illam quomodolibet spectant et pertinent, ac ante illius suppressionem et extinctionem hujusmodi quovis jure spectabant et pertinebant, spectareque et pertinere poterant, necnon Castri Ficardi, et oppidorum territoriorum hujusmodi decimas Anconitan. Auximan. et Firman. episcopis solvi solitas, residuum vero dictorum duorum millium scutorum pro dote dictae ecclesiae Lauretanae constitutorum hujusmodi, et ex tot praediis et possessionibus dictae domus Lauretanae per dilectum filium nostrum Filippum S. Angeli in foro piscium diac. cardinalum Vastavillanum nuncupatum, dictae domus protectorem ejus arbitrio declarandis et assignandis, etiam perpetuo concedimus, et assignamus.

§. 5. Necnon in dicta ecclesia Lauretana, in qua unus Archipraesbyteratus, qui ante erectionem hujusmodi inibi principalis existebat, pro uno Archipresbytero, ac una Praepositura, pro uno Praeposito, ac unus Decanatus dignitates, pro uno Decano, necnon duodecim Canonicatus et totidem praebendae pro duodecim Canonicis, ac etiam duodecim Beneficiatis, et totidem clericatus, nuncupata perpetua simplicia beneficia pro totidem personis eidem ecclesiae Lauretanae deservientibus, erecta et fundata existunt, unum Archidiaconatum, qui inibi dignitas major post pontificalem ecclesiam pro uno Archidiacono, qui in choro et capitulo ipsius Ecclesiae Lauretanae, ac processionibus aliisq. actibus capitularibus primum locum, ac primum vocem, ante obtinentes alias dignitates praedictas habeat, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo erigimus et instituimus. Ac Praepositurae in Primiceriatum pro uno Primicerio,

Decanatus vero dignitatum hujusmodi denominationes, in Thesaurarium pro uno Thesaurario commutamus; necnon Archipresbyteratum secundam pro uno Archipresbytero qui secundam, et Primiceriatum tertiam pro uno Primicerio qui tertium, ac Thesaurariam quartam inibi dignitates pro uno Thesaurario, qui quartum locum in choro, capitulo, processionibus et actibus praedictis, aut canonicos praedictos habeant, necnon canonicatus et praebendas, ceteraq. beneficia praedicta, alias juxta collationes et provisiones de illis eorum possessoribus factas, pro capitulo ejusdem Ecclesiae Lauretanae remanere declaramus.

§. 6. Ac insuper motu proprio non ad alicujus desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate familiae nostrae de Perrettis de Monte Alto juspatronatus, et praesentandi personam idoneam ad Archipresbiteratum praedictum, quoties illum per obitum, aut resignationem, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem praedictam vacare contigerit, Episcopo Lauretano pro tempore existenti per eum ad praesentationem hujusmodi instituendam, auctoritate et tenore praedictis pariter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus.

§. 7. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum xvi. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno ii.

XV.

Eximit fratres tertii ordinis de poenitentia a regimine minorum observantium. Ex Bullar. Laertii Cherubini tom. 2. pag. 299.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificia providentia circumspecta, nonnumquam ea, quae per praedecessores suos rationabilibus et honestis suadentibus causis, pro quibuscumque ecclesiae ordinibus vel in sua integritate continendis vel ad institutum revocandis, statuta et ordinata fuerunt, ex aliis non minus justis causis moderatur et revocat, prout id conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Alias siquidem fel. rec. Pius PP. V. praedecessor noster officia ministratus et visitatoris generalia tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati perpetuo extinxit et abolevit, ac ministrum, visitatorem, et vicarium generalem ejusdem ordinis officio, usu, et exercitio quomodo interdixit, edictoque prohibuit, ne ullus minister, vicarius, et visitator generalis de dicto ordine haberetur;

§. 2. Insuper universos et singulos fratres, sorores, professos, et conversos, necnon domus, monasteria, et loca vivorum et mulierum, ac custodias et provincias per universum orbem constitutas, gregemque ipsum universum tertii ordinis utriusque sexus generali, et provincialibus ministris ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. prout in eorum provinciis consistebant, ita perpetuo supposuit, ut minister generalis in universo ordine, provincialis vero ordinis minorum de observantia in suis quisque provinciis plenum jus, liberamque auctoritatem in spiritualibus et temporalibus jurisdictionem omnimodam haberet domus

omnes, ac monasteria, et loca quaecumque, necnon personas utriusque sexus, tam in capite quam in membris visitandi, et corrigendi, vagantes et quoscumque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, ordinibus, officiis, et administrationibus deponendi, et restituendi, ac etiam super iis et caeteris omnibus ordinem ipsum illiusque domus, et personas utriusque sexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen regulae, et sacris canonibus, et litteris tunc desuper confectis non contrariis, statuendi, mutandi, innovandi, et exequendi quemadmodum illis erat in suo proprio ordine attributum, ac alia statuit, et ordinavit, prout in ipsius praedecessoris litteris sub videlicet v. nonas Julii Pontificatus sui anno III. desuper confectis, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius continetur.

§. 3. Nos itaque, quibus nuper innotuit, quod fratres tertii ordinis hujusmodi sub obedientia ministri generalis, et provincialium fratrum de observantia praedictorum manentes, nihil in vinea Domini profecerunt, immo in eodem tertio ordine varii abusus tam circa regulae observationem, quam etiam fratrum dictae regulae transgressorum, et alias delinquentium castigationem irrepserunt, ac considerantes, quod si fratres ipsi tertii ordinis eorum visitatorem generalem juxta sua regularia instituta, ante litteras dicti praedecessoris faciebant, eligere possent, et sic electo tanquam eorum superiori obedirent, praemissis, et aliis malis, quae occurrere possent, plurimum consultum forent. Propterea ex his, et aliis causis animum nostrum moventibus, de nobis attributae potestatis plenitudine ipsos fratres tertii ordinis adversus litteras dicti praedecessoris (illis quoad protectoris deputationem in suo robore permanentibus) in pristinum, et eum in quo antequam ipsae litterae emanassent, erant, statum restituentes, et plenarie reintegrantes, eisdem fratribus tertii ordinis per universam Italiam existentibus, quod perpetuis futuris temporibus juxta eorum regularia instituta singulo triennio capitulum generale dicti tertii ordinis convocare et celebrare, ac in eo visitatorem generalem, et alios ministros, et officiales (non tamen commissarium generalem) eisdem modo et forma, quibus antequam litterae praedictae emanassent, consueverant eligere, eumdemque visitatorem generalem peracto triennio hujusmodi in alio capitulo generali postea faciendo confirmare libere et licite valeant, perpetuo apostolica auctoritate concedimus et indulgemus.

§. 4. Decernentes visitatorem sic electum omnimodam potestatem, auctoritatem, jurisdictionem, et superioritatem in omnes et singulos dicti tertii ordinis fratres, et ministros, et officiales per universam Italiam consistentes, eorumque domos et loca, ac res et bona habere, necnon fratres, et ministros, ac officiales tertii ordinis hujusmodi ei sic electo, tamquam vero superiori morem gerere, ejusque mandatis salubribus obedire tenere, ipsosque per ministrum generalem, ac alios fratres de observantia, quo minus ad electionem praedictam, prout ante dictas litteras faciebant, procedere valeant, nequaquam impediri, aut molestari posse. Et ita per quoscumque judices etc. irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX. Martii Pontificatus nostri anno I.

XVI.

Erigit provinciam S. Gregorii Insularum Philippinarum. Ex Bullario Francisci Matritensis tom. 1. pag. 297.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dum ad uberes fructus, quos religiosae personae, praesertim vero fratres minores de observantia discalceati nuncupati, custodiae S. Gregorii in Insulis Philippinis Indiarum occidentalium, quasi in agro dominico seduli operarii, ad Dei gloriam, et spiritualem salutem populorum in remotissimis terris degentium, et magno a nobis locorum intervallo disjunctorum, assidue sua industria, Deo juvante, colligunt, convertimus oculos nostrae mentis, dignum quin potius debitum reputamus, ut ad eorum commodum, et propagationem apostolici favoris gratiam benigne impartiamur, eosque amplioribus privilegiis decoremus, praesertim cum id a nobis piis catholicorum regum votis postuletur.

§. 1. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, tam suo, quam dilectorum filiorum custodis, et aliorum fratrum custodiae S. Gregorii in Insulis praedictis nominibus nobis exposuit, quod alias fratres provinciae S. Josephi ejusdem ordinis in regnis Hispaniarum institutae, a qua custodia S. Gregorii praedicta pendebat, in capitulo nuper in oppido de Cadahalso Toletanae dioecesis, provide considerantes, se non posse hujusmodi custodiam, sine notabili sua diminutione sustinere, propter continuas fratrum missiones, quas fere annuatim facere cogebantur, nec religionem in illis partibus propagari, aut novas domus, aut conventus fundari, et institui posse, nisi custodia ipsa in provinciam erigeretur, decreverunt nobis humiliter supplicare, quatenus custodiam praedictam, provinciae nomine decorare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, qui etiam ex dilecti filii Francisci Gonzaga ministri generalis totius ordinis de observantia insinuatione accepimus, propter hujusmodi erectionem nulli praejudicium inferri, ac custodiae praedictae patres sub debita regulari observantia magno cum fructu, gratum Deo famulatum praestare, eos condignis favoribus exornare volentes, necnon ministrum, et fratres praedictos, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, custodiam S. Gregorii praedictam in provinciam S. Gregorii discalceatorum in Insulis Philippinis de cetero nuncupandam, ita quod deinceps per unum ministrum provincialem, ab ipsius provinciae fratribus in eorum capitulo provinciali, ad instar aliarum provinciarum ejusdem ordinis eligendum, sub obedientia tamen ministri generalis totius ordinis fratrum de observantia praedictorum, ac commissarii generalis Indiarum in curia regis praedicti pro tempore residentis, atque eorum commissariorum ad praedictam provinciam specialiter deputatorum, seu deputandorum, prout sunt, et aliae earumdem partium provinciae, regi et gubernari debeat, auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus et instituimus; dictaeque sic erectae provinciae illiusque pro tempore existenti provinciali ministro, et singulis fratribus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis,

facultatibus, immunitatibus, et exemptionibus, libertatibus, favoribus, gratiis, et indulgentiis, etiam spiritualibus, quibus caeterae dicti ordinis provinciae hactenus ubilibet institutae et existentes, earumque ministri provinciales, et singuli fratres, tam de jure, quam consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, uti, potiri, et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praesentium concedimus et elargimur.

§. 3. Decernentes custodiam praedictam in provinciam sic erectam, pro tali habere, et ut praefertur, regi, et gubernari deinceps debere, necnon pro tempore existenti dictae S. Gregorii ministro provinciali, ut tam in ipsis Insulis Philippinis, quam in aliis quibusvis terris, et locis Indiarum praedictarum, ac regnorum de la China nuncupatorum, et in quibus conversio gentilium ad fidem catholicam commode curari, et tractari poterit, novas domus et conventus pro fratribus dicti ordinis recipiendis, ad Dei laudem et gloriam, nostra aut Romani Pontificis, vel ordinarii locorum, aut cujusvis alterius licentia minime requisita, fundare et instituere, eosque ad habitandum recipere, et fratres in illis introducere libere et licite valeat, facultatem, auctoritatem et tenore similibus impartimur; ita tamen, ut minister provinciales provinciae noviter erectae hujusmodi, a fundatione, et institutione novarum domorum in conventu de Malaca, et de Siau, ac de Cochinchinae regnis, sive provinciis, et eorum dominiis, necnon terris illis, et locis ad quae dudum dictus Franciscus generalis minister quosdam alios fratres, etiam minores de observantia provinciae Portugalliae, seu custodiae S. Thomae in Indiis orientalibus institutae, pro erigenda alia custodia in posterioribus regnis seu provinciis, ac eorum dominiis praedictis cum suis patentibus litteris destinavit, cujus commissio et auctoritas salva sit, et esse censeatur, omnino abstineat; necnon in domibus, et conventibus in civitate Malacae, aut locis praedictis jam fundatis, et institutis, vel cum fratribus et personis in illis degentibus se ullatenus intromittat, aliamve in eas, et eos jurisdictionem et superioritatem exercere praesumant.

§. 4. Praeterea universis et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sanctissimo eucharistiae sacramento refectis, qui aliquam ex ecclesiis provinciae praedictae erectis, seu erigendis in duabus anni festivitatibus, per provincialem pro tempore specificandis, a primis vesperis usque ad occasum solis earumdem festivitatum, singulis annis, perpetuis futuris temporibus devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, gentilium conversione, haeresum extirpatione, sanctaeque matris ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, plenariam omnium, et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

§. 5. Necnon praesentes litteras, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod alias provinciae, illiusque fratres vocati non fuerit, aut erectio hujusmodi extra generalem capitulum sui ordinis facta fuerint, notari, impugnari, vel alias invalidari nullatenus posse. Sicque per quoscumque judices etc. irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus etc.. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Novembris Pontif. nostri anno ii.

XVII.

Favoribus et gratiis ditat Xenodochium Maniliense. Ex eodem Bull. Matriten. tom. 1. pag. 300.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

De salute gregis dominici pro pastorali nobis divinitus cura solicite cogitantes, religiosos illos, qui solicitudinem nostram adjuvantes in convertendis ad Domini nostri Jesu Christi fidem gentibus, piam et efficacem operam impendere non desistunt, spiritualibus muneribus libenter prosequimur, ut eo libentius in tam pio instituto perseverantes, tandem post hujus vitae curriculum, tamquam servi boni et fideles in gaudia coelestia ab ipso omnipotenti Domino recipi mereantur. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii fratres discalceati de observantia provinciae S. Gregorii in Indiis et Insulis Philippinis, in Gentilium conversione maxime laborent, et Sancti Spiritus gratia multum proficiant, Nos eorum pia studia, pro intimo cordis affectu complectentes, illosque spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, universis et singulis dicti ordinis religiosis, qui pro Christi amore, et obedientiae merito conversioni hujusmodi gentilium in dictis Indiarum partibus procurandae se accinxerint, apostolica benedictione benedicimus, necnon ipsis, tam die, quo in ipsas Indias pervenerint, si confessione praevia, sanctissimam communionem sumpserint, necnon in mortis articulo, si contriti et confessi, aut cum proposito confitendi, in itinere seu in ipsa conversione decesserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur. Praeterea omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ecclesiarum, aut domorum dictorum religiosorum in Indiis praedictis consistentium, die secunda Augusti necnon iis, qui ecclesiam sub invocatione S. Annae hospitalis Indorum in civitate Manilae a fratribus discalceatis S. Josephi fundatis, in quo ut accepimus, et anima et corpore, summa cum charitate curantur, in una festivitatum infrascriptarum, videlicet Epiphaniae, Conceptionis B. Mariae Virginis, Omnium Sanctorum a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibidem pro fidelium conversione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Insuper ut fidelium devotio erga ecclesiam dicti Hospitalis in dies magis augeatur, ipsis fidelibus, qui singulis secundis, quartis, ac sextis feriis quadragesimae, tria altaria ecclesiae S. Annae praedictae, aut unum si plura non adsint, devote visitaverint, et ibi prout unicuique devotio dictaverit, oraverint, quoties id egerint, centum dies; necnon benefactoribus, et curam infirmorum gerentibus, ac illis qui ex propria voluntate dicto hospitali, seu pauperibus in illis degentibus, intervenerint, quoties aliquod pii operis circa praemissa exercuerint, toties viginti quinque de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericor-

diter in Domino relaxamus. Denique omnibus et singulis christifidelibus, qui favorem et auxilium religiosis praedictis, et aliis ministris sacri evanlii, docendo, aut alias quomodolibet circa ministerium conversionis praestiterint, ac qui eis bona exempla praebuerint, viginti quinque annos, et totidem quadragenas de eisdem poenitentiis, misericorditer in Domino relaxamus; praesentibus ad viginti annos ab eorum publicatione computandos dumtaxat valituris.

Datum Romae apud S. Petrum die viii. Decembris Pontificatus nostri anno ii.

XVIII.

Indulget translationem conventus. Ex regesto Secr. Brev. lib. 2. Bull. pag. 45.

Dilecto filio Cantori saeculari collegiatae ecclesiae loci de Victoria Calaguritan. dioecesis salutem et apostolicam benedictionem.

Piis supplicantium votis illis praesertim, quae sacrae religionis propagationem et divini cultus augmentum ac animarum salutem respiciunt libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum minorum de observantia nuncupatorum in partibus Cantabriae Calaguritan. dioecesis, sita necnon universitatis et hominum oppidi civitatis nuncupatae de Ordune dictae dioecesis petitio continebat, quod cum praefata domus procul a dicto oppido distet, ac tum ob loci distantiam, tum etiam ob itineris incommoditatem et difficultatem tam aestivo ob solis vehementem ardorem, quam hiemali temporibus ob frequentes pluvias et nives populus ipsius oppidi ad eamdem domum raro se conferat, in eaque parvus ejusdem ordinis fratrum numerus manuteneatur, inibique residentes ob aeris intemperiem saepius adversa valetudine premantur, unde fit ut dicta universitas spiritualibus exercitiis, confessionibus, praedicationibus, piorumque virorum sub suavi religionis jugo degentium exemplo caeterisque fructibus ex conversatione hominum virtutum aemulorum et a vitiis alienorum provenientibus careant, quibus omnibus fruerentur, si in eodem oppido aliqua domus dicti seu alterius ordinis erecta reperitur, in non modicum divini cultus incrementum animarumque dictae universitatis salutem, et spiritualem consolationem, ipsorumque fratrum qui ibidem plures recipi, et piis christifidelium eleemosynis commodius sustentari possent, bonae valetudini non parum consuleretur. Quae universitas et homines ob singularem quem erga ordinem fratrum minorum hujusmodi praecipue gerunt devotionis affectum ac guardianus et fratres praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis unam domum in eodem oppido et loco ad id decenti et honesto pro ipsorum guardiani et fratrum perpetuis usu et habitatione, qui inibi sub disciplinae observantia juxta pia eorum instituta perpetuo Altissimo famularentur, cum ecclesia necnon sacristia, campanili, campanis, caemeterio, dormitorio, refectorio, hortis et hortalitiis aliisque officinis necessariis propriis, ejusdem universitatis impensis construi et aedificari faciendi, ipsique guardiano et

fratribus postquam domus hujusmodi constructa fuerit, a primo dicta domo una sacra et profana supellectili praedictae domus, ecclesia in sua pristina structura remanente, ad secundo dictam domum sese transferrendi licentiam concedere aliasque eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus augmentum ac religionis propagationem nostris potissimum temporibus sinceris desideramus affectibus, guardianum et fratres necnon universitatem et homines praefatos illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus universitati et hominibus praedictis, ut unam domum dicti ordinis cum ecclesia sub invocatione S. Marinae, sacristia, campanis, caemeterio, refectorio, claustro, hortis, hortalitiis, et aliis officinis praedictis pro usu et habitatione dictorum guardiani et fratrum, qui ibidem sub regulari observantia, ut praefertur, Altissimo perpetuum exhibeant famulatum, ac sub obedientia, correctione, et visitatione generalis ministri et aliorum superiorum dicti ordinis pro tempore existentium, juxta regularia eorum instituta perpetuo remaneant, praedictae domus ecclesia in sua pristina structura remanente, ut praefertur, construi et aedificari facere, insigniaque et arma praedicti oppidi supra domus aedificandae et illius ecclesiae hujusmodi portis collocare, et perpetuo retinere, dictisque guardiano et fratribus postquam domus hujusmodi, ut praefertur, constructa fuerit, a primodicta domo ad secundo dictam una cum sacra et profana suppellectili aliisque illius bonis mobilibus sese transferre, illamque recipere et inhabitare libere et licere valeant, licentiam et facultatem auctoritate nostra perpetuo concedas et impartiaris. Et insuper guardiano et fratribus praedictis ac pro tempore in ea commorantibus, postquam universitas et homines praedicti secundo dictam domum in praefato oppido construi et aedificari fecerint, quod omnibus et singulis privilegiis, et gratiis, praerogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, spiritualibus, et temporalibus, quibus aliae domus fratrum dicti ordinis de jure, usu, vel consuetudine, aut alias, quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere libere et licite perpetuo valeant auctoritate et tenore praemissis indulgeas, necnon dictis universitati et hominibus in secundo dicta ecclesia postquam, ut praefertur, eorum sumptibus constructa fuerit, juspatronatus honorificum perpetuo reserves, concedas, et assignes. Non obstantibus etc. coeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum idibus Martii Pontificatus nostri an. 1.

XIX.

Donat mediam aquae unciam fratribus de observantia S. Joannini nuncupati de Urbe. Ex reg. Secret. Brevium in mense Octobri pag. 428.

Ad perpetuam rei memoriam.

Permulta pietatis ac devotionis opera et merita, quae dilecti filii fratres ordinis minorum S. Francisci de observantia in ecclesia B. Mariae S. Joannini nuncupata Altissimo in dies famulando, assiduis labo-

ribus ac vigiliis praestant, promerentur, ut eorum commoditati honestis ipsorum petitionibus benigne annuendo gratiose prospiciamus. Itaque supplicationibus pro parte illorum Nobis humiliter porrectis adducti, eisdem fratribus in praefata ecclesia pro Dei cultu residentibus, dimidiam unciae aquae fontis Trivii gratis absque ulla solutione, ita ut eam ab ipso fonte, aut a viciniori illius conductu extrahere, et ad ipsam ecclesiam B. Mariae, seu domunculam illi annexam conducere, seu extrahi, et conduci facere, ad omnes eorum ipsius ecclesiae necessarios et opportunos usus libere possint et valeant auct. apost. ten. praes. de speciali gratia perpetuo concedimus, et elargimur. Mandantes propterea dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus ad id deputatis, ac conservatoribus Urbis, et Populo Romano, omnibusque aliis ad quos spectat, vel in posterum spectabit, ut praedictos fratres dicta concessione, aliisque praemissis uti, frui, et pacifice gaudere curent, et faciant, non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xv. Octobris Pontificatus nostri anno ii.

XX.

Pro fratribus capucinis Antuerpiam diversantibus. Ex regesto Secret. Brevium in mense Aprili pag. 30.

Dilecte filii, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus et legimus litteras a vestra celsitudine sub die xvii. Mensis proxime praeteriti datas, quibus Nobis significat summopere desiderare, ut quatuor ii capucini, qui nuper Parisiis Antuerpiam venerant, ibidem permanere possint ob fructum, quem jam fecerunt, et quem faciendum esse ab iis ad salutem animarum illius populi, et bono eorum exemplo sperare oportet. Quo circa impense laudamus zelum vestrae celsitudinis, quae aeque sua industria ac pietate, necnon armis et bellica fortitudine nititur, populum illum reducere ad verum Dei nostri cultum. Cum autem Cardinalis tit. S. Severinae ordinis capucinorum Protector sit, experire judicavimus, ut cum ipso hoc negotium tractaretur, qui proinde litteris ad memoratos religiosos scriptis, iis facultatem impertitur, domicilium Antuerpiae figendi, quo successive et alii destinabuntur. Quo pacto et facto tam celsitudinis Vestrae desiderio, quam ipsius populi consolationi erit satisfactum, cui benedictionem nostram impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum die viii. Aprilis Pontificatus nostri anno ii.

XXI.

Approbat translationem monasterii. Ex regesto Secret. Brevium in mense Februario pag. 227.

Venerabili fratri Episcopo Attrebaten.

Expositum Nobis fuit, quod cum moniales tertiae regulae S. Francisci provinciae Flandriae e proprio Velsikensi monasterio dioecesis Tornacen. ob catholicae fidei confessionem ab impiis haereticis deturbatae fuissent, dilecti filii Senatus Duacensis in eorum civitate illas exceperunt, atque illis hospitale S. Juliani pro earum habitatione, sacellumque eidem hospitali contiguum in justam ecclesiam promovendum concesserunt. Quare Nos dicti Senatus pietatem et religionem plurimum in Domino commendantes, ac dictas moniales specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, earum supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut translationem ipsarum monialium ad dictam civitatem, locum, et hospitale, si tibi expediri videbitur, auctoritate nostra apostolica confirmes et approbes, ac sacellum praefatum in justam ecclesiam promoveri posse concedas, atque eisdem monialibus clausuram observari cures, aliaque omnia et singula praemissa necessaria visa fuerint, seu quomodolibet opportuna, super quibus tibi plenam et liberam facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die x. Februarii Pontificatus nostri anno I.

XXII.

Pro monialibus S. Clarae Pacensis. Ex reg. Secret. Brev. in mense Martio pag. 147.

Venerabili fratri Episcopo Pacen.

Dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Francisci de poenitentia nuncupati, nuper sicut nobis expositum fuit, ad debitam regularis disciplinae observantiam reductae, et votum de servanda clausura, quod per praefati monasterii moniales, quae hactenus inibi vitam duxerunt, emissum numquam fuit juxta constitutiones apostolicas a nostris praedecessoribus editas, et concilii Tridentini decreta, in manibus suorum superiorum sponte emiserunt, idque etiam statuerunt, ut inposterum quae pro tempore recipientur, et vovere et servare teneantur, sed et arctioris observantiae et reformationis sudiosae ac devotionis fervore accensae cupiunt cunctae se ad ordinem S. Clarae transferre, cujus institutis, et moribus satis jam, ut audivimus, instructae atque informatae fuerunt. Quare nos pio eorum desiderio paterna charitate annuentes, volentesque illas in suo laudabili proposito confovere, caeterasque moniales aliorum monasteriorum ejusdem tertii ordinis tali exemplo ad meliorem reformationem invitare, fraternitati tuae universas et singulas abbatissam et moniales primo dicti monasterii ad habitum et professionem regulares

per moniales ordinis S. Clarae gestari, et emitti solitos admittendi, et ab ipso tertio ordine praefato ad ordinem S. Clarae transferendi atque adeo in praedicto monasterio statum, essentiam, dependentiam, ac denominationem dicti tertiis ordinis perpetuo supprimendi, abolendi, et extinguendi, et illius loco in idem monasterium ordinem S. Clarae praefatum, eisque regularia instituta per eas, quae nunc sunt, quaeque ibidem pro tempore erunt receptae in moniales posthac in perpetuum observandae, auctoritate nostra introducendi, atque inviolate custodiri praecipiendi, ita ut nihilominus sub cura, regimine, et obedientia, prout hactenus fuerunt etiam inposterum permaneant, plenam, liberam, et omnimodam auctoritate praesentium concedimus facultatem, atque eisdem abbatissae, conventui, et singulis monialibus si et postquam ad ordinem S. Clarae praefatum translatae fuerint, caeterisque earum servientibus et ministris, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, favoribus caeterae dicti ordinis S. Clarae abbatissae, conventus, et moniales earumque servientes ordinem ipsum S. Clarae ab initio professae, et non ad illum translatae de jure, consuetudine, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, sive uti, potiri, et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non solum ad earum instar, sed pariformiter et aeque perinde ac sine ulla prorsus differentia, perinde ac si eum ordinem ipsum quoque ab initio professae, non autem ad illum translatae fuissent, in omnibus, et per omnia uti, potiri, et gaudere libere et licite valeant simili auctoritate indulgemus. Insuper iisdem monialibus omnibus et singulis in ipso die translationis sic per te in vim praesentium faciendae confessis ac contritis, ac SS. Eucharistiae Sacramento refectis, pro S. Matris Ecclesiae exaltatione et concordia, principum christianorum pias ad Deum preces effundentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino elargimur. Non obstantibus etc. Quibus omnibus illarum tenores ac si ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes ad effectum praesentium dumtaxat hac vice specialem derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die v. Martii Pontificatus nostri an. I.

XXIII.

Ut Cherubina monialis professa in monasterio S. Clarae Jadren. se conferat ad novum monasterium Ossaren. Ex reg. Secret. Brev. in mense Augusto pag. 246.

Venerabili fratri Archiepiscopo Jadren.

Cum in civitate et dioecesi Ossaren. non reperiatur monialis, quae puellas virgines in monasterium, quod venerab. frater Episcopus Ossaren. in dicta civitate fabricari curat, introducendas in statu regulari valeat salubriter regere, et fideliter gubernare, et dilecta in Christo filia Cherubina monialis Jadren. ordinis S. Clarae, ac maturae aetatis, et vitae exemplaris mulier ad id munus obeundum idonea reperiatur, Nos supplicationibus dicti episcopi hac in parte inclinati, et de hujusmodi negotio

ex relatione dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium super consultatione et causis regularium deputatorum informati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus dictae Cherubinae sine violentia ex suo monasterio egrediendi, et ad dictum novum monasterium transferendi, ibique puellas virgines pro tempore introducendas in regularibus institutis, et disciplina regulari instituendi, aliaque desuper necessaria et opportuna faciendi, facultatem auctoritate nostra concedas. Non obstantibus fel. rec. Pii PP. V. praedecessoris nostri, per quam moniales earum monasteriis, nisi in certis tunc expressis casibus exire prohibentur, aliisque constitutionibus.

Datum Romae apud S. Marcum die v. Augusti Pontificatus nostri anno II.

XXIV.

Franciscus Panigarola Episcopus Chrysopolitanus, et suffraganeus archiepisc. Mediolonen. eligitur. Ex regesto Secret. Brev. in mense Julio pag. 639.

Dilecto filio Francisco Panicarolae electo Chrysopolitano in partibus infidelium.

Cum Nos nuper ecclesiae Chrysopolitanae certo tunc expresso modo vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob eximiam doctrinam et integritatem, caeterasque insignes animi tui dotes grata et accepta, de eorundem fratrum consilio et unanimi assensu apostolica auctoritate providerimus, teque illi in episcopum et pastorem praefecerimus, ac insuper in suffraganeum moderni episcopi Ferrariensis propter ejus ingravescentem aetatem deputaverimus, prout in litteris apostolicis propediem expediendis latius explicabitur. Nos de spirituali consolationi ac etiam commoditati tuae peramplius consulere, ac ut ea quae ordinis pontificalia existunt, ad animarum salutem quamprimum exequi possis prospicere volentes, Tibi ut a venerabili fratre Scipione Patriarcha Hierosolimitano, assistentibus sibi duobus vel tribus catholicis episcopis similem gratiam et communionem habentibus munus consecrationis accipere libere valeas, ac eidem Patriarchae, ut recepto prius per eum a te, si adhuc praestitum non sit, fidelitatis debitae juramento in forma solita, munus praefatum auctoritate nostra impendere licite tibi possit, plenam et liberam tenore praesentium concedimus potestatem, non obstantibus apostolicis ac in conciliis generalibus vel provincialibus editis constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die v. Julii Pontificatus nostri anno II.

XXV.

Henricus Cini fit episcopus Ecclesiae Aliphiensis. Ex actibus consistorialibus pag. 38.

Romae apud S. Petrum die 8 Januarii fuit consistorium, in quo

Sanctissimus Dominus noster proposuit Ecclesiam Aliphan. pro magistro Henrico Cini ordinis minorum conventualium sacrae theologiae professorem ob translationem Joannis Baptistae nuper episcopi Aliphan. ad Ecclesiam Tricaricen.

XXVI.

Franciscus Carusius fit Episcopus Ecclesiae Sulmonen. et Valven. Ex actibus consistorialibus pag. 3.

Romae apud S. Petrum feria 2 die 13 Maii fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis de Gambara proponens Ecclesiam Sulmonensem et Valvensem, fuerunt provisae de persona fratris Francisci Carusii ordinis minorum de S. Angelo de Lombardis, et gratis expeditis etc.

XXVII.

Clemens Bentadossius praeficitur episcopus Ecclesiae Neocastren. Ex Bullario ad hunc ann. pag. 149.

Hodie die 31 Januarii in consistorio secreto, ut moris est, ecclesiae Neocastren. per obitum bon. me. Alexandri Episcopi Neocastren. qui extra romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destitutae, de persona dilecti filii Clementis Bentadossi ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. et theologiae professoris, de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio auctoritate apostolica providimus, ipsumque illi in Episcopum praeficimus, et pastolarem curam et administrationem ipsius Ecclesiae Neocastren. super ejus mensae episcopalis fructibus, et pensio annua quadringentorum scutorum monetae ad rationem decem juliorum pro quolibet scuto, dilecto filio nostro Jaonne Antonio tituli SS. Quatuor Coronatorum presbytero Cardinali illam annuatim ex dispensatione apostolica percipienti, quam et alias si quae desuper reservata existant, quatenus validae sint, salvas esse volumus, eamque quadringentorum scutorum hujusmodi, quatenus opus sit approbamus, et de novo reservamus, sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Non obstantibus etc.

XXVIII.

Eligit vicarium generalem fratrum minorum conventualium. Ex regesto Secr. Brev. in mense Julio pag. 302.

Dilecto filio Evangelistae de Furce sacrae theologiae magistro ordinis minorum conventualium vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam dilectum filium Clementem de Montefalco magistri generalis ordinis minorum conventualium officio tunc fungentem, ecclesiae Neocastren. certo modo pastoris solatio destitutae, ob illustres ac multiplices animi sui dotes, necnon praeclara erga christianam rempublicam et praecipue franciscanam religionem, cui magna cum solertia laudabiliter praefuit, obsequia et merita, in Episcopum et pastorem de consilio S. R. E. Cardinalium nuper praefecimus, nos pro nostri pastoralis officii munere volentes, ne dictus ordo, qui ob hujusmodi promotionem ejus praesule orbatus est, in spiritualibus aut temporalibus, donec alius magister generalis, ut moris est, in capitulo generali ordinis hujusmodi creetur et eligatur, detrimenta aliqua patiatur, de vicario generali, viro idoneo, ac nobis probato celeriter providere, necnon de tua probitate, fide, doctrina, experientia, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, te qui de praesenti inquisitoris haereticae pravitatis officio in civitate Bergomen. fungeris, in vicarium generalem universi ejusdem ordinis usque ad novam electionem magistri generalis in capitulo generali, juxta statuta et ordinationes ordinis praedicti faciendam, cum potestate totam religionem hujusmodi ordinis regendi, moderandi, et gubernandi, ac aliis facultatibus, necnon omnibus et singulis privilegiis, honoribus, oneribus, praeminentiis, et emolumentis, quibus quomodolibet competentibus, dummodo decretis concilii Tridentini non adversentur, auct. apost. ten. praes. creamus, constituimus, et deputamus, teque vicarium generalem ipsius ordinis, atque praesidentem futuri capituli generalis, ut praefertur, eligimus et nominamus, ac electum et constitutum esse, sicque ab omnibus censeri et interpretari debere decernimus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae et sub arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis provincialibus, guardianis, et aliis quocumque nomine nuncupatis dicti ordinis officialibus ministris, necnon illius fratribus et personis, ut tibi nunc uti vicario generali, et tunc uti praesidenti hujusmodi in omnibus, quae eis ordinandae, demandandae, et exequendae duxeris, humiliter pareant et obediant, tuaque jussa et mandata reverenter, suscipiant, ac efficaciter exequantur, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus eam, auctore Domino usque ad satisfactionem dignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die v. Julii Pontificatus nostri anno II.

XXIX.

Fit Episcopus Bosanensis. Ex reg. Secr. Brev. in Bullario hujus anni pag. 8.

Dilecto filio Josepho Angles electo Bosanen. salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus Nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes soliciti corde reddimur, et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendi tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere, et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium, et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his, per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attentari. Postmodum vero Ecclesiae Bosanen. cui bon. mem. episcopus, dum viveret, praesideret, per obitum dicti episcopi, qui extra romanam curiam debitum naturae persoluit pastoris solatio destituta, Nos vacatione hujusmodi fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem dictae Ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter Nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incomodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. et theologiae professorem, in presbyteratus ordine constitutum, vitae munditia ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque doctrinae et virtutum donis, prout fide dignis testimoniis accepimus multipliciter insignitum, direximus oculos mentis nostrae, quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, praedictae ecclesiae de dictorum fratrum consilio apostolica auctoritate providimus teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem dictae ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino, actos suos praedictam ecclesiam sub tuo felice regimine regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in iisdem spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus regiminis, et administrationis hujusmodi prompta devotione suscipiens, illa sic exercere studeas solicite, fideliter, et prudenter, quod dicta ecclesia gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissa, tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Sedis Apostolicae benedictionem, et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca dilectis filiis capitulo et vassallis dictae ecclesiae, et clero et populo civitatis et dioecesis Bosanen. per apo-

stolica scripta mandamus, quatenus capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitam, devotam, ac clerus te pro nostra et sedis praedictae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procuret; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam, necnon consueta servitia, et jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam, sive poenam quam respective in rebelles rite tuleris seu statueris, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque et hortamur attente charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum, cum ipse etiam Sardiniae Rex existat, ac venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Calaritan. ipsi archiepiscopo per apostolica scripta mandantes, quatenus te et praedictam Ecclesiam dicti archiepiscopi suffraganeam tuae curae commissam habentes, pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis juribus vestris, sic vos benigni favoris auxilio prosequantur, quod tu eorum suffultus praesidio in commisso ejusdem ecclesiae regimine possis Deo propitio prosperari, ac eidem Philippo Regi ac Deo perennis vitae praemium, et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque archiepiscopus divinam misericordiam ac nostram et ejusdem Sedis benedictionem et gratiam valeat uberius promereri.

Datum Romae apud S. Petrum calendis Octobris Pontificatus nostri an. II.

XXX.

Propertius Resta praeficitur episcopus ecclesiarum Geruntin. et Cariaten. Ex eodem Bull. hujus anni pag. 192.

Dilecto filio Propertio Restae electo Geruntin. et Cariaten. salutem et apost. benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus Nobis ex altocommissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes soliciti corde reddimur, et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant, non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere, et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium, et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his, per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attentari. Postmodum vero ecclesiis Geruntin. et Cariaten. invicem perpetuo aut alias unitis, quibus

bo. me. Caesar Episcopus Geruntin. et Cariateu. dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Caesaris Episcopi, qui extra romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destitutis, Nos vacatione hujusmodi fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem dictarum ecclesiarum celerem et felicem, de quibus nullus praeter Nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesiae ipsae longae vacationis exponantur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eisdem ecclesiis personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem; demum ad te ordinis fratrum minorum Conventualium nuncupatorum, et theologiae professorem, in presbyteratus ordine constitutum, vitae munditia, ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et temporalibus circumspectum, aliisque virtutum donis, prout fide dignorum testimoniis accepimus multipliciter insignitum, direximus oculos mentis nostrae, quibus omnibus debita meditatione pensatis te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, praedictis ecclesiis de dictorum fratrum consilio apostolica auctoritate providimus, teque illis in episcopum praeficimus et pastorem, curam, et administrationem dictarum ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino, actus tuos praedictas ecclesias sub tuo felici regimine regentur utiliter, et prospere dirigentur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus regiminis et administrationis hujusmodi prompta devotione suscipiens, illa sic exercere studeas solicite, fideliter, et prudenter, quod dictae ecclesiae gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeant se commissas, tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Sedis Apostolicae benedictionem, et gratiam exhinde uberius consequi merearis. Quocirca dilectis filiis capitulo et vassallis dictarum ecclesiarum ac clero et populo civitatum et dioecesum Geruntin. et Cariateu. per apostolica scripta mandamus, quatenus capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ac clerus te pro nostra et sedis praedictae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem, et pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsis in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam necnon consueta servitia, et jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam, sive poenam quam respective in rebelles rite tuleris, seu statueris, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque, et hortamur attente charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum, cum ipse etiam utriusque Siciliae Rex existat, ac venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum S. Severinae, ipsi archiepiscopo per apostolica scripta mandantes, quatenus te et

praedictas ecclesias dicti archiepiscopi suffraganeas tuae curae commissas habentes, pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis juribus vestris, sic vos benigni favoris auxilio prosequantur, quod tu eorum fultus praesidio in commisso tibi earumdem ecclesiarum regimine possis Deo propitio prosperari, ac eidem Philippo Regi ac Deo perennis vitae praemium et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque Archiepiscopus proinde divinam misericordiam, ac nostram et ejusdem Sedis benedictionem et gratiam valeat uberius promereri.

Datum Romae apud S. Petrum nonis Novembris Pontificatus nostri anno II.

XXXI.

Pro fratre Philippo Diez. Ex reg. Secret. Brev. in mense Septembri pag. 567.

Dilecto filio Philippo Diez ordinis minorum de observantia professori salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus ac litterarum praecipue sacrarum scientia et studium, aliaque laudabilia merita super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio Nos inducunt, ut tuis honestis votis annuentes, istius religiosae domus S. Francisci Salamantin. in qua degis ac tuorum quoque propinquorum egestati benigne consulamus. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod alias divini nominis et christifidelium spiritualem consolationem quosdam libros sacrarum concionum seu praedicationum verbi Dei, quadragesimalem, vel adventualem, dominicalem, et sanctoralem, seu super diebus festis sanctorum nuncupatos a te compositos, et licentia tuorum superiorum imprimi, edi, et publice venales exponi curasti, ex quibus profecta et recepta emolumenta dilectis filiis guardiano et fratribus domus istius, in qua degis, quibusdam tuis nepotibus aut consanguineis pauperibus ad eorum paupertatem sublevandam de licentia Sedis Apostolicae tibi per fel. rec. Gregorii PP. XIII. praedecessorem nostrum vivae vocis oraculo seu alias concessa pie erogasti. Cum autem sicut eadem subjungebat expositio, tu libros praefatos iterum imprimi facere cogites et similiter ad communem piorum et studiosorum usum et commodum librum alium locorum communium inscriptum, et alia forsan opera a te composita aut componenda propediem, et plura post hac publicare, Deo adjuvante, edere, et impr mi curare intendas, nobis humiliter supplicare fecisti, ut quidquid inde utilitatis aut lucri proventurum est, id omne in similes usus et pia opera concedere et assignare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque tuam honestam industriam et pium studium plurimum in Domino commendantes, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut omnia et quaecumque usque ad quamcumque summam ascendentia pecunias, lucrum, et emolumenta ex impressione et venditione dictorum et aliorum quorumcumque voluminum, operum, et librorum a te compositorum, aut posthac componendorum, quos et quae jam edidisti, aut in posterum edes, a typographis, bibliopolis sive aliis quibuslibet personis quocumque modo vel occasione jam acquisita, aut posthac proventura, de licentia tuorum superiorum per-

cipere, exigere, et levare, ac in communes dictae domus utilitates, usus et commoda, necnon ad succurrendum paupertati dictorum nepotum, consanguineorum, vel affinium tuorum convertere, assignare, distribuere, et erogare absque alicujus censurae vel poenae ecclesiasticae, seu alicujus culpae, vel reatus incursu valeas, plenam et omnimodam facultatem et licentiam auct. apost. ten. praes. concedimus et indulgemus. Decernentes te aut quemque praedictorum super praemissis quovis praetextu aut quaesito colore vel ingenio, etiam ex eo, quod redituum hujusmodi perceptio professioni et voto contraria dici aut censeri possit, vel alias per quoscumque quavis auctoritate seu dignitate fungentes molestari, perturbari, vel inquietari numquam posse aut debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus etc. Volumus autem quod dilectus filius modernus et pro tempore futurus dictae domus guardianus post tuum obitum, libros, volumina, et opera praedicta imprimi et publicare facere, et ex illis, vel ex jam editis provenientia, et proventura emolumenta praefata percipere et pariter exigere, ac in praedictos communes dictae domus usus et utilitatem, ut praefertur, erogare, ac distribuere, caeteraque praemissa omnia et quaecumque adimplere, juxta formam et tenorem supradictos, libere et licite valeat in omnibus et per omnia, perinde ac si a te ipso eadem illa omnia et singula debitae executioni demandarentur.

Datum Romae apud S. Marcum die vi. Septembris Pontificatus nostri anno ii.

XXXII.

Indulget Propertio Episcopo Geruntinen. et Cariaten. ut possit consecrare ecclesiam S. Francisci minorum conventualium de Talleacotio. Ex arch. SS. XII. Apost. de Urbe.

Venerabili fratri Propertio Episcopo Geruntin. et Cariaten.

Devotionis tuae sinceritas promeretur, ut quae a Nobis suppliciter petis, tibi affectu benevolo concedamus. Cum itaque, sicut exponi nobis nuper fecisti, ecclesia S. Francisci loci de Talleacotio, ubi natus es, ordinis fratrum minorum conventualium nuncupatorum Marsicanae dioecesis consecrata hactenus non fuerit, tuis hac in parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ecclesiam praefatam consecrandi, et primam inibi ordinationem semel dumtaxat celebrandi, et ut consecratio hujusmodi legitima existat, nonnullas Sanctorum seu Sanctarum tibi gratiose donandas reliquias, ex Urbe deportandi, illaque cum debitis honore et reverentia in dicta ecclesia, ac in quadam Cruce, quam tecum devotionis causa geris, collocandi facultatem per praesentes concedimus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiii. Decembris Pontificatus nostri anno ii.

XXXIII.

Statuit diem festivitatis S. Antonii Patavini. Ex Bullario Laertii Cherubini tom. 2. pag. 390.

Ad perpetuam rei memoriam.

Immensa divinae sapientiae altitudo, cujus inscrutabilia sunt judicia, dignata est olim per Prophetam revelare, Deum in sanctis suis laudari velle. Quod Nos ad eorumdem sanctorum memoriam debita solemnitate celebrandam eo magis invitat, quia dum eorum merita recensentur, virtutum quoque exempla fidelibus imitanda proponantur, ut per ea fideles ipsi gradientes, ad coelestem beatitudinem eorundem sanctorum suffragiis adjuti facilius valeant pervenire.

§. 1. Quapropter Nos considerantes, quod inter multos sanctitate et doctrina praeclaros viros, qui S. Francisci vestigia sequti fuerint, B. Antonii Ulyssiponen. Patavinus nuncupatus, eximiae sanctitatis vir fuit, qui ab ineunte aetate mundum ejusque illecebras velut venenum aspidum fugiens, Deo se dicavit, ipsiusque Seraphici Francisci institutum, magna cum spe desiderioque martyrii religiose est complexus, in suscepta vitae disciplina progrediens, cooperante Domino, mundi, carnis, et diabuli humani generis hostium egregiis dimicationibus triumphum reportavit, divina praeterea imbutus sapientia, multisque variisque provinciis peragratis, maxima hominum ab eo, qui lux, via, veritas, et vita est, aberrantium copia praeclaris christianorum virtutum exemplis illustravit, ac verbi Dei, quod velut imber de coelo descendens, terramque inebrians facit eam germinare, pia foecundaque praedicatione mentes hominum salutaribus praeceptis foecundavit, multosque ad catholicae doctrinae lucem verbis, et consequentibus signis perduxit, ac demum diversis in vita, et post obitum miraculis clarus, ad permanentem illam, nullique mutationi obnoxiam patriam, recto atque incitato cursu evolavit, ubi in aeterni coelestis regni mansionibus beatus perfruitur.

§. 2. Ipse autem a fel. record. Gregorio Papa IX. praedecessore nostro sanctorum, quos catholica veneratur Ecclesia catalogo solemni ritu adscriptus, in coelo pro ipsa semper Ecclesia apud Deum, una cum omnibus sanctis ejusdem gloriae consortibus assidue et pro peccatoribus intercedit.

§. 3. Quare, ut ejusdem beati viri, qui ordinis ipsius S. Francisci professor fuit, memoria a fidelibus crebrius recolatur, celebrique totius Ecclesiae veneratione celebretur, Nos et divinis illius meritis adducti, et praecipue erga illum nostrae devotionis studio excitati, hac praesenti constitutione praecipimus et mandamus, ut ejusdem B. Antonii de Padua nuncupati confessoris gloriosi dies festus idibus Junii, quo die ex hoc collacrymabili saeculo ad coelestem patriam abiit, solemniter peragatur, ac sub duplici minore et proprio officio, atque ubi propria non erunt, de communi Confessorum non Pontificum posthac perpetuis futuris temporibus in omnibus universi orbis Ecclesiis rite celebretur, et in calendario cum duplici festi adjectione inscribatur; sicubi vero dies supradictus ex fidelium devotione seu consuetudine, aut praecepto, vel indulto

apostolico majori observantia, etiam si duplici majoris in die festi, et duplici minoris per octavam, ut apud fratres ejusdem ordinis S. Francisci celebrari consueverint, id omnino ibidem retineatur.

§. 4. Praecipientes omnibus et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ecclesiarum Praesulibus, ac quorumcumque regularium locorum, et ordinum superioribus, quatenus in suis quisque Ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus, ac regularibus locis praesentes litteras solemniter publicari, et ab omnibus ecclesiasticis personis tam saecularibus quam quorumvis ordinum regularium secundum ritum S. R. E. officium persolventibus, omnino observari faciant, si in Breviarii et missalis reformationibus nuper editis praefata solemnitas apposita non fuerit.

§. 5. Quoniam autem difficile etc.

§. 6. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum XIX. calendas Febrarii Pontificatus nostri an. I.

XXXIV.

Ne fratres observantes cohibeantur ad solvenda vectigalia. Ex regesto Secret. Brevium in mense Aprili pag. 230.

Venerabili fratri Dominico Archiepiscopo et Vicelegato Avenionen.

Delatum est Nobis fratres minores observantiae istius conventus Avenionensis magnam a publicanis vexationem pati in eo, quod de victualibus, et aliis rebus eleemosynae nomine collectis, vectigal solvere aspere et indigne aguntur. Quae res cum sacris canonibus, et immunitati ecclesiasticae, ac praecipue illorum privilegiis, qui vere mendicantes sunt vel maxime adversetur, non potuit nobis non valde displicere. Volumus igitur, ut fraternitas tua efficiat, ut posthac dicti fratres ab hujusmodi oneribus, vexationibus, et molestiis omnino tuti et liberi sint.

Datum Romae apud S. Petrum die X. Aprilis Pontificatus nostri an. I.

XXXV.

Pro conventu Genuae. Ex Bullario Secret. Brev. tom. 1. pag. 76.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus S. Marthae Januen. ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrae religionis, sub qua in humilitatis spiritu devotum et sedulum Altissimo famulatum impenditis, securitas promeretur, ut petitionibus vestris, per quam etiam commoditatibus vestris consulitur, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Quare pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum fel. rec. Paulo PP. III. praedecessore nostro pro parte tunc existentium ducis et gubernatorum reipublicae Januen. exposito, quod cum alias domus S. Francisci etiam Januen. ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. juxta fortalitium, castellettum nuncupatum, olim in dicta civitate situm, et tunc

dirutum, jure illius pertinentiis reclusa militibus pro tempore ibidem degentibus opprimeretur. At tunc duce et gubernatore ejusdem civitatis hoc procurantibus, fratres dictae domus, de superiorum suorum ejusdem ordinis licentia, ad domum sive ecclesiam S. Marthae similiter Januen. se transtulissent, certoque postmodum in ipsa civitate illius obsidionis tempore domus B. Mariae Annuntiatae ejusdem ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. muris dictae civitatis contigua, pro dictorum murorum validiori munitione diruta fuisset, dux et gubernatores praefati, ne dicti fratres de observantia, ad quos populus dictae civitatis magnum gerebant devotionis affectum, propter carentiam loci ab eadem civitate recedere cogerentur, et populi hujusmodi devotio ac divinus cultus in eadem civitate minueretur, pie ac devote procuraverant et obtinuerant, quod omnes fratres conventuales in eadem domo S. Francisci, ad quam, erecto dicto fortalitio, eorum aliqui resideant, et reliqui in dicta domo seu ecclesia S. Marthae nuncupata extant, de caetero remanere, ut praefatam domum seu ecclesiam S. Marthae eisdem fratribus de observantia liberam dimittere, postquam fratres de observantia ad domum sive ecclesiam S. Marthae praefatam cum omnibus et singulis bonis, juribus et legatis eis jure dictae domui B. M. Annuntiatae a christifidelibus erogatis transire et in ea remanere possent et debeant, prout transierunt et remanserunt, ordinarii loci et superiori dicti ordinis ad praemissa accedente consensu, et reservato dicti praedecessoris et Sedis Apostolicae beneplacito. Idem praedecessor ducis et gubernatoris praefatorum supplicationibus inclinatus, tunc vicario archiepiscopi Januen. dedit in mandatis, quatenus vocatis conventualibus et de observantia fratribus praedictis et aliis qui forent evocandi, de praemissis omnibus et singulis sibi expositis auctoritate apostolica per seipsum diligenter informaret, et si per informationem hujusmodi ita esse reperiret, praemissa omnia et singula approbaret et confirmaret, ac illis perpetuae firmitatis robur adjiceret, omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui intervenissent, in eisdem suppleret, necnon eisdem fratribus de observantia, ut dictam domum S. Marthae, loco praedicto domus Annuntiatae dirutae hujusmodi, cum omnibus et singulis juribus, pertinentiis, adjacentiis, bonis relictis et legatis perpetuo inhabitare, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, ac invocatione ejusdem B. M. Annuntiatae, quibus ante dirutionem dictae domus Annuntiatae utebantur, potiebantur, et gaudebant, pariformiter, et absque ulla differentia de caetero perpetuo uti, potiri, et gaudere libere et licite possent concedere et indulgere, apostolica auctoritate curaret, prout in ipsius praedecessoris litteris desuper confectis plenius continetur. Cum autem eadem petitio subjungebat, litteras praedictas a pro tempore existenti vicario Januen. cui directae fuerant, executioni demandatas fuisse, in praesentiarum non reperiantur, licet ob longam et pacificam dictorum fratrum ejusdem conventus S. Marthae quadraginta septem annorum et ultra spatio durante possessionem, dictas litteras debitae executioni demandatas, ac deinde cum aliis scripturis bellorum et pestis temporibus deperditas fuisse praesumatur, quare nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus vobis in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur commoditatibus vestris, quantum in nobis est, consulere volentes, vos et vestrum quem-

libet singularem, quam dictae domus S. Marthae persooas a quibusvis excommuuicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus ioclinati, vobis ut dicti praedecessoris litterae ac possessio domus seu ecclesia S. Marthae hujusmodi cum omuibus et siugulis ad illam spectantibus, vobis tuuc existeutibus duce ac gubernatoribus Joaueu. tradita, hactenosque per vos pacifice continuata, periude valeat, ac si litterae a dicto vicario exequutae, ac traditio et possessio hojusmodi, necnou inde sequnta quaecumque, prout in eisdem litteris contiuebatur, approbata et coufirmata fuissent, apost. auct. ten. praes. coucedimus et iudulgemus. Deceroentes ex nuoc irritum et iuane, quidquid etc. Non obstautibus etc. Nulli ergo omino etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum caleudis Jaunarii auuo I.

XXXVI.

Ut minores observantes licite retineant loca ab eis possessa. Ex Francisco Gonzaga de origine Seraphici Ordinis pag. 1362.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut Nobis uuper exposuisti, tu anuis proxime lapsis pro iujuncto tibi miuisteriatus tui generalis ordiuis fratrum minorum de observantia onere, omnes et singulas praefati ordinis proviucias, tam iu Italia, quam extra eam existentes visitaveris, multasqoe domus, ecclesias, et loca ordiuis praefati ab eorum ministris, custodibus, seu guardiauus et fratribus retineri repereris, absqoe eo quod ipsi ministri, seu guardiani et fratres de aliqoo ecclesiarum, et domorum, ac locorum hujusmodi titulo, seu concessione a Sede Apostolica, vel alia legitime habita, et facta docere valeaot, cum dictae concessiones, aut nou obtentae, vel nou expeditae, seu dictarum domorum mioistrorum, guardianorum, seu custodum incoria, sive etiam ob bella, ant depopulationes, vel alios casos sinistros, ant alias deperditae siut, quamvis domus, et ecclesiae, ac loca praedicta ab eorum ministris, sive guardianis, et fratribus bona fide, ac pacifice et quiete possideantur, tuque nobis humiliter supplicasti, ut pro potiori dictorum miuistrorum, custodum, sive guardianorum, et fratrum conscientiarum securitate et cautela, tibi, dictisque miuistris, custodibus, sive guardianis, et fratribus in praemissis de aliquo opportuno nostro, et Sedis Apostolicae remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pro nostri pastoralis officii monere, tuisque supplicationibus in hac parte incliuati, iu praemissis opportune, dictarumque domorum et ecclesiarum, ac locorum qualitates et qoantitates; aliaque necessaria exprimenda, hic pro plene, et sufficieuter expressis habere volentes, teque, ac dictos ministros, guardianos, seu custodes, et fratres a quibusvis excommunicatiouis etc. censentes, tibique ac caeteris miuistris, custodibus, seu guardiauis, et fratribus dicti ordinis, nunc et pro tempore existeutibus, nt quaecumque loca, domus, et ecclesias, qnae vos in hanc nsque diem iu quibuscumque mundi partibus, ac etiam Insulis et Regnis uovis Indiarum Occidentalium et Orientalium quomodolibet, ea

videlicet, quae a decem annis supra; quae vero a decem annis citra de consensu ordinariorum possidetis, libere et licite, ac absque aliquo conscientiarum vestrarum scrupulo, aut censurarum, et poenarum incursu, etiamsi de illorum concessionibus a Sede Apostolica, vel alias quomodolibet factis, ac fieri necessariis nullibi, ut praemittitur, appareat, perpetuo retinere, et possidere, ac in eorum quieta et pacifica possessione remanere, illamque in omnibus, et per omnia, perinde ac si antequam loca, domos, et ecclesias hujusmodi, et eorum singula recepta fuisseut, de illis recipiendis competens, et sufficiens facultas a Sede Apostolica, et locorum ordinariis, in quorum civitatibus et dioecesibus consistunt, obtenta fuissent, continuare valeatis, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus. Necnon ecclesiis, domibus, et locis praedictis, illorumque ministris et guardianis, seu custodibus, et fratribus, nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, antelationibus, praeeminentiis, indultis, favoribus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, et peccatorum remissionibus, et relaxationibus, quibus aliae dicti ordinis ecclesiae, domus et loca, quae a principio de ejusdem Sedis Apostolicae, et ordinariorum locorum licentia recepta, et aedificata fuerunt, eorumque ministri, guardiani, seu custodes et fratres, ac aliae personae tam de jure, usu, consuetudine, privilegio, et concessione, quam alias quomodolibet in genere vel in specie utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, ipsi similiter, ac pariformiter, et sine ulla penitus differentia uti, potiri, et gaudere libere et licite valeant, indulgemus. Decernentes insuper te, ac ministros, custodes, seu guardianos, et fratres ecclesiarum domorum et locorum praedictorum de cetero ad docendum de facultate, sive licentia recipiendi ecclesias, domos, et loca praedicta ab eadem sede et locorum ordinariis obtenta, alias quam per praesentium ostensionem, quas ubique tam in judicio, quam extra, praeterquamquod ad docendum de dicto consensu ordinariorum, in his, quae possidetis a decem annis citra, sufficere volumus, pro sufficienti, et plena probatione omnium, et quorumcumque necessario probandorum, ad effectum consequendi praemissa, hisque omnibus plenarie fruendi, minime teneri, nec obligatos existere. Sicque per quoscumque judices etc. irritum et inane decernimus: Non obstantibus praemissis etc. Volumus autem quod praesentium transumptis etc. in dicto opere, ac separatim imprimendis adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent.

Datum Romae apud S. Marcum die III. Septembris Pontificatus nostri anno II.

XXXVII.

Quaedam vetat monialibus monasterii de Albacete. Ex regest. Secret. Brev. in mense Julio pag. 85.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii monialium B. Mariae de Incarnatione ordinis tertiae regulae S. Francisci oppidi de Albacete Carthaginen. dioecesis salutem et apostolicam benedictionem.

Ut nulla re, quae a divino religionis cultu vos avocet praepeditae, secundum vestri ordinis regularia instituta tranquillis mentibus grata servitutis obsequia Deo praestare possitis, nostram opem et operam libenter adhibemus. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecistis, licet juxta apostolicas, et vestri ordinis regulares constitutiones apostolica auctoritate confirmatas, in conventibus monialium ordinis hujusmodi mulieres saeculares ad inhabitandum in eis per longum tempus recipi, vel in eis diu retineri nequeant: tamen nonnullae mulieres saeculares, etiam forsan de nobili genere procreatae dictarum partium, seu earum aliqua praetextu, quod a fel. rec. Gregorii XIII. seu aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, vel Sede Apostolica aliquibus de causis tunc expressis, apostolica sibi auctoritate licentiam concedi obtinuerint, et quod de consensu tunc existentium abbatissae, monialium, et conventus vestri monasterii, ac de mandato etiam tunc vestri ordinis superioris provincialis, cui supradictum vestrum monasterium subjectum existere dignoscitur, ad commorandum, quoad viverent, in eo sub certis tunc expressis conditionibus ipsum monasterium ingressae sint, et quod exinde expelli ideo non possint, nec removere, suis indebitis modis, et proterva immodestia adeo clausuram, et observantiam regulares dicti monasterii vestramque spiritualem quietem pertubarunt, et inquietarunt, perturbantque, et hactenus inquietant, quod absque publico scandalo dictae mulieres saeculares in eodem vestro monasterio vitam ducere ulterius tollerari non possint, ultra quod honestati, et bonae famae vestrae apud personas saeculares, occasione earumdem mulierum plurimum offenditur, et multo magis in futurum praejudicaretur, si aliqua ex dictis mulieribus saecularibus intra dictum monasterium diutius commorare permitteretur. Nos praemissis perturbationibus, et incommodis obviare, vestraeque spirituali quieti circa praemissa paterno affectu opportune consulere cupientes, supplicationibus pro parte vestra nobis desuper humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas licentias seu facultates remanendi ad longum tempus intra dictum vestrum monasterium, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, quibusvis mulieribus saecularibus cujuscumque status vel conditionis fuerint per supradictum aut alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, vel dictam sedem aut ejus legatos, seu alias hactenus quomodolibet concessas revocantes, cassantes, et anullantes, nullasque irritas, inanes, cassas, et viribus evacuatas esse: decernentes, vobis dictique vestri monasterii abbatissae et monialibus pro tempore existentibus tenore praesentium districtius, et sub excommunicationis sententia per vos et vestrum quamlibet eo ipso incurrenda prohibemus, et expresse interdicimus, ne ex nunc de

caetero perpetuis futuris temporibus mulieres saeculares, quantumcumque nobiles, vel alias qualificatas ad habitandum diu intra dictum vestrum monasterium, etiam de mandato ordinis hujusmodi superiorum, aut dicti conventus consensu, vel alias quavis occasione vel causa quoquomodo recipere aut in eo retinere vel pernoctare audeatis, seu praesumatis, necnon sub indignationis nostrae, aliisque sententiis, censuris, et poenis per quemlibet ex infrascriptis judicibus infligendis eo ipso incurrendis quibusvis superioribus et praelatis ordinis et monasterii hujusmodi apostolica auctoritate mandamus, quatenus statim visis praesentibus, omnes et singulas mulieres saeculares ad dictum monasterium, ut praefertur, admissas et in eo quomodolibet commorantes, auctoritate nostra moneant, ut exinde quamprimum exeant, invitasque et renitentes seu contradicentes, quacumque mora et dilatione cessantibus, ab eodem monasterio incontinenti omnino expellere debeant. Quocirca venerab. fratri Episcopo, seu officiali Carthaginen. necnon dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte vestra fuerint desuper requisiti solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula in praedicto vestro monasterio perpetuo inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda foret, ipsorumque tenores praesentium etiam pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Per praesentes autem, facultatibus recipiendi in monasterio hujusmodi puellas virgines, et in eo honestae educationis causa, prout antea retinendi, derogare non intendimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Julii Pontificatus nostri anno ii.

XXXVIII.

Confirmat quaedam statuta pro bono regimine Monasterii de Sacaven. Ex reg. Secret. Brev. in mense Augusto pag. 354.

Venerabili fratri Archiepiscopo Ulixbonen. seu dilecto filio ejus Officiali.

Exposuit Nobis dilectus filius Michael de Moura charissimi in Christo filii Philippi Portugalliae et Algarbiorum Regis rerum status consiliarius, quod postquam alias ipse, et dilecta in Christo filia Beatrix de Costa ejus uxor monasterium monialium juxta ecclesiam B. Mariae de Martyribus oppidi de Sacaven Ulixbonen. dioecesis notabili eorum impensa erigi, et sub regula S. Clarae institui curaverant, ac rebus ad usum monialium in dicto monasterio introductarum, ac divinum cultum necessariis dotaverant, seu erigi et institui curare et dotare coeperant, cupiens idem Michael salubri directioni ipsius monasterii consulere, nonnulla statuta, et ordinationes condidit, et ordinavit, et inter alia, quod nulla mulier ex Indacis, vel Mauris originem trahens, in ipso monasterio in monialem recipi

vel admitti posset, quae etiam apostolica auctoritate approbari et confirmari obtinuit, prout in eisdem statutis, et ordinationibus, ac litteris apostolicis desuper expeditis dicitur contineri. Et sicut eadem subjungebat expositio, dictus Michael praefati monasterii fundator et patronus experientia cognovit, quod pro feliciori directione ipsius monasterii expedit statutum praedictum aliquando pro temporis, ac personarum qualitate moderari, seu relaxari, vel super illo dispensari: quare pro parte dicti Michaelis fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos certam de praemissis notitiam non habentes, statuti praefati tenores praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater Archiepiscope, seu discretioni tuae fili officialis auct. apost. ten. praes. committimus et mandamus, quatenus de praemissis summarie, et extrajudicialiter procedendo vos informetis, et si per informationem eamdem vobis constiterit ex relatione dicti statuti scandalum subsequi non posse, et pro parte dicti Michaelis fueritis requisiti, abbatissaeque et conventus dicti monasterii ad id accedat assensus, statutum praefatum juxta praedicti Michaelis requisitionem, nec alias relaxare et moderari, vel super illo dispensare, itaut liceat abbatissae et conventui praedictis illiusque superioribus, quascumque mulieres ex Judaeis, vel Mauris originem trahentes, alias tamen idoneas in moniales dicti monasterii, praevia relaxatione, seu dispensatione hujusmodi, recipere et admittere, et in ipso monasterio retinere auctoritate nostra curetis. Non obstantibus etc. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum die xx. Augusti Pontificatus nostri anno II.

XXXIX.

Providet necessitati monasterii S. Clarae Dertusin. Ex reg. Secret. Brev. in mense Septembri pag. 13.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii S. Clarae sub cura fratrum minorum de observantia Dertusen. salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecistis, quod alias postquam fel. rec. Gregorius PP. XIII. praedecessor noster provide considerans, multas moniales sub solemni religionis voto perpetuaque clausura degentes, ac pie et caste viventes in multis pro necessaria earum sustentatione egere, et hujusmodi personis, quibus hactenus nullo modo in necessariis provisum fuit, charitatem in primis exercendam esse, quae voluntaria paupertate suscepta, ab hominum commercio segregatae sub perpetua clausura degunt, Altissimo perpetuum exhibentes famulatum, et propterea eisdem personis, eorumque necessitatibus de sufficienti remedio in praemissis providere volens, tum ut ab eis omnia, quae sanctum ipsorum propositum impedire possent, removerentur, tum etiam ut eis in cultu Dei caste et religiose permanentibus, quae ad victum necessaria sunt, subministrarentur, hujusmodi monialibus, et earum quibuslibet sub solemni religionis voto,

et perpetuam clausura viventibus, ac in terris et locis, quorum pauperibus infrascriptae eleemosynae distribuuntur consistentes, dimidiam partem omnium et quarumcumque eleemosynarum et largitionum in pane, frumento, farina, vino, eduliis, seu aliis ad victum et vestitum pertinentibus, et alias quocumque nomine nuncupatas, quocumque tempore et modo per quoscumque distribui solitarum, dummodo non in certas personas, nec ad certos pios alios, quam victus et alimenta pauperum distribuerentur, applicaverat, et applicare debere voluerat, statuerat et ordinaverat, et ad hoc perficiendum et adimplendum locorum ordinarios, tamquam Sedis Apostolicae delegatos plurimis cum facultatibus deputaverat, idque eis commiserat prout in litteris apostolicis desuper sub datis tertio calend. Januarii, pontificatus ejusdem praedecessoris primo expeditis, tunc episcopus Dertusin. tamquam delegatus apostolicus, et dictarum litterarum apostolicarum in suis civitate et dioecesi executor, earumdem vigore praedicti praedecessoris intentione satisfacere desiderans, vestro monasterio vobisque sub voto solemni perpetuaque clausura degentibus, maxima paupertate et inopia laborantibus, ad sublevandam vestram inopiam, vestrisque necessitatibus subveniendis, dimidiam partem eleemosynarum et largitionum, ut supra qualificatarum, jam tunc erogatarum, et Christi pauperibus tam in dicta civitate Dertusen. quam multis aliis in locis ejusdem dioecesis existentibus, et tam ecclesiis et monasteriis quam hospitalibus, collegiis, confraternitatibus, et aliis locis piis etiam a privatis hominibus tam ecclesiasticis quam laicis erogari solitarum, et de caetero erogandarum perpetuo applicavit, et appropriavit, prout in ejus litteris desuper confectis, quarum tenores praesentibus habere volumus pro expressis plenius continetur. Cum autem firmiora sint ea, quae nostro et Sedis Apostolicae munimine roborantur, cupiatisque propterea applicationem et appropriationem praefatas pro firmiori illarum subsistentia nostro et dictae sedis patrocinio communiri, quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, vosque et vestrum quamlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon dictarum Gregorii praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, applicationem et appropriationem praefatas per dictum episcopum Dertusen. ut praemittitur factas, ac prout eas concernunt, omnia et singula in dictis litteris ejusdem episcopi Dertusen. contenta, et inde secuta et sequenda quaecumque apost. auct. ten. praes. perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xxvii. Septembris Pontificatus nostri anno ii.

XL.

Firmat concordiam. Ex reg. Secret. Brev. in mense Julio pag. 439.

Venerabili fratri Archiepiscopo Ulixbonen. et dilecto filio Cantori Ecclesiae Ulixbonen.

Pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis fratrum minorum de observantia provinciae Portugalliae, et Mariae de Mendoça nobilis mulieris Ulixbonen. fuit Nobis expositum, quod alias diversis litibus et causis coram certis judicibus saecularibus civitatis Ulixbonen. inter ipsam Mariam, et quondam Franciscum de Faro ejus virum ex una, et quondam etiam Georgium de Silva executorem testamenti, etiam quondam Emmanuelis de Lima Ulixbonen. de et super nonnullis bonis mobilibus et immobilibus per dictum Emmanuelem ad pias causas arbitrio dicti quondam Georgii, et aliorum forsan executorum relictis, et ab ipsis executoribus fabricae domus fratrum S. Francisci Ulixbonen. dictae provinciae, sub pactis et conditionibus tunc expressis applicatis, rebusque aliis in actis earum hujusmodi latius deductis indecisis penden. dicti Franciscus et Maria ac Georgius etiam nomine dictae domus, et ad ejus commodum ad evitandum litium anfractus, parcendumque laboribus et expensis, ad istam devenerunt concordiam et amicabilem compositionem, verisque litibus et causis, ut praefertur, pendentibus, ex utraque parte cederetur prout cessum fuit; dicti vero Franciscus et Maria tunc conjuges praedicto Georgio executori bis mille cruciatos monetae illarum partium in numerata pecunia ad commodum dicti conventus solutae deberent, quos cum effectu eidem Georgio persolverunt, et conventus praedictus cum effectu habuit, et quaedam aedes in civitate Elboren. consistentes ab eisdem Francisco et Maria conjugibus tunc possessae praedicto conventui, debita vero ad quae Joannes Nunez da Cunha et Hieronymus Corte Real dilecti filii haereditati dicti quondam Emmanuelis de Lima tenebantur, cum dictis Francisco et Maria tunc conjugibus libere remanerent, ac sub aliis pactis, conditionibus, declarationibus, submissionibus, renunciationibus, prout in publico instrumento desuper confecto per ministrum tunc existentem dictae provinciae, ac dilectos filios guardianum et conventum dictae domus pro eorum interesse postmodum comprobato et ratificato plenius continetur. Et sicut eadem expositio subjungebat, licet concordia et compositio hujusmodi in evidentem dicti conventus cesserint utilitatem, suumque plenum et integrum consequutae fuerint effectum, nihilominus Maria adhuc superstes et minister modernus dicti conventus cupientes concordiam et compositionem praefatas apostolicae firmitatis munimine roborari, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut concordiam et compositionem easdem approbare et confirmare, aliasque eis opportune desuper providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos de praemissis certam notitiam non habentes, concordiae et compositionis praedictarum et instrumentorum desuper confectorum tenore praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater Archiepiscope, et discretioni tuae fili Cantor, apost. auct. praes. ten. committimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, si vobis

conjunctim procedentibus constiterit, concordiam et compositionem praedictas in evidentem dicti conventus cessisse utilitatem, super conscientias vestras oneramus, concordiam et compositionem hujusmodi, ac prout illas concernunt, omnia et singula in dictis instrumentis contenta et inde sequuta quicumque, dicta apostolica auctoritate approbare et confirmare, omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerunt, in eisdem supplere, et per eos quos illa quomodolibet concernunt perpetuo et inviolabiliter observari debere, sicque in praemissis ab omnibus censeri. Ac ita per quoscumque judices etc. irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernere auctoritate praefata curetis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xiv. Julii Pontificatus nostri anno ii.

XLI.

Componit discordiam. Ex reg. Secret. Brev. in mense Augusto pag. 398.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter caetera cordis nostri desiderabilia id intensis exoptamus affectibus, ut inter cunctos christifideles, praecisis quarumlibet discordiarum materiis, charitatem concordia nutriat, et pacem charitatis firmet amoenitas, quo etiam desiderio nuper venerab. frater Caesar Archiepiscopus Capuanus, ac noster et Sedis Apostolicae apud dominium Venetorum Nuncius accensus, et audiens discordias inter dilectos filios guardianum et fratres domus S. Francisci a Vinea Venetiarum ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. ex una, et priorem et confratres archiconfraternitatis sub invocatione B. Mariae Virginis ad cappellam Federici Carelli in claustris dictae domus canonice institutae partibus. ex altera tam ratione dictae cappellae, quam eleemosynarum et alia forsan causa, seu occasione exortas fuisse in grave animarum suarum periculum, divini cultus et devotionis dictorum confratrum diminutionem, et quamplurium virginum civitatis Venetiarum, quae ex eleemosynis dictae confraternitatis nubebant praejudicium, et hujusmodi incommodis obviare cupiens, de ordine nostro, auditis hinc inde dictis partibus, et forma judicii legitime servata pronunciavit, et declaravit, nullis unquam temporibus licere guardiano et fratribus, ac priori et confratribus praedictis quavis occasione, vel causa amovere dictam cappellam a loco suo, ubi nunc sita est. Praeterea fratres ipsos teneri celebrare unam missam de mane in dicta cappella ad instantiam ipsorum confratrum, ac quaelibet ultima Dominica cujusvis mensis ipsos fratres obligari ad cantandam missam solemnem, cum organis ad majus altare cum cereis ipsius archiconfraternitatis, et dicta die post vesperas ad faciendam processionem, prout solitum erat cum ipsis cereis, et die sequenti de mane, si non sit festum, et in tali casu de mane ad cantandum unam missam majorem defunctorum in dicta cappella in suffragium animarum confratrum dictae archiconfraternitatis, et pro hujusmodi officiis, processionibus, et missis ipsos confratres teneri loco eleemosynae ad solutionem quinquaginta ducatorum singulis annis

ad beneplacitum dictorum fratrum faciendam, aliaque decrevit, prout in sententia et declaratione dicti Caesaris Archiepiscopi, et nuncii desuper lata plenius continetur. Ut itaque sententia praedicta, ac omnia et singula in ea contenta, et secuta quaecumque firmius subsistant, providere volentes, ac tenorem dictae sententiae, et declarationis perinde ac si de verbo ad verbum vulgari idiomate insererentur praesentibus pro expresso habentes, supplicationibus guardiani et fratrum, necnon prioris et confratrum praedictorum hac in parte inclinati, sententiam et declarationem praefatas cum omnibus et singulis in ea contentis decretis, clausulis, et obligationibus, apostolica auctoritate ten. praes. approbamus et confirmamus, illique perpetuae, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Decernentes partes ipsas ab eadem sententia et declaratione nullo unquam tempore, quavis auctoritate, vel causa, seu praetextu resilire posse, sed ad totalem illius observationem teneri, et obligatos esse, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xxx. Augusti Pontificatus nostri anno II.

XLII.

Unit ecclesiam parochialem coenobio fratrum ordinis minorum conventualium Terrae Apignani. Ex reg. Secr. Brev. Bull. lib. III. pag. 41.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad exequendum pastoralis officii debitum paternis et sollicitis studiis vigilantes, circa statum religiosorum quorumcumque, praesertim ordinis fratrum minorum conventualium, quia Nos in minoribus constituti expresse professi fuimus, salubriter dirigendum, libenter intendimus et ut ipsorum religiosorum indemnitati consulatur, ac ipsi in suis necessitatibus subleventur, impendimus solicitudinis nostrae partes. Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus terrae Apignani dicti ordinis Asculan. dioecesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum dicta domus propter cujusdam fluminis eidem domui contigui inundationem, jam ab una parta collapsa sit et de proximo, nisi parochialis ecclesia S. Angeli ejusdem terrae, quam dilectus filius Romandinus Cancellarius rector dictae ecclesiae obtinet, dicta domui conjungatur, ruinam minetur, et propterea si dicta ecclesia eidem domui perpetuo uniretur, annecteretur, et incorporaretur, ex hoc profecto ipsorum fratrum indemnitati satis opportune consuleretur, nec propterea cura animarum dilectorum filiorum parochianorum dictae ecclesiae negligeretur, sed debite a fratribus dictae domus exerceretur, divinusque cultus in dicta ecclesia nullatenus minueretur, sed potius augeretur. Quare pro parte guardiani et fratrum praedictorum, asserentium fructus, reditus et proventus dictae ecclesiae et illi forsan annexorum triginta duorum ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dictam ecclesiam ei-

dem domui uuire aliasque iu praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secuodum existimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, guardianum et fratres praedictos a quibusvis etc. censentes, necnon dictae domus fructuum, redituum, et proventuum verum annuum valorem praesentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ecclesiam praedictam cum primum illam per cessum etiam ex causa permutationis vel decessum aut privationem, seu quamlibet aliam dimissionem vel amissionem dicti Romandini, aut alias quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam seu in quocumque ex mensibus tam nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservatis et reservandis, quorum ordinariis collatoribus etiam episcopis per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem hujusmodi ac sedem eamdem, et alias quomodolibet concessis et concedendis vacare contingerit, vel si ipse Romandinus ad id consenserit, ex nunc prout ex tunc, et e contra seu si illa jam ad praesens quovis modo et in quocumque mense, aut ex cujuscumque persona, seu per liberam dicti Romandini, vel cujusvis alterius de illa in romana curia, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem aut constitutionem fel. rec. Joannis PP. XXII. praedecessoris nostri, quae incipit Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. statuta Concilii ad sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia dispositioni apostolicae specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus, pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter jus quaesitum, cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus, et pertinentiis suis apost. auct. ten. praes. perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ita quod liceat etiam ex nunc guardiano et fratribus dictae domus praesentibus et futuris, sine praedicti Romandini quamdiu vixerit, aut donec unioni hujusmodi consenserit, praejudicio per se vel alium seu alios ipsius ecclesiae, ac fructum, redituum, proventuum, jurium, et pertinentiarum, aliorumque illius bonorum, supellectilium, rerum, et praediorum corporalem, realem, et actualem possessionem propria auctoritate apprehendere, et perpetuo retinere, ipsaque ecclesia tamquam eorum propria uti, illiusque usum et possessionem habere et penes se retinere, necnon in eventum vacationis, seu consensus hujusmodi eidem ecclesiae in divinis deservire et deserviri, illiusque parochianorum animarum curam per se ipsos, seu unum vel duos aut plures ex eis ad hoc munus idoneos, et ad id a provinciali pro tempore existente dicti ordinis illius provinciae ad ejus notum ponendos, et amovendos, etiam ex nunc exercere vel exerceri facere, fructusque et alia praemissa in suos et dictae domus communes usus, et utilitatem convertere, dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, ac etiam absque Romandini et parochianorum praedictorum consensu desuper habendo vel praestando, decernentes ex nunc domui ac guardiano et fratribus praedictis in dicta ecclesia, et ad illam plenum jus acquisitum existere, dictamque unionem

ex nunc suum plenarium effectum sortitam existere, ipsosque guardianum et fratres regulis de jure quaesito non tollendo ac de annali et triennali possessore illarumque privilegio gaudere et frui debere, necnon praesentes litteras, etiam ex eo quod loci ordinarius ac Romandinus et parochiani praefati, aut quicumque alii interesse habentes, vel putantes ad hoc vocati, et causa vel causae propter quam seu quas unio hujusmodi facta sit etiam coram ipso ordinario, etiam tamquam ab eadem sede delegato, aut alias quomodolibet examinatae et justificatae non fuerint, aut quavis vel quibusvis aliis causis ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad juris terminos reduci, seu in jus vel controversiam, etiam ex quocumque capite vel ratione revocari nullatenus posse, minusque contra praemissa quodvis juris vel gratiae remedium impetrari, aut etiam quomodolibet pro tempore etiam motu proprio concessis uti posse, causamque vel causas propter quam seu quas praemissa emanarunt etiam coram loci ordinario nequaquam verificari debere, minusque praesentes litteras ac unionem, annexionem, vel incorporationem hujusmodi sub concilii Tridentini decretis, aut quibusvis illarum aut similium vel dissimilium gratiarum seu unionum, annexionum, et incorporationum etiam effectum non sortitarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos ac nostros praedecessores et successores Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut sedem praedictam et per quascumque illius vel illarum constitutiones, seu cancellariae apostolicae regulas, etiam in crastinum assumptionis cujoslibet successoris nostri ad summi apostolatus apicem, aut alias quandocumque editas et edendas, seu alias quomodolibet et quavis auctoritate factis et faciendis minime unquam comprehendi, sed semper ab illis excepta esse, et fore, ac etiam ex nunc suum effectum ex integro sortitas esse et censeri, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas ac etiam sub posteriori data per ipsos guardianum et fratres eligenda de novo concessas esse, vimque validi et efficacis contractus inter eos, et sedem praedictam, ac praedictos nunc et pro tempore existentes ejusdem domus guardianum et fratres inibi, ac etiam cum juramento stipulati habere, suosque plenarios effectus sortiri debere, ac dictos nunc et pro tempore existentes ejusdem domus guardianum et fratres desuper per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, sicque per quoscumque judices etc. Quo circa venerab. fratri nostro Episcopo Montis Alti, et dilecto filio ejus vicario in spiritualibus generali, ac cuilibet ipsorum insolidum per apostolica scripta mandamus, quatenus guardianum et fratres praedictos ex nunc in corporalem, realem, et actualem possessionem ecclesiae S. Angeli et annexorum juriumque et pertinentiarum ac bonorum suorum praedictorum sine dicto praejudicio inducant auctoritate nostra et defendant ac manuteneant inductos, eisque de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis praedictis sine eodem praejudicio, ac etiam quoad emolumenta altaris et servitii ecclesiae ac exercitii curae animarum ex nunc integre responderi faciant realiter et cum affectu, contradictores quoslibet etc. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac Lateranen. concilii

novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis etc. Quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictae sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem et inde sequuta quaecumque, ad dictam ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum praejudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis etc. Volumus autem quod propter unionem, annexionem, et incorporationem praedictas dicta ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicandi non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam, expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, unionis, incorporationis, decreti, mandati, derogationis, et voluntatis infringere etc. si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Marcum IX. calend. Augusti Pontificatus nostri anno II.

XLIII.

Pro fratre Octavio a Parma. Ex regesto Secret. Brev. in mense Junio pag. 231.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut accepimus dilectus filius Octavius de Parma ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia professor non sine labore et studio opus Rosarium Domini Nostri Jesu Christi nuncupatum excogitavit, et adinvenerit, illudque ad publicam christianorum devotionem aere incisum imprimi facere intendat, sed vereatur, ne postmodum alii inde exemplum sumentes, illud sive in toto sive in parte imprimant, seu depingant in ipsius Octavii praejudicium; Nos ejusdem Octavii indemnitati prospicere volentes, ipsius supplicationibus inclinati, quibuscumque personis cujusvis status, gradus, conditionis, et ordinis existentibus sub excommunicationis et quingentorum scutorum poenis ipso facto incurrendis prohibemus, ne in tota Italia dictum opus imprimere, depingere in toto vel in parte, seu immutare, assimulare, vel effingere, aut alibi incisum, vel impressum, et depictum vendere aut venale habere vel tenere, per decem annos proximos sine dicti Octavii expressa et in scriptis licentia possint. Mandantes quibusvis locorum ordinariis in Italia constitutis, necnon gubernatoribus, officialibus, et aliis justitiae ministris, ut in praemissis assistant, contra inobedientes et contravenientes ad executionem censurarum et poenarum praedictarum, quacumque appellatione remota procedant, et quilibet eorum

procedat, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc. Volumus autem ut praesentium transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem ubique fides in judicio et extra adhibeatur, quatenus ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Junii Pontif. nostri anno ii.

XLIV.

Ut Sebastianus Episcopus S. Marthae in partibus Indiarum secum quosdam fratres minores de observantia retineat. Ex reg. Secret. Brev. in mense Julio pag. 513.

Venerabili fratri Sebastiano Episcopo S. Marthae in partibus Indiarum del Perù.

Constantis fidei ac sincerae devotionis affectus, quo Nos et Romanam prosequeris ecclesiam, promerentur, ut illa confirmemus et approbemus, quae tuis exigentibus meritis per Romanum Pontificem praedecessorem nostrum tibi ex speciali indulto concessa fuerunt. Siquidem exponi nobis nuper fecisti, quod tibi qui ordinis fratrum minorum de observantia professus existis, quique etiam tunc ecclesiam S. Marthae partium Indiarum del Perù ex dispensatione apostolica praeeras, per fel. rec. Gregorium PP. XIII. praedecessorem nostrum, ut asseris, indultum fuit, quod possis et tibi liceat retinere apud te quatuor fratres ordinis praefati ad nutum tuum eligendos et assumendos. Et propterea Nobis humiliter supplicasti, ut hujusmodi indulto pro illius firmiori subsistentia robur confirmationis apostolicae adjicere aliasque tibi providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hac in parte tuis supplicationibus inclinati, indultum praefatum a dicto praedecessore tibi concessum, ita ut illo libere uti possis, apost. auct. ten. praes. confirmamus et approbamus, illique inviolabilis firmitatis robur adjicimus, tibi insuper qui etiam ad id, ut etiam asseris, licentiam et facultatem a ministro generali ipsius ordinis reportavisti, quod apud te et tuam ecclesiam S. Marthae, quamdiu illi praefueris, quatuor fratres ordinis praefati fratrum minorum de observantia ad nutum tuum eligendos et assumendos retinere et habere possis et valeas, de novo etiam quatenus opus sit, concedimus et indulgemus. Et propterea te ac etiam fratres praedictos sic per te quandocumque eligendos et assumendos, et sic apud te pro tempore remanentes occasione hujusmodi indulti, seu praetextu apostasiae per ejusdem ordinis ministrum generalem nunc et pro tempore existentem, seu quoscumque alios quavis auctoritate fungentes molestari, inquietari, impediri, vel perturbari non posse, nec debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xviii. Julii Pontificatus nostri anno ii.

XLV.

Ut Isabella de Aragona ordinis S. Clarae se transferat ad collegium puellarum ordinis eremitarum S. Hieronymi pro ejus salubri directione. Ex reg. Secret. Brev. in mense Junio pag. 125.

Dilectae in Christo filiae Isabellae de Aragon moniali monasterii monialium S. Clarae oppidi civitatis nuncupati de Guadalajara Toletan. dioecesis olim professae et in monasterio monialium de Pietate ordinis, et oppidi praedictorum ad praesens abbatissae commoranti salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus unum collegium puellarum virginum sub invocatione B. Mariae de Remedio a bo. me. Petro Gonzalez de Mendoça episcopo Salamantin. fratre germano tuo, dum viveret, in oppido civitate nuncupato de Guadalajara Toletan. dioecesis nuper fundatum in eum statum, adjuvante Domino, perductum sit, ut ipsae puellae in eo introduci inibique jam commorari possint, et dilectus filius prior generalis ordinis fratrum eremitarum S. Hieronymi de observantia partium Hispaniarum tamquam dicti collegii a fundatore deputatus patronus valde cupiat, quod ob exemplaris vitae tuae frugem, religionis zelum, pietatis observantiam, ac in similibus locis gubernandis comprobatam experientiam, ad instruendas bonis sanctisque moribus puellas in praefato collegio pro tempore existentes ipsum collegium ingrediaris, in eoque ad effectum hujusmodi de caetero commoreris, cumque id tibi facere non liceat absque Sedis Apostolicae licentia speciali, dictus prior generalis fel. rec. Gregorio PP. XIII. praedecessori nostro humiliter supplicari fecit, quatenus salubri directioni et gubernio dicti collegii, illiusque prosperitati in ejus exordio ac aliis opportune provideret, dictusque Gregorius praedecessor per suas in forma brevis desuper confectas litteras, tibi ut assumpta tecum una alia moniali dicti ordinis ad te in gubernio collegii hujusmodi adjuvandum tibi idonea, et sufficienti benevisa tunm monasterium S. Clarae exire et ab honestis mulieribus propinquis tuis associata, ad collegium praefatum tecum dicta moniali transferre, in eoque pro illo bene feliciterque dirigendo et regendo, et pro instituendis ipsis puellis ad religiosam, piam, sinceramque inibi tenendam vitam et observandam, ad certum tunc expressum tempus stare et permanere libere et licite valeres, apostolica auctoritate licentiam concessit, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris plenius continetur. Quia tamen per errorem firmantes preces seu alias in praedictis litteris expressum non fuit, te olim de ejusdem sedis speciali licentia ex praefato monasterio S. Clarae, cujus eras professa, ad monasterium monialium de Pietate ordinis et oppidi praedictorum fuisse et esse translatam, in eoque tunc commorari, et illius abbatissam existere, de viribus dictarum litterarum propterea dubitantes, ejusdem Gregorii praedecessoris obitu etiam interim superveniente, licentia praefata uti ausa non fuisti. Verum cum sicut pro parte dicti prioris generalis nobis nuper expositum fuit, tu ad praemissa in praedicto puellarum collegio peragendum non solum habilis, idonea, et sufficiens existas, sed valde utilis et necessaria censearis, nos dicti prioris generalis supplicationibus nobis desu-

per humiliter porrectis inclinati, dictique novi collegii in ejus novo initio salubrem directionem et felicia incrementa paterno affectu totis viribus in Domino desiderantes, tibi ut praemissorum occasionem assumptis tecum duabus aliis dicti monasterii Pietatis monialibus, ad te in gubernio et aliis necessariis officiis dicti collegii adjuvandum, tibi idoneis et sufficientibus benevisis, praedictum monasterium exire, ac ab honestis mulieribus propinquis vestris associatae, ad collegium praefatum una cum illis transferre, in eoque postmodum pro bene feliciterque regendo et dirigendo praefato collegio illiusque puellis nunc et pro tempore existentibus, ad religiosam, piam, et sinceram vitam ibibi tenendam et observandam instituendis, ad triennium stare et permanere libere et licite absque alicujus conscientiae scrupulo valeas, et ipsae aliae moniales supradictae valeant, apost. auctoritate ten. praes. indulgemus, ac licentiam et liberam respective facultatem concedimus. Non observantibus etc. Volumus autem quod triennio hujusmodi elapso, tu aliaeque supradictae moniales, quas tu ut praefertur, ad praemissa assumpseris, ad dictum monasterium via recta eo ipso omnino teneamini, caeterisque contrariis quibuscumque

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Junii Pontificatus nostri anno ii.

XLVI.

Ut moniales e monasterio Mediolanensi redeant ad monasterium Perusiae secum deferentes SS. Reliquias. Ex arch. SS. XII. Apost. de Urbe.

Dilectae in Christo filiae salutem et apostolicam benedictionem.

Pro parte vestra dilectus filius Caesar de Ughis, frater germanus vester nobis exposuit, quod vobis ad monasterium vestrum Perusin. ex quo ad monasterium S. Praxedis, pariter capucinarum nuncupatarum in civitate Mediolanen. a bo. me. Carolo Cardinali Sanctae Praxedis erectum, ut in eo regularem disciplinam introduceretis, de anno mdlxxviii. translatae fuistis, de licentia nostra reverti, parantibus venerabilis frater Gaspar Archiepiscopus Mediolanensis nonnullas Sanctorum Reliquias dono dare, ad praedictum vestrum monasterium deferendas, obtulit, si nostra ad id accedat licentia. Nos spirituali vestrae consolationi, et dicti archiepiscopi gratitudini favere cupientes, vestris supplicationibus inclinati, dicto archiepiscopo reliquias praedictas vobis dandi, et vobis illas accipiendi, ac ad monasterium vestrum Perusin. in ejus ecclesia collocandas, et reverenter asservandas deferendi, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xix. Julii Pontificatus nostri an. ii.

XLVII.

Altare privilegiatum in Ecclesia minorum de observantia Varsaviae. Ex autographo ipsius provinciae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti, inter tam multa pietatis officia, quae pro munere nostro convenit exercere, sacra interdum loca speciali privilegio insignimus, ut inde fidelium defunctorum saluti amplius consulatur. Quocirca ut Ecclesia domus S. Annae Varsaviae ordinis fratrum minorum observantium nuncupat. simili usque adhuc privilegio minime decorata, ac in ea altare Dolorum B. Mariae Virginis, hoc speciali dono illustretur, auctoritate nostra Nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties Missa ad praedictum altare celebrabitur pro anima cujuscumque fidelis, quae Deo in charitate conjuncta de hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiae indulgentiam consequatur, quatenus Domini nostri Jesu Christi, beatissimae Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis suffragantibus a purgatorii poenis liberetur. Praesentibus in perpetum valituris.

Datum Romae apud S. Marcum x. calendas Augusti an. II.

XLVIII.

Indulgentias concedit. Ex Michaele a Tugio in Bull. capuc. tom. 5. pag. 198.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Salvator noster Jesus Christus Dei Filius, summo Patri consubstantialis, et coaeternus, ut humanum genus, Adae primi parentis praevaricatione, aeterna morte damnatum, salvum faceret, et ipsi Patri reconciliaret, de ejusdem Patris sinu ad hujus mundi infima descendere, ex virgineo utero carnem humanam assumere, et tandem post habitam salutiferam inter homines conversationem, nobisque per eum ad aeternam capessendam salutem, datam plenam instructionem, Crucis patibulo affigi, et temporalem mortem subire dignatus est; unde Nos pie considerantes humana merita, ad salutem ipsam consequendam fore penitus imparia, fideles quoslibet ad visitandum ecclesias, et alia regularia pia loca, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut per hoc, et aliarum sanctarum operationum exercitium, aeternam beatitudinem valeant feliciter adipisci. Cum itaque, sicut accepimus, dilecta in Christo filia nobilis mulier Margarita a Sabaudia comitissa de Lineyo Tullensis dioecesis, bo. me. Antonii a Luxemburgo, dum viveret, de Brienna, et dicto Lineyo comitis relicta, ac dilecti filii nobilis viri Francisci etiam a Luxemburgo, ducis Pinei, ad Nos et Sedem Apostolicam pro praestanda obedientia charissimo in Christo nostri et ejusdem sedis filii, Henrici III. Francorum Regis christianissimi

nomine, oratoris destinati, mater religionis zelo, ac summa erga ordinem fratrum minorum capucinorum nuncupat. devotione accensa prope oppidum de Lineyo hujusmodi, unam dicti ordinis domum cum ecclesia, dormitorio, refectorio, cellulis, hortis, et aliis officinis necessariis construi et aedificari fecerit; cupientes igitur, ut ecclesia dictae domus, quae ut etiam accepimus, ad honorem S. Nicolai et S. Barbarae dicata existit, in debita veneratione habeantur, et a chistifidelibus praedictis congruis frequentetur honoribus, ipsorumque fidelium devotio ad illam augeatur, ac eorum animarum saluti fructuosius consulatur, quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam praedictam in Dominica in Palmis, ac festivitate Assumptionis gloriosae Virginis Mariae diebus, a primis illorum vesperis, usque ad occasum solis eorumdem Dominicae, ac festivitatis dierum annuatim devote visitaverint, et inibi pro salubri statu militantis ecclesiae, reipublicaeque christianae tranquillitate, et pacis inter illos principes, et alios fideles conservatione, ac haeresum in ecclesia Dei grassantium extirpatione, humiles preces Altissimo effuderint, quoties id fecerint, si his diebus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam omnium, et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et elargimur. Et insuper omnibus christifidelibus praefatis, qui quolibet die, tempore quo sub nocte in eadem ecclesia pulsantur illius campanae, ad angelicam salutationem recitandam, eam genibus flexis devote recitaverint, quoties id egerint quadraginta annos, et totidem quadragenas, de injunctis eis, aut aliis quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino eisdem auctoritate et tenore relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si eidem ecclesiae aliqua alia indulgentia fuerit per nos concessa, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud S. Marcum die IX. Octobris Pontif. nostri anno II.

XLIX.

Largitur indulgentiam in die S. Sebastiani M. pro ecclesia capucinorum Apiri. Ex Bull. capuc. Michaelis a Tugio tom. 2 pag. 171.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus dilecti filii universitas et homines terrae Apiri Camerinensis dioecesis ex summo devotionis affectu, atque ad propagandum ordinem fratrum minorum capucinorum nuncupat. apud ruralem ecclesiam S. Sebastiani extra muros dictae terrae sitam, unam domum pro usu et habitatione aliquot fratrum ordinis praefati aedificandi licentiam obtinuerint, et jam magna cum dictae et aliarum circumvicinarum terrarum et locorum populi satisfactione, ac spirituali consolatione in loco et solo aedificandae domus hujusmodi processionaliter crux apposita extiterit, nunc demum fabricae dictae domus principium dare intendant, praevia tamen

processione ab ecclesia domus S. Francisci ejusdem terrae usque ad praefatum locum construendae domus incedendo facienda. Nos igitur ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, ac, ut christifideles majori cum devotione dictae processioni faciendae interveniant, coelestibus ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, precibus quoque pro parte dictorum universitatis et hominum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictae processioni die, quo hujusmodi fabricae principium dabitur, interfuerint, necnon singulis annis dictam ecclesiam S. Sebastiani ipsius domus capucinorum similiter eodem die quo dicta fabrica incoepta fuerit, a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei devote visitaverint, ibi pro christianorum principum concordia, ac haeresum extirpatione, sanctaeque matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefato id pro tempore fecerint, si eo die Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud S. Petrum die xii. Novembris Pontificatus nostri anno ii.

L.

Cordigerorum archiconfraternitatem ad alias ordinis Ecclesias extendit. Ex Bullario Laertii Cherubini tom. 2. pag. 385.

Ad perpetuam rei memoriam.

Divinae charitatis altitudo, eminentissima et summi amoris seraphici inexhausta bonitas etc. (*omittitur relatio ejusdem bullae num. x.*)

§. 1. Ne autem de praemissorum validitate ullo umquam tempore dubitari contingat, nostram denuo in praemissis auctoritatem interponere, ipsiusque archiconfraternitatis auctoritatem extendere, ac pium dictorum confratrum cordigerorum propositum amplius promovere, eosque spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus prosequi cupientes, supplicationibus dicti Clementis hac in parte inclinati, institutionem hujusmodi apostolica auctoritate praefata, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, ipsam archiconfraternitatem in caput omnium archiconfraternitatum cordigerorum hujusmodi ubilibet institutarum et instituendarum, etiam perpetuo auctoritate et tenore praemissis erigimus et instituimus.

§. 2. Omnesque et singulas indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes religioni et ordini fratrum minorum hujusmodi per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Nos concessas, quoad eas dumtaxat, quae hactenus non sunt revocatae, nec sunt ullis revocationibus comprehensae, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

§. 3. Illasque archiconfraterniti et confratribus Cordigerorum hujusmodi,

sub eisdem modo et forma, quibus illae religioni et fratribus praefatis concessae fuerunt, dummodo (ut praefertur) non fuerint revocatae, etiam perpetuo concedimus, elargimur, et communicamus. Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, utriusque sexus confratribus Cordigerorum hujusmodi, praeter indulgentias religioni praefatae concessas in mortis articulo, necnon quoties processionibus archiconfraternitatis Cordigerorum hujusmodi singulis mensibus fieri solitis interfuerint, eisdem quidem confratribus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem perpetuo concedimus.

§. 4. Aliis vero non confratribus, qui processionibus hujusmodi interfuerint, centum annos de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Ac praefatis confratribus, qui aliis dictae archiconfraternitatis processionibus, aut dum B. Mariae, vel quodvis aliud divinum officium per ipsos confratres cordigeros recitabitur, interfuerint, ac quoties sanctissimum Christi corpus, dum infirmis defertur, vel defunctum ad sepulturam associaverint, aut alicui miserabili personae subvenerint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu aliquod horum fecerint, toties centum dies de eis injunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis etiam misericorditer in Domino relaxamus. Eisdemque confratribus cordigeris, ut indulgentias et peccatorum remissiones praefatas, per modum suffragii pro fidelibus qui in gratia Dei decesserint, consequi et impartiri valeant.

§. 5. Necnon quascumque confraternitates utriusque sexus christifidelium Cordigerorum hujusmodi, in quibuscumque domorum tam minorum conventualium, quam de observantia, et capucinorum nuncupat. fratrum praefatorum in quibuscumque mundi partibus et locis pro tempore erigendas et instituendas, postquam erectae et institutae fuerint archiconfraternitati illorum aggregandi, illisque omnes et singulas eorum indulgentias, et peccatorum remissiones, et relaxationes communicandi et concedendi, plenam liberamque facultatem praefato ac pro tempore existenti generali dicti ordinis minorum conventualium auctoritate et tenore praefatis concedimus.

§. 6. Non obstantibus praemissis etc.

§. 7. Volumus autem quod praesentium transumptis manu alicujus notarii subscriptis, et sigillo pro tempore existentis ministri, vel procuratoris generalis ordinis fratrum minorum conventualium hujusmodi, vel cujusvis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut canonici alicujus cathedralis ecclesiae munitis, eadem porsus fides adhibeatur ubique locorum et gentium in judicio et extra, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum nonas Maii Pontificatus nostri anno II.

LI.

Largitur indulgentias confratribus cordigerorum S. Francisci. Ex archivo SS. XII. Apostol. de Urbe.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nos alias ad ampliorem decorem insignis, et celebris ecclesiae Sancti Francisci Assisien. ordinis fratrum minorum conventualium nuncupatorum, in qua quidem ecclesia sub illius altari majore corpus ejusdem S. Francisci requiescit, ac divini cultus, et piorum operum augmentum ipsiusque S. Francisci honorem et venerationem, ac animarum christifidelium salutem unam archiconfraternitatem utriusque sexus christifidelium, qui cordam per fratres dicti ordinis gestari solitam, ex illorum devotione a superioribus ejusdem ordinis cinctam, et susceptam deferent, et illa cingentur, sub ejusdem S. Francisci invocatione motu proprio in ipsa ecclesia, et ad dictum altare erexerimus, et instituerimus, ac ut confratres cordigeri dictae archiconfraternitatis ad pia opera exercenda propensiores redderentur, ac ad ecclesiam, et altare hujusmodi devotionis causa confluerent, eisdem utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, dictam cordam, quae prius a superioribus dicti ordinis benedici deberet, ad reverentiam, et memoriam ejusdem S. Francisci gerentes, sacraque communione refecti, archiconfraternitatem ipsam ingrederentur, prima die illorum ingressus, ac in mortis articulo ipsorum nomen Jesu ore, vel corde invocantibus, si etiam vere poenitentes, et confessi, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem; necnon praeter indulgentias, et peccatorum remissiones, religioni et ordini fratrum minorum hujusmodi concessas, omnes et singulas etiam indulgentias et peccatorum remissiones archiconfraternitati, et confratribus Confalonis B. Mariae Virginis in ecclesia S. Luciae de Urbe institutae, per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nosmet concessas, dummodo eatenus et hucusque revocatae non essent, concesserimus et communicaverimus. Et dilecto filio Clementi Bontadosio moderno, et pro tempore existenti ministro generali dicti ordinis fratrum minorum conventualium nuncupatorum, ut quascumque confraternitates utriusque sexus christifidelium cordigerorum hujusmodi, in quibuscumque ecclesiis domorum tam minorum conventualium, quam de observantia, et capucinorum nuncupatorum ubicumque, et in quibuscumque mundi partibus existentes erigere, et instituere, illasque postquam erectae fuerint, primodictae archiconfraternitati cum omnibus et singulis indulgentiis, et peccatorum remissionibus, ac relaxationibus aggregare, ipsasque indulgentias confratribus illarum communicare et concedere valerent, plenam et omnimodam facultatem, et auctoritatem dederimus, ac etiam concesserimus, easdemque confraternitates erigendas ex nunc, prout ex ea die, et contra primodictae archiconfraternitati aggregaverimus, et indulgentias hujusmodi confratribus illarum communicaverimus, et concesserimus, ac litteras desuper confectas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, aut revocari

nullatenus posse, sed semper validas, et efficaces faturas, suosque effectus plenarios sortiri debere decreverimus, ac alias prout in dictis litteris plenius continetur. Et sicuti dictus Clemens exponi nobis nuper fecit, post haec confratres dictae archiconfraternitatis Confalonis exinde conquerantur, et controversia inter eos, et fratres ordinis conventualium, ac confratres cordigeros hujusmodi propterea vertatur, seu oriri formidentur, Nos itaque ad tollendas et contentiones et scandala, quae exinde successu temporis emanare possent, et tranquillitati partium consulendum, ac tenores dictarum litterarum praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dicti Clementis hac in parte inclinati, concessionem, elargitionem, et communicationem indulgentiarum, et peccatorum remissionem praefatae archiconfraternitati Confalonis, religioni S. Francisci, et primodictae archiconfraternitati per easdem litteras factas revocantes, et viribus omnino carere, et pro non factis habere, et censeri volentes, decernimus easdem litteras, quoad concessionem, elargitionem, et communicationem indulgentiarum archiconfraternitati Confalonis hujusmodi, religioni, et fratribus minorum conventualium, ac confratribus cordigerorum hujusmodi nullatenus suffragari. Et nihilominus religionem, et fratres, ac confratres cordigerorum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, institutionem hujusmodi apost. auct. ten. praes. perpetuo approbamus, et confirmamus, supplentes omnes, et singulos tam juris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, ac primodictam archiconfraternitatem in caput omnium archiconfraternitatum cordigerorum hujusmodi ubilibet institutarum, et instituendarum etiam perpetuo auctoritate, et tenore praemissis, erigimus et instituimus, omnesque, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones religioni et ordini fratrum minorum conventualium hujusmodi per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos concessas, quoad eas dumtaxat, quae hactenus non sunt revocatae, nec sub ullis revocationibus comprehensae, eisdem auctoritate, et tenore similiter perpetuo confirmamus, et approbamus, ac illis perpetuae inviolabilis firmitatis robur adjicimus, illasque archiconfraternitati, et confratribus cordigerorum hujusmodi sub eisdem modo, et forma, quibus illae religioni et fratribus praefatis concessae fuerunt, dummodo, ut praefertur, non fuerint revocatae, etiam perpetuo concedimus, et elargimur, atque communicamus. Necnon de omnipotentis Dei misericordia etc. praeter indulgentias religioni praedictae concessas, et in receptione habitus, et in mortis articulo, necnon quoties processionibus archiconfraternitatis cordigerorum hujusmodi, ut dum B. Mariae, vel quodvis etc. seu aliquod horum fecerint, toties centum dies de eis injunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, eisdemque confratribus etc. omnes et singulas eorum indulgentias, et peccatorum remissiones, ac relaxationes communicandi, et concedendi plenam liberamque facultatem concedimus per praesentes. Non obstantibus etc. Volumus autem, quod si confratribus cordigerorum hujusmodi praemissa peragentibus, vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, eaedem praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti etc.

Datum Romae apud S. Petrum die vii. Maii Pontificatus nostri anno ii.

LII.

Erigit in archiconfraternitatem sodalitium erectum in coenobio SS. XII. Apostolorum de Urbe. Ex arch. ejusdem Coenobii.

Ad perpetuam rei memoriam.

Praeclara pietatis et misericordiae opera, quae dilecti filii prior, camerarius, et deputati, aliique confratres societatis Sanctorum duodecim Apostolorum de Urbe circa pauperes verecundos, et infirmos exercent, Nos inducunt, ut eamdem confraternitatem, quae aliis ejusdem nominis societatibus praelucet, nomine praelationis decoremus, ac favoribus et gratiis prosequamur opportunis. Itaque supplicationibus etiam dilecti filii nostri Innici tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri Cardinalis de Aragona nuncupati, et Protectoris ejusdem societatis hac in parte inclinati, confraternitatem SS. XII. Apostolorum praedictam in archiconfraternitatem et caput omnium confraternitatum sub eadem invocatione in quibuslibet civitatibus, terris, et locis per universum orbem constitutis, erectarum et erigendarum, et aliarum cujusvis alterius nuncupationis, ejusdem tamen instituti, eidem archiconfraternitati pro tempore aggregandarum auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus, ac priori, camerario, caeterisque deputatis archiconfraternitatis hujusmodi quascumque confraternitates ubique existentes tam dicti nominis SS. XII. Apostolorum, quam alterius nuncupationis, idem tamen institutum circa subventionem pauperum verecundorum, et infirmorum tenentes, ipsi archiconfraternitati aggregandi, ac omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, et alias quascumque gratias spirituales eidem archiconfraternitati per nos, et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessas, et in futurum concedendas, dictis confraternitatibus, quarum ipsa archiconfraternitas caput existit, et aliis, ut praefertur, pro tempore aggregandis, communicandi facultatem per easdem praesentes concedimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Julii Pontificatus nostri an. II.

LIII.

Confirmat erectionem confraternitatis S. Annae. Ex antographo prov. Poloniae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex incumbenti Nobis desuper apostolicae servitutis officio, devotarum personarum vota, ex quibus divini cultus augmentum, et animarum salus provenire speratur, pii patris affectione prosequimur, et his, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo, et illibata persistant, libenter, cum a Nobis petitur, apostolicae confirmationis robur addimus, et circa ea, per quae salus votiva succedat, christifideles, praesertim confraternitatibus ad divini cultus augmentum, et priorum operum exercitium vitae institutis adscriptos, ad pia et meritoria opera hujusmodi ex-

ercenda, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus frequenter invitamus, ut per bonorum operum exercitium hujusmodi, macula suorum delictorum abolita, ad coelestis patriae beatitudinem pervenire mereamur. Sane dilectus filius noster Georgius episcopus tituli S. Sixti praesbyter Cardinalis Radzivilius nuncupatus, qui unus ex confratribus infrascriptae confraternitatis existit, tam suo, quam dilectorum filiorum confratrum ejusdem confraternitatis nominibus Nobis nuper exposuit, quod cum in diversis domorum ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. et aliis etiam saecularibus regni Poloniae ecclesiis, una pia, celebris, et saluberrima utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione S. Annae canonice instituta existat, cujus dilecti filii illius confratres pro Romano Pontifice, S. Matris Ecclesiae exaltatione, haereticorum et schismaticorum extirpatione, infidelium conversione, et pro Regis Poloniae pro tempore existentis incolumitate, feliciique successu, ad Deum preces fundere, necnon die festo ejusdem S. Annae eorum peccata confiteri, et sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere, ac eleemosynas ad pauperum subventionem, aliosque pios dictae confraternitatis usus erogare, necnon a blasphemiis in publico et communi consessu, si ipsi blasphemi desuper amice correcti, et moniti tacere noluerint, sese omnino subducere, haereticis et schismaticis, ut ad ecclesiam catholicam redeant, pro posse persuadere, eosque ad spirituales eruditos, piosque viros in S. Matris gremium recipiendum facultatem habentes adducere. Signum ex aliquo metallo cum imagine ejusdem S. Annae impressa publice gestare, vino nimis indulgentes ab ebrietate penitus retrahere, inter discordes pacem stabilire, missae intuitu dictae confraternitatis singulis Martis diebus, alteri et missae primo die Jovis cujuslibet mensis pro defunctis celebrari solitis interesse, ac eleemosynas in eos pios usus convertendas erogare, ac sex solemnes processiones cum delatione ejusdem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti facere, et illis non intervenientes eleemosynam aliquam largiri consueverunt. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod litterae super indulgentiis non expediantur ad instar nisi specificenter, quotiescumque in dictis litteris ponantur, quod si ecclesiae aliqua indulgentia per nos concessa fuerit, de qua nisi specialis mentio facta non sit, hujusmodi letterae sunt nullae, dictos confratres a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac Georgii Cardinalis, et confratrum praefatorum supplicationibus inclinati, institutionem dictae confraternitatis apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui intervenerint, in eadem supplemus. Cupientes autem, ut dicti confratres in hujusmodi, et aliorum piorum operum exercitio confoveantur, et magis ad ea necnon alii christifideles promptius ad confraternitatem hujusmodi ingrediendum inclinentur, ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis, ac ecclesiae in quibus illa, ut prior in dicto regno instituta est, in debita veneratione habeantur, et ab ipsis christifidelibus congruis frequententur honoribus, illique eo libentius ad illas devotionis causa confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se esse refectos. Praeterea cum oppidum Varsaviae Posnaniensis dioecesis, in quo generalia comitia totius regni Poloniae haberi solent, venerandumque corpus B. Ladislai in ecclesia ejusdem ti-

tuli S. Annae ipsius oppidi dicti ordinis, celeberrimum sit et insigne, inibique dicta confraternitas canonice instituta reperiatur, ut ad illius directionem et devotionem tam dicti confratres, quam reliqui christifideles utriusque sexus devotionis causa aspirent, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eisdem, et eorum singulis, qui omnibus sacrificiis, quae fiunt in ecclesiis, in quibus est, et fuerit ubique locorum, terrarum, et regnorum instituta dicta confraternitas, participent, quodque visitando aliquam ex ecclesiis, in quibus est, et in futurum erit dicta confraternitas, si ibi quinquies orationem Angelicam recitaverint, et pro dicto Pontifice, necnon ejusdem S. Matris ecclesiae exaltatione, et haeresum extirpatione, ut praefertur, oraverint, omnes indulgentias etiam stationum, et gratias spirituales, quae habentur die eadem in omnibus ecclesiis Urbis Romae, consequantur. Deinde die S. Annae, quae est vigesima quinta Julii tam confratres et sorores dictae confraternitatis, quam alii utriusque sexus christifideles vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, qui aliquam ex ecclesiis, in quibus est, et erit instituta dicta confraternitas a primis vesperis usque ad occasum solis diei festi S. Annae hujusmodi visitaverint, ut praefertur, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam dumtaxat consequantur. Quodque quotiescumque interfuerint missae, quae quolibet die Martis ad intentionem dictae confraternitatis vel illi, quae pro defunctis ejusdem confraternitatis decantari solet, gaudeant trecentis diebus indulgentiarum. Similiter, quod si aliquem haereticum converterint, vel aliquem ad mortem bene disposuerint, aut blasphemos corripuerint, necnon quotiescumque conscientiae suae examen fecerint, ac quotiescumque adfuerint processionibus certis temporibus secundum statuta dictae confraternitatis cum dicto SS. Eucharistiae sacramento fieri solitis, qui eodem die confessi, et dicta sacra communione refecti fuerint, indulgentiam plenariam; non confessi autem triginta. Qui vero non sunt adscripti dictae confraternitati, quindecim annorum indulgentiam similiter consequantur. Item semel in vita et die, quo dictae confraternitati adscribentur, possint eligere sibi confessorem, ab ordinario tamen approbatum, qui ab omnibus peccatis quibuscumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis in foro dumtaxat conscientiae eos absolvat: quodque corde, si non poterit ore, in articulo mortis nomen Sanctum Jesus dicentes, pariter indulgentiam plenariam in forma Jubilaei, auctoritate et tenore praesentis etiam perpetuo concedimus et elargimur. Et insuper quod indulgentiae, et gratiae spirituales praedictae intelligantur, et irrevocabiliter concessae sint perpetuis temporibus indifferenter in omnibus ecclesiis per totum dictum regnum, et alia dominia dicti regni, in quibus est instituta, ac in futurum erit instituenda praefata confraternitas, etiam perpetuo statuimus, et ordinamus, seu declaramus pariter et concedimus. Non obstantibus et. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Marcum viii. calend. Octobris Pontif. nostri an. ii.

LIV.

Edit versionem latinam Veteris S. Scripturae Testamenti LXX. Interpretum. Est operi praefixa.

Ad perpetuam rei memoriam.

Studentes pro nostra pastorali vigilantia Sacrae Scripturae libros, quorum lectione fidelium mentes veluti spirituali quodam cibo recreantur, quanto fieri potest, sincerius ac fructuosius evulgare, curavimus inter alia superiori anno graecum Vetus Testamentum juxta Septuaginta Interpretum editionem ad emendatissimorum codicum fidem expolitum typis excudi et publicari. Ac nuper, ut etiam iis qui hujusmodi Biblia latine conscripta legere malunt, prodesse eadem opera possemus, adhibitis aliquot eruditis viris eundem librum in latinum sermonem fideliter versum ad communem christiani populi utilitatem, atque animarum salutem accurate imprimi fecimus. Quare, ne posthac in sacro textu quidpiam contra sanam doctrinam hominum incuria, vel temeritate irrepere unquam possit, sed potius versio hujusmodi juxta Septuaginta Interpetrum editionem ad verbum reddita, pura, integra, et incorrupta perpetuo conservetur, auctoritate apostolica tenore praesentium districte interdicimus, et prohibemus, ne quis praefatam latinam versionem Veteris Testamenti aliter quam sit haec, quae de mandato nostro nunc, ut praemittitur, prodit in lucem, imprimere, edere, aut publicare, neve ei quicquam vel minimum addere, aut detrahere, aut illam aliqua ex parte immutare quovis praetextu audeat, vel praesumat, nisi specialem ad id a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice licentiam obtinuerit. Quod si quis contra hanc nostram prohibitionem et interdictum aliquid attentaverit, is praeter poenam amissionis eorundem librorum, quos eo ipso indicem et catalogum librorum prohibitorum referri volumus, etiam indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum,

Datum Romae apud S. Marcum die xxvi. Februarii Pontificatus nostri anno iii.

LV.

Ut edat typis Vaticanis latinam versionem LXX. Interpretum Veteris Testamenti. Est operi praefixa.

Ad futuram rei memoriam.

Cum dilectus filius Georgius de Ferraris bibliopola Cremonen. et civis romanus graeca Biblia Septuaginta Interpretum, alias jussu fel. rec. Gregorii PP. XIII. praedecessoris nostri, suasu autem nostro, qui tunc Cardinalatus honore fulgebamus, cura vero ac diligentia dilecti filii nostri Antonii Carafae Cardinalis Bibliothecarii apostolici per eruditos viros ad fidem vetustorum codicum expurgata nuper in hac alma Urbe nostra sua impensa expresserit, et in praesentia eadem Biblia studio ejusdem dilecti

filii uostri Autonii Carafae Cardinalis in latinum conversa susceperit imprimenda, ac jam imprimat, necuon decretales etiam epistolas plurimorum Romauorum Pontificum ex Bibliotheca nostra Vaticaua majorem partem eodem dilecto filio nostro Antonio Carafa Cardinali curante collectas, propediem ad communem omnium utilitatem sit impressurus, dubitetque, ne hujusmodi opera ab aliis iujussu suo imprimantur, quod magnum ei damnum afferret, Nos propterea illius indemnitati consulere, ut par est, voleutes, et ue hi sacri libri ab imperito aliquo impressi turpibus maculis inquineutur, motu proprio, et ex certa nostra scieutia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis iu nostro et S. R. E. dominio, Nobis eidemque S. R. E. mediate vel immediate subjecto, vel ad illud undequaque quomodolibet accedentibus, necuon etiam extra illud ubilibet iu toto christiano orbe existentibus typographis, bibliopolis, et librorum impressoribus, mercatoribus, et quibuscumque aliis utriusque sexus persouis cujuscumque status, gradus, praeeminentiae, ordiuis, et conditionis existant, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis majoris latae sententiae, et quod nunc et pro tempore in uostro et S. R. E. dominio mediate vel immediate subjecto commorantibus etiam ultra praemissa amissionis librorum, ac mille ducatorum auri iu auro de camera pro una Bibliothecae nostrae Vaticanae, et pro alia accusatori, pro reliqua vero tertia parte judici executori irremissibiliter applican. aliis arbitrii nostri poenis eo ipso, si et quoties contrafactum fuerit, et per quemlibet contraveuientem incurren. apostolica auctoritate teuore praesentium inhibemus et interdicimus, ne Biblia Septuaginta Interpretum, sic, ut praefertur, expurgata et emendata, latina graecave lingua, latinis graecisve characteribus, decretalesque epistolae praedictae de cetero ad decennium a fine primae impressionis cujusque libri respective inchoandum, et ut sequitur terminandum, quovis praetextu ab aliis quam ipso dilecto filio Georgio de Ferraris, qui iu illis excudendis hactenus sic, ut praefertur, plurimum laboravit, et notabilem pecuuiarum summam impendit, cujusque fidem, solertiam, et iu similibus sinceram iu Domino fidem, et maturam experientam satis perspectam babemus, vel ab eo quaudocumque nominau. ac liceutiam et facultatem haben. imprimantur, venundentur, aut venalia, seu venales exponantur: ipsi vero dilecto filio Georgio, et ab eo uominandis praedictis eadem Biblia Septuaginta luterpretum, sic, ut praefertur, expurgata, tam latina, quam graeca, decretales epistolas praedictas etiam privative quoad omnes alios singulos praedictos imprimendi, seu imprimi faciendi, ac per se, vel alium, seu alios quocumque loco et mundi parte expoueu. vendeu. et venalia et venales babeu. et ad quaecumque loca deferendi liceutiam et omnimodam facultatem, auctoritatem, et potestatem concedimus, indulgemus, et elargimur praesentium per tenorem. Mandautes universis et singulis Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque locorum ordinariis, eorumque iu spiritualibus et temporalibus vicariis, et officialibus quibuscumque in toto christiano orbe diffusis, et consistentibus, ac etiam iu temporali nostro et S. R. Ecclesiae statu legatis, vicelegatis Sedis Apostolicae, et ejusdem status gubernatoribus, potestatibus, et loca tenentibus, ut quoties pro parte dicti Georgii, et ab eo uominan. fueriut requisiti, sive eorum alter fuerit requisitus, eisdem efficacis defensionis praesidio assistentes,

praemissa omnia et singula ad omnem ejusdem Georgii, et suorum praedictorum requisitionem contra inobedientes et rebelles, etiam per censuras ecclesiasticas, etiam saepius aggravan. aliaque juris remedia auctoritate apostolica exequantur, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Et insuper quia difficile admodum esset litteras nostras hujusmodi ad loca quaecumque originaliter deferri, volumus et eadem auctoritate apostolica decernimus, illarum transumptis et exemplis etiam impressis notarii publici manu subscriptis, curiaeque vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, ac etiam in eisdem libris impressis, plenariam, et eandem prorsus, quae praesentibus haberetur tam in judicio, quam extra fidem adhiberi. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc. hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim sit ab eadem sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum die IX. Maii Pontif. nostri anno III.

LVI.

Pro fundatione monasterii monialium Imolen. Ex reg. Secret. Brev. in Libro diversorum pag. 209.

Venerabili fratri Episcopo Imolen.

Cum sicut accepimus dilecta in Christo filia Faustina Carratora relicta quondam Octaviani Carratori mulier Imolen. de nobili genere procreata, devotionis fervore accensa suam propriam domum in civitate Imolen. sitam pro monasterio sanctimonialium erigendo, ac nonnulla etiam praedia aliaque bona sibi a Deo collata annui reditus circiter ducentorum et quinquaginta scutorum auri pie donaverit ad effectum, ut inibi sub convenienti clausura ipsum monasterium construatur, cupiatque ipsa Faustina in hujusmodi monasterio, quoad vixerit, gratum Altissimo exhibere famulatum, et aliquot itidem virgines, quae sub secunda regula S. Clarae ibidem habitum regularem assumant, et professionem emittant, ac sub debita clausura degant introduci. Propterea nobis humiliter supplicari fecit eadem Faustina, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pio ejus desiderio hac in parte favorabili annuere volentes, ac domus, praediorum, et bonorum per Faustinam praedictam donatorum hujusmodi situationes, confines, qualitates, quantitates, vocabula, denominationes, et veros etiam annuos valores, necnon scripturarum super donatione hujusmodi confectarum, ac praemissorum omnium et singulorum tenores ac datas cum inde secutis quibuscumque, praesentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut domum praedictam ipsius Faustinae si et postquam ad debitam clausuram, et convenientem monasterii monialium formam arbitrio tuo, sub cujus cura ipsum monasterium perpetuo subesse volumus, redacta et constructa fuerit, in monasterium monialium ordinis S. Clarae sub secunda regula ejusdem

S. Clarae cum campanili, campanis humilibus, claustro, et clausura congrua, ac refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, caeterisque officinis, membris, et rebus necessariis, et opportunis, ac aliis ad instar aliorum eorumdem ordinis et regulae monasteriorum pro unius abbatissae, et aliquot monialium inibi recipiendarum usu et habitatione perpetuis auctoritate nostra perpetuo erigas, et instituas, necnon eidem monasterio sic erecto et instituto pro illius dote abbatissaeque et monialium hujusmodi congrua sustentatione praedia ac bona praedicta sic, ut praefertur, donata, et alia omnia ac quaecumque quae in posterum forsan ab eadem Faustina, sive aliis christifidelibus eidem monasterio pie donari, relinqui, aut quomodolibet erogari contigerit, etiam perpetuo applices et appropries. Praeterea eidem Faustinae, ut hac prima vice duodecim puellas virgines tuo arbitrio per te approbandas eligere, necnon tam eidem Faustinae quam puellis ab ea eligendis hujusmodi, et aliis quae futuris temporibus in idem monasterium rite admittentur usque ad congruum numerum pro modo redituum a te praescribendum, qui saltem duodenarium excedat, ut a te, seu tuo vicario in spiritualibus generali, seu quopiam alio per ipsum deputando habitum per moniales dictorum ordinis et regulae gestari solitum suscipere, et anno probationis elapso professionem regularem per ipsas moniales earumdem ordinis et regulae emitti consuetam in tui, seu vicarii, vel deputati praedictorum manibus emitttere, et tam hujusmodi abbatissae, ac monialibus ad ipsum novum monasterium transferendis, quam quibuscumque aliis in illud pro tempore recipiendis postquam translatae, et receptae fuerint, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, libertatibus, indulgentiis, favoribus, et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus alia dictorum ordinis et regulae monasteria monialium, earumque moniales et abbatissae de jure, consuetudine, aut alias quomodolibet in genere utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et aeque principaliter, ac absque ulla prorsus differentia uti, potiri et gaudere libere et licite possint, et valeant, ita tamen, ut ipsa Faustina si monasterium praedictum ingredi, habitum suscipere, et professionem regularem emittere, ut dictum est, voluerit, post emissam professionem ad tria quidem vota paupertatis, castitatis, et obedientiae, ac ad clausuram perpetuam dumtaxat obligetur, caetera vero per dictorum ordinis et regulae statuta observare, nisi quatenus ex sua devotione sponte elegerit, nec alias ullo modo teneatur, neque ad id cogi aut compelli possit vel debeat, eadem auctoritate concedas et indulgeas. Insuper quod si, et postquam monasterium ipsum sic constructum, et debita clausura septum, ac munitum, dotatum et instructum fuerit, primum quidem moniales aliquot ex aliis ejusdem sive aliarum vicinarum civitatum monialium monasteriis, in quibus stricta et reformata vigeat regularis disciplinae observantia, eosdem ordinem et regulam professae matura aetate, ac diuturna laudabilis vitae observantia probatae non invitae, ac de licentia suorum superiorum ad novum hujusmodi sic erectum monasterium transferantur, quibus monialibus sic translatis ab initio et successive abbatissatus officium singulis in singula triennia committatur, quae novas moniales salutaribus institutis, et moribus informent, cu-

ramque et administrationem ac directionem ipsius novi monasterii assumant, quodque in primo dicto monasterio ab illius conventu, ut moris est, abbatissa ab initio, ut praefertur, postea vero perpetuis futuris temporibus juxta canonicas sanctiones, et praesertim concilii Tridentini decreta, ejusdem ordinis regularia instituta de triennio in triennium eligatur, omnimoda autem cura, et regimen ejusdem novi monasterii ad te, sub cujus obedientia eadem abbatissa et moniales degant, pertineat, simili auctoritate statuas et ordines. Denique dilectae in Christo filiae Eufrasiae Marchirellae moniali monasterii S. Dominici Imolen. secundum statuta fratrum ordinis praedicatorum degentium ejusdem Faustinae sorori germanae, ut ex ultimo dicto monasterio in quo nunc degit, ac ordine et regula quam professa extitit, ad primum dictum monasterium ordinem et regulam secundam S. Clarae hujusmodi se transferre, adhibito tamen in transitu, tuo arbitrio, honesto comitatu, et inibi sic translata quoad vixerit, remanere libere et licite possit, et valeat licentiam et facultatem concedas; ipsamque Faustinam, et moniales praedictas in novum monasterium introducendas super praemissis per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari, vel inquietari, necnon praesentes litteras de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, aut retractari non posse, sed illas semper, ac perpetuo validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VII. Februarii Pontificatus nostri anno III.

LVII.

Pro fratribus capucinis Constantinopolim et ad alias infidelium partes euntibus. Ex reg. Secr. Brev. in mense Junio pag. 24.

Dilectis filiis Petro de Cruce, Aegidio de S. Maria, et Dionysio Romano ordinis minorum congregationis capucinorum professoribus salutem et apostolicam benedictionem.

Cum vos sicut Nobis exponi fecistis, ad laudem et gloriam divini nominis ad procurandam infidelium ad lumen verae fidei et christianae religionis conversionem, et ad animas christifidelium in Constantinopolitana civitate, et aliis infidelium regionibus commorantium spiritualibus solatiis adjuvandas jamdiu cupieritis, pietatis fervore accensi, ad dictas partes infidelium proficisci, et juxta vestri ordinis, quam professi estis, regulam, a B. Francisco olim traditam, qua disponitur, ut quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos, et alios infideles, petant inde licentiam a suis ministris provincialibus; ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum, licentiam hujusmodi a dilecto filio vicario generali vestrae congregationis humiliter petieritis, eamque obtinueritis, Nos informati de vestris exemplaris vitae ac morum integritate, diuturna et laudabili regularis disciplinae observantia, ac aetatis maturitate, comprobata prudentia,

fidei constantia, atque doctrina, ac vestrum hujusmodi pium propositum, et erga salutem animarum zelum plurimum in Domino commendantes, in primis nostram vobis benedictionem impartimur, atque vos in hoc opus evangelii ad ejusdem fidei incrementum et animarum profectum, in viam salutis et pacis cum eadem nostra benedictione dimittimus: deinde ut id ipsum majori cum fructu efficere possitis, certas vobis facultates duximus concedendas, quibus suffulti, juxta datam vobis a Domino prudentiam, tunc demum illis moderate, ut par est, utamini, cum ad Dei honorem, et animarum salutem et aedificationem videritis expedire. Quare vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet, quamdiu vos in eisdem partibus commorari, vel per illas transire contigerit, ut cum quibusvis haereticis, schismaticis cujuscumque sectae, ac infidelibus, ut facilius eos ad catholicam et christianam fidem, atque ecclesiae unitatem reducere possitis, ubi et quando vobis expedire videbitur, sine aliquo conscientiae scrupulo, aut poenarum vel censurarum incursu conversari; ac tam christifidelibus, quam infidelibus verbum Dei proponere, et tam privatim quam publice, si videbitur, praedicare, necnon ut altare portatile vobiscum deferre, et super eo tam in ecclesiis, cappellis, oratoriis etiam non consecratis quam in privatis aedibus, in loco tamen honesto et decenti, ubi vobis propter periculum, aut aliam necessariam, vel rationabilem causam expedire visum fuerit, etiam ante diem, sub luce tamen, missas et alia divina officia celebrare; atque omnia, et quaecumque sacerdotalia indumenta et alias sacras vestes, instrumenta, et vasa ecclesiastica, ac pallas et corporalia, non tamen calices, patenas, aut campanas, neque alia, in quibus sacra unctio adhibetur, benedicere; praeterea, ut quoscumque infideles, qui ad veritatem fidei christianae venerint, seu conversi fuerint, ac eorum et fidelium natos pueros et infantes, ubi proprius parochus haberi non potest, baptizare, atque in ipso baptismo ministrando, sacro chrismate et oleo catechumenorum veteribus, seu eo anno non benedictis, si nova commode habere non poteritis, libere uti; ad haec ut quorumlibet utriusque sexus christifidelium, etiam clericorum et presbyterorum poenitentium, quos ad vos in illis partibus recurrere contigerit, confessiones audire, eosque singulos, si de commissis delictis ab intimis doleant eorumque veniam humiliter petant, ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, et delictis per eos commissis, necnon a quibusvis excommunicationis, etiam majoris, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, in quibusvis casibus, etiam locorum ordinariis, et Apostolicae Sedi quomodolibet reservatis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis, contentis, praeterquam homicidii vel mutilationis membrorum personae episcopi, aut praelati, vel presbyteri, et cujusvis alterius personae ecclesiasticae in sacris ordinibus constitutae, injuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis quae duxeritis injungenda, in foro conscientiae tantum absolvere: et quoscumque insuper haereticos, schismaticos, et a fide christiana et catholica apostatas et aberrantes poenitentes, ac ad cor redeuntes, ab excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, quas propter

haereses, schisma, errores, et a fide apostasiam bujusmodi quomodolibet incurrerint, dummodo corde sincero, et fide non ficta sponte haereses, schisma, apostasiam, et errores suos detestati fuerint, anathematizaverint et abjuraverint, ac in gremium sanctae matris ecclesiae recipi et admitti humiliter petierint, in forma ecclesiae consueta, injuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis injungendis, prout eorum saluti expedire cognoveritis, in foro conscientiae dumtaxat absolvere, recipere, et reconciliare, et alias juxta formam litterarum facultatis vobis concessae per vener. fratres nostros S. R. E. Cardinales adversus haereticam pravitatem generales inquisitores; ac demum ut christifidelibus praedictis sacrae eucharistiae et alia quaecumque sacramenta quocumque anni tempore etiam in Paschate, si tamen ibi episcopus, aut proprius parochus non existat, ministrare, et nuptiis per ipsos fideles invicem legitime contrahendis in locis, in quibus proprius parochus et episcopus desit, tanquam proprii parochi interesse, ac sacerdotalem benedictionem impendere libere et licite possitis et valeatis, plenam, liberam, et omnimodam licentiam et facultatem auct. apost. ten. praes. concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc. Decernimus autem, volumus, et declaramus bujusmodi facultates in praesentibus nostris litteris contentas vobis et cuilibet vestrum in solidum esse concessas, ac vobis in dictis dumtaxat partibus commorantibus, vel per illas transeuntibus suffragari, nisi a nobis aliud vobis expresse mandari contingat. Sic igitur in obeundo hoc pio ministerio vobis commisso, talenta vobis a Domino credità exercere studeatis, ut eadem magno cum fructu duplicata reportantes, ab ipso Domino tamquam servi boni et fideles laudari, et in coelestia ejus gaudia intrare, ac proemia digna laboribus vestris in aeterna retributione feliciter consequi mereamini.

Datum Romae apud S. Petrum die xxvii. Junii Pontificatus nostri anno iii.

LVIII.

Pro gradu magisterii ordinis minorum Conventualium. Ex reg. Secret. Brev. in libro diversorum pag. 225.

Dilecto filio Evangelistae de Furce ordinis minorum conventualium vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

Ut istius ordinis professores, qui per plures annos studiis theologiae operam dederunt, honorem virtutibus debitum per tuum ministerium commodius consequantur, tibi, ut in capitulo generali quadraginta ex professoribus praedictis, qui probitatis et religionis catholicae zelo praediti sint, ac in artibus et theologia cursum perfecerint, si praevio rigoroso examine approbati, ad id idonei judicati fuerint, ad magisterii gradus in artibus et theologia promovere, eisque solita insignia conferre, patentes litteras desuper conficere, necnon eisdem sic promotis, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, exemptionibus, facultatibus, praerogativis, et gratiis, quibus alii in universitatibus studiorum generalium promoti quomodolibet utuntur, uti, frui et gaudere libere et licite valeant, auctori-

tate apostolica teuore paesentium concedimns, et indulgemns. Non obstantibns etc.

Datum Romae apud S. Petrnm die xxix. Aprilis Pontificatus nostri anno ii.

LIX.

Deputat Ferdinandum Cardinalem de Medicis praesidem capituli generalis fratrum minorum de observantia. Ex reg. Secr. Brev. in meuse Maio pag. 169.

Dilecto filio nostro Ferdinando S. Mariae in Via Lata Diacono Cardinali de Medicis nuncupato.

Cum capitulum generale fratrum ordinis minornm S. Francisci de observantia in monasterio S. Mariae de Aracoeli de Urbe pro electione ministri generalis, et aliorum officialium et ministrorum ipsius ordinis de proximo celebrandum sit, Nos cupientes res ejusdem capituli quiete, feliciterque, semotis omnibus affectibus, adjuvante Domino, fieri atque tratari, circumspectionem tuam, de qua in his, et aliis gravissimis negotiis plenam in Domino fiduciam obtinemus, ipsius capituli praesidentem cnm omnibus facultatibus, auctoritate ac jurisdictione aliis similinm capitulorum praesideutibus a Sede Apostolica pro tempor depntatis concedi solitis, anct. apost. ten. praes. constituimus, et deputamus. Volentes ut nomine nostro dicto capitulo, nt praefertur, celebrando intersis, ac praesideas. Mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis fratribus vocalibus dicti capituli, ut omnia quae ipsis pro prospero, et optato dicti capituli successu injungenda duxeris, omnino exequantur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xiii. Maii Pontificatus nostri anno iii.

LX.

Pro fr. Francisco a Tolosa commissario generali. Ex reg. Secret. Brev. in mense Maio pag. 150.

Dilecto filio Francisco a Tolosa ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professori, et pro familia Ultramontana in Romana Curia commissario salutem et apostolicam benedictionem.

Cum capitulum generale ordiuis fratrum minorum de observantia nuncupat. qnem tu expresse professus es, apud domum B. Mariae de Aracoeli de Urbe in prasentiarnm celebretur, et in eo electio ministri generalis dicti ordinis hac hebdomada fieri debeat, Nos volentes te, qui commissarius fratrum ejusdem ordinis Ultramontan. in romana curia existis, precibus etiam dilecti filii nostri Ferdinandi S. Mariae in Via Lata diaconi Cardinalis de Medicis nuncupat. istius ordinis protectoris super hoc nobis porrectis inclinati, favore prosequi gratioso, tibi ut in hac dumtaxat electione dicti ministri generalis vocem activam et passivam habere libere et licite possis, apost. anct. ten. praes. de speciali gratia in-

dulgemus. Non obstantibus fel. rec. Pii PP. V. Pastoralis officii, et piae mem. Gregorii PP. XIII. Consuevit Rom. Pontifex, ac aliis constitutionibus etc. Quibus omnibus ac aliis, quae praemissis obstare possent eorum tenores, praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.,

Datum Romae apud S. Petrum die XIII. Maii Pontificatus nostri anno III.

LXI.

Reducit officium Ministri Generalis ad sexennium. Ex Bullar. Cocquelines tom. v. part. 1. pag. 173.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis providentia nonnumquam ea, quae certis suadentibus causis per ejus praedecessores gesta sunt, ex aliis minus rationabilibus causis alterat, et ad primaevum suum statum reducit, prout in Domino conspicit expedire.

§. 1. Sane fel. rec. Pius Papa V. praedecessor noster inter alia statuit, et ordinavit, quod officium ministri generalis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum per octo annos extenderetur, prout in litteris dicti praedecessoris desuper confectis plenius continetur.

§. 2. Nos attendentes huic ordini, cujus instituta regularia, dum in minoribus essemus, per quinquaginta annos, vel circa amplexi fuimus, optime convenire ad evitanda scandala, et absurda, quae ab id antehac orta fuisse dignoscuntur, ut officium praedictum ad primaevum suum statum reducatur, et ad sexennium tantum duret, prout etiam complures Romani Pontifices praedecessores nostri in diversis eorum litteris observari voluerunt, et mandarunt, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine statutum, et ordinem ipsius praedecessoris apost. auct. ten. praes. revocamus, cassamus, annullamus, et irritamus, ipsumque officium ministri generalis ad primaevum statum reducimus, et restituimus, ita ut illud, ad quod hac praesenti hebdomada electio personae ipsius ordinis in capitulo generali fiet, tam hac vice quam perpetuis futuris temporibus ad sexennium tantum duret, et durare debeat, et illo elapso statim cesset, ac cessare censeatur.

§. 3. Quocirca omnibus et singulis dicti ordinis professoribus huic negotio incumbentibus in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis sententia eo ipso per contrafacientes incurrenda praecipimus, quatenus singulo quoque sexennio ad novi ministri generalis electionem, quibuscumque rebus posthabitis, procedant, nec ipsi, seu tunc existens minister generalis, aut quivis alius quacumque dignitate, etiam cardinalatus honore fulgens, seu ipsius ordinis protector quacumque de causa etiam urgentissima confirmationem, seu extensionem dicti officii in aliud etiam brevissimum tempus a Romanis Pontificibus successoribus nostris, et Sede Apostolica petere, et obtenta uti audeant, vel praesumant, ita ut elapso dicto sexennio praedictum oficium ministri generalis ipso jure vacet, et vacare censeatur.

§. 4. Decernentes aliter factas electiones, et confirmationes nullas et irritas, nulliusque roboris, vel momenti fore, et esse.

§. 5. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xiv. Maii Pontif. nostri anno iii.

LXII.

Recipiunt minores conventuales conventum Corinaldi. Ex arch. SS. XII. Apost. de Urbe.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem universalis ecclesiae et singularum ejus religionum praecipuum defensorem, ad ea per quae provisionis suae auspiciis pro sui pastoralis officii debito jura quarumcumque personarum praesertim, quae sub religionis jugo debitas Deo laudes jugiter persolvunt, praeservare et unicuique justitia dictante, quod suum est, restituere, et quae alias in illarum praejudicium ad importunam precum instantiam, seu alias ex falsis et fucatis causis a Sede Apostolica concessa praetenduntur cognitis et examinatis, rei veritate, ac inde provenientibus incommoditatis consulto revocare atque in his ejusdem officii sui partes favorabiliter interponere, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sane dudum, postquam fel. rec. Pius Papa V. praedecessor noster, quibus de causis motus, seu potius male informatus per quasdam suas in forma brevis confectas litteras, domum tunc fratrum minorum conventualium nuncupatorum terrae Corinaldi Senogagliensis dioecesis, et in cujus pacifica possessione, seu quasi ipsi fratres conventuales existebant, a regimine et gubernio, ac superioritate dictorum fratrum, eorumque superiorum eximens, nullo juris ordine servato, et re non cognita, domum ipsam, ac ejus ecclesiam cum omnibus illius bonis mobilibus, suppellectilibus, paramentis, et jocalibus, agris, aliisque rebus ordini fratrum minorum de observantia etiam nuncupatorum motu proprio concesserat, ac ministri provincialis dicti ordinis de observentia in provincia nostra Marchiae Anconitanae pro tempore existentis gubernio, potestati, visitationi, correctioni, et obedientiae nomine vocato vel audito supposuerat et subjecerat, itaut fratres conventuales et personas alias in dicta domo tunc degentes, etiam recusantes inde amovere et expellere, eorumque loco alios fratres de observantia in eadem domo intromittere, ipsique sic intromissi inibi habitare possent, imo tunc, et pro tempore existenti fratrum conventualium hujusmodi magistro, seu vicario generali, ac provinciali, necnon guardiano et fratribus dictae domus in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis, aliisque poenis mandaverat, ut statim omni motu et excusatione cessantibus eamdem domum ministro et fratribus de observantia super gubernio, administratione, et possessione dictae domus directe vel indirecte quovis quaesito colore, vel ingenio molestare aut perturbare auderet, vel praesumeret, irritum et inane decernens, si secus super his a quacumque qravis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attentari, ac volens nihilominus quod bonis stabilibus dictae domus nihil fieret, sed bene et fideliter custodiretur, ac administraretur, donec

per ipsum praedecessorem, quid de eis agendum foret, ordinaret, ac alias aliter desuper disposuerat piae mem. Gregorio Papae XIII. etiam predecessore nostro pro parte dictorum fratrum de observantia in eamdem domum introductorem exposito, ipsos fratres hic introductos eatenus ibi laudabiliter, et cum magna dilectorum filiorum universitatis et hominum dictae terrae spirituali consolatione vixisse, eorum tamen ministrum provincialem bonorum stabilium praedictorum administrationem ab illis abdicare decrevisse, quo casu eleemosynae etiam sedulo mendicare nedum ad totius conventus dictae domus, sed nec paucorum fratrum illius congrua sustentatione sufficeret, quin etiam inde fieret, ut domum ipsi hujusmodi deserere cogeretur, praefatus Gregorius praedecessor noster his et aliis de causis potius coloratis, quam veris, adductus, etiam per quasdam suas litteras omnia et quaecumque bona immobilia cujuscumque qualitatis, et valoris, ac ubivis existentia ad domum, et ecclesiam praedictas quomodolibet pertinentia, ab eisdem domo et ecclesia eorumque proprietate perpetuo separavit, ac ita separata Monti Pietatis in dicta terra instituto, etiam perpetuo applicavit, ita quod liceret syndicis et aliis ministris dicti montis cum alio syndico pro tempore a dictis fratribus de observantia deputando, bonorum sic applicatorum corporalem, realem, et actualem possessionem dicti Montis nomine apprehendere, et perpetuo retinere, cujusvis licentia desuper minime requisita, ac cum eo quod syndici et ministri praefati Montis victum et vistitum, aliaque necessaria tot fratribus dicti ordinis de observantia, quo eorum minister provincialis praedictus duceret in dicta domo necessarios esse juxta eorumdem fratrum qualitatem, et dicti ministri praescriptum opportune subministrare, domumque et ecclesiam praedictas reparare, ac etiam ampliare, et manutenere tenerentur, decernentes etiam irritum et inane si secus super iis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attentari, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Cum autem sicut nuper accepimus, etiamsi forte aliqui ex fratribus conventualibus hujusmodi, quod tunc in dicta domo existebant, propter aliqua eorum demerita causam aliquo modo dederint praedictae expulsioni, aequum tamen non videtur, ut totus conventus atque adeo ordo ipse fratrum conventualium propterea puniatur, et domo ac bonis propriis cum magno suo praejudicio ac etiam existimationis et famae perpetuae nota spolietur, aliasque praemissa juris ordine non satis servato, sed facto et nimis ex abrupto, ac forsan ad aliquorum particularium malevolorum sinistram informationem facta fuerint. Nos ad quos suscepti pastoralis officii munere providere spectat, ut unicuique quod suum est tribuatur, et semel ablatum restituatur, de negotio hujusmodi plene informati, dictorum fratrum conventualium indemnitati consulere eosque et ordinem ipsorum quibuscumque justis, et honestis favoribus prosequi volentes, ac singularum litterarum praedictorum tenores causasque et occasiones praemissorum necnon dictorum bonorum qualitates, vocabula et valores, ac omnia et singula alia hic forsan de necessitate quomodolibet exprimenda, seu de verbo ad verbum inserenda praesentibus pro sufficienter expressis, et totaliter insertis habentes, guardianum et fratres conventuales praedictos ac illorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, motu simili non ad guardiani, et fratrum conventualium praedictorum vel alicujus

eorum instantiam, sed de vera deliberatione, et ex certa scientia vestris ac de apostolicae potestatis plenitudine praefatam domum S. Francisci terrae Corinaldi illinsque ecclesiam et alias pertineutias et dependentias quascumque ab omnibus et qnibuscumque dictorum fratrum de observantia ac ministri, seu vicarii generalis et provincialis aliorumque superiorum, vel cujuscumqne alterius conditionis et quacumque auctoritate, guberuio, regimiue, visitatione, correctione, obedieutia, et superioritate auct. apost. ten. praes. penitus, omnino, et in perpetuo eximimus, tollimus, et liberamus, illasque exemptas ac liberas a praemissis declaramus, omniaque et singula proprietates et bona dicti Moutis, ut praefertur, applicata et ab eadem domo dismembrata, ab ipso Monte ex nunc etiam perpetuo separamus, et dismembramus, necnon domum, et ecclesiam hujusmodi cum omnibus et singulis mobilibus, et immobilibus, ac semoventibus bonis, paramentis, jocalibus, sacra, et profana supellectili, necnon praediis, locis, juribus, actionibus, et praetensionibus, ac aliis universis ad domum et ecclesiam hujusmodi quomodolibet spectautibus, pertineutibus, ac ab illis per praedecessores praefatos quoscumqne dismembratis, et ademptis, eisdem fratribus conventualibus, ac ordini ipsorum auctoritate et teuore praefatis similiter perpetuo applicamus, unimus, annectimus, et de novo incorporamus, ac alias domum, ecclesiam fratres conventuales, et eorum ordinem praefatos in pristinum, et eumdem prorsus statum, in quo antequam dictae litterae super praemissis emanarent, existebant, in omnibus, et per omnia restituimus, reponimus, et pleuarie reintegramus, ac restitutos, repositos, et plenarie reintegratos esse decernimus, et quatenus opus sit illa omnia eisdem modo concedimus, et assignamus, sicque de novo unita, et concessa gubernio et regimini, visitationi, correptioni, obedientiae, et omnimodae superioritatis magistrorum generalium et provincialium, aliorumque superiorum dicti ordinis conventualium pariter perpetuo supponimus et subjicimus, ita quod liceat eis ex nunc nullo alio cujusque expectato mandato, aut requisita liceutia, vel consensu ecclesiae domus praedictorum, jurium, at aliorum bonorum per nos dicto ordini fratrum conventualium per praesentes restitutorum, et de novo unitorum ac concessorum corporalem, realem, et actualem possessionem suo et ipsius ordinis conventualium nomine proprio, aut libere apprehendere, et perpetuo, ut prius retinere, competentemque fratrum suae provinciae numerum in eamdem domum sic restitutam introducere, ac ipsis fratribus restitutis ibidem prout antea divinis laudibus juxta eorum regularia instituta insistendo remanere, amotis inde quibuscumque fratribus de observantia in dicta domo ad praesens degentibus, etiam reunentibus et invitis. Ideoque ministro et fratribus ad praesens existentibus dictae domus, ac etiam quibusvis aliis superioribus dicti ordinis fratrum de observantia, necnon et syndicis aliisque administratoribus, et officialibus dicti Montis in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis aliisque per nos et arbitrio nostro declarandis, et imponendis poenis districte praecipimus, et mandamus, quatenus visis, et exhibitis praesentibus litteris, vel earum transumptis authenticis, statim omni amota dilatione, ac excusatione cessantibus et remotis domum, ecclesiam, praedia, loca, suppellectilia, ac jura, actionesque, et caeterae res, et bona mobilia, necnon pertinentias, dependentias, et annexa quaecumque domus et ecclesia praedictarum eorum-

que regimen, et administrationem omnimodam eidem ordini fratrum minorum conventualium ac pro eo ministro generali et provinciali illius libera et expedita tradant, et relaxent, ipsosque guardianum, et fratres conventuales in dicta domo introduci, et introductos ibi manere, ac tam dicta domo et ecclesia, quam caeteris omnibus bonis et rebus praefatis pacifice sine aliqua contradictione uti, frui, et gaudere permittant, districteque inhibemus, ne desuper nunc aut quandocumque in futurum eosdem guardianum et fratres conventuales aut eorum aliquem super praemissis quovis praetextu aut quaesito colore directe molestare, perturbare vel inquietare audeant seu praesumant. Concedimus tamen, ut si quis ex fratribus de observantia in dicta domo ad praesens existentibus in praedicta terra oriundus sub regula et obedientia fratrum minorum conventualium inibi remanere voluerit, a magistro generali, seu provinciali eorumdem fratrum conventualium ibidem recipi et benigne tractari, ac juxta privilegia, et regularia instituta ipsius ordinis fratrum conventualium vivere debeat. Volumusque, ut si quondam contingat praedictos fratres de observantia praesertim ex eadem terra oriundos ad ipsam terram divertere, si in ea domum non habuerint, triduo in ipsa domo hospitentur. Mandantes dilecto filio moderno et pro tempore existenti gubernatori dictae provinciae Anconitanae, quatenus ubi, quando et quoties pro parte magistri generalis, vel provincialis, aut etiam guardiani et fratrum minorum conventualium domus praefatae requisitus fuerit, praemissa solemniter publicare, eisque in illis efficacis defensionis praesidio assistente, ac eos in possessione etiam antiquam domum ecclesiae, ac bonorum et rerum praedictorum per se vel alium, seu alios ab eo deputandos juxta praesentium tenorem inducere, seu potius restituere, inductosque, vel restitutos in ea manutenere, ac defendere debeat atque procuret, amotis et expulsis exinde dictis fratribus de observantia, faciatque guardianum et fratres, necnon etiam superiores conventuales praedictos eisdem praesentibus litteris, et omnibus in eis contentis quiete, libere, et pacifice uti, frui, et gaudere, nec permittat illos per ipsos superiores, ac fratres de observantia, vel quoscumque alios directe, vel indirecte super praemissis aut eorum aliquo quomodolibet molestari, perturbari, vel indirecte super praemissis, aut eorum aliquo quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles etc. appellatione postposita compescendo, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocando, ac decernentes dictos magistros generales, et provinciales, guardianum et fratres conventuales quocumque propter praemissa minime spoliasse vel attentasse, ac citra omne et quodcumque vitium spolii, et attentatorum neque ad paemissa, aut quare illa fiant justificandum, ac verificandum ullo unquam tempore teneri, nec etiam praesentes litteras etiam ex eo quod causae, propter quas illae emanarunt, in eis narratae, aut alias probatae et justificatae non sint, nec praedicti superiores, et fratres de observantia, ac etiam syndici, et ministri dicti Montis, aliique interesse quomodolibet habentes, seu praetendentes ad hoc vocati, et auditi non fuerint, vel ex quacumque alia causa, et quocumque capite de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notarii, impugnari, aut revocari, vel ad terminos juris reduci, seu in controversiam aliquam vocari, aut adversus easdem quodcumque juris gratiae, vel facti remedium

impetrari posse, nec impetratum valere, sed semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios effectus omnino sortiri, et obtinere, ac ab omnibus perpetuo inviolabiliter observari debere, sicque etiam et non alio per quoscumque judices et commissarios etc. irritum et inane, si secus super his a quacumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus praemissis etc. quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales eidem importantes, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illis alias in suo robore permansuris etc. Nulli ergo omnino liceat etc.

Datum Romae apud S. Marcum nonis Septembris Pontificatus nostri anno III.

LXIII.

Pro conventu fratrum minorum conventualium Savonae. Ex eodem Archivo.

Ad perpetuam rei memoriam.

Etsi mendicantium ordines summo semper studio amplexi sumus, ad summum tamen apostolatus apicem, divina favente clementia assumpti, facere non possumus, quin eos, et praesertim ordinem fratrum minorum conventualium nuncupatorum, quem dum in minoribus essemus expresse professi fuimus, propensiori charitate, et paterno affectu amplectamur illiusque fratribus temporalia subsidia conferamus. Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa IV. praedecessor noster per eum accepto, quod antea tunc existentes dux, et gubernatores reipublicae Genuen. civitatem Savonen. eorum ditioni subjectam, adversus hostes suos tutam, securamque redderet, arcem cum propugnaculis in editiori parte ipsius arcis includi, et pro parte demoliri, ac solo aequari facere coacti fuerant, in ecclesia domus S. Francisci Savonen. ordinis fratrum minorum conventualium hujusmodi ordinem praefatum, ac omnem statum regularem, ita ut fratres inibi tunc existentes alio migrare deberent, nulla tamen legitima causa praecedente, seu ullo demerito fratrum praefatorum, in grave eorum ac totius ordinis damnum, et non modicum praejudicium suppressit, et extinxit, ipsamque ecclesiam in cathedralem ecclesiam sub invocatione B. Mariae erexit, ac illam cum tota domo praefata, illiusque hortis, hortalitiis, et aliis juribus, et pertinentiis quibuscumque, non bene informatus de moribus, et exemplari vita praefatorum fratrum, ac magnitudine situs et quantitate fructuum, redituum, et proventuum domus, ejusque bonorum hujusmodi episcopo tunc in humanis agenti, ac capitulo et canonicis ecclesiae Savonen. concessit, et consignavit, necnon quaecumque bona immobilia ipsius domus et sacristiae fabricae ecclesiae sic in cathedralem erectae applicavit, decernens guardianum et fratres eorumque superiores praelatos, capitulum praefatum, et illius canonicos, sub poena excommunicationis latae sententiae eo ipso per contrafacientes incurrenda molestare nullatenus posse. Et deinde bo. me. Pius Papa IV. attendens proprietatem rerum, quae huic religioni conceduntur, Romanae ecclesiae neutiquam attributam esse, applicationem bonorum hujusmodi, necnon

decreta, derogationes, et declarationes per eumdem Paulum IV. praedecessorem desuper factas, motu proprio revocavit, cassavit, irritavit, et annullavit, illaque omnia generalatui; et congregationi totius ordinis fratrum minorum conventualium praefatorum motu simili applicavit, et appropriavit; ita quod liceret eis bonorum eorumdem possessionem, necnon census, fructus, reditus, proventus, jocalia, utensilia, ac cappellarum omnium jura, bona mobilia, et pretiosa, ac immobilia, et semoventia, juraque, et actiones quascumque habere, percipere, exigere, et levare libere et licite valerent. Decernens ducem, gubernatores, episcopum, capitulum, et canonicos praefatos ad restitutionem jocalium, utensilium, et aliorum quorumcumque, meris aedificiis ecclesiae, et domus S. Francisci bujusmodi et infirmariae, et cappellarum, capitulo, et canonicis praefatis dumtaxat remanentibus. Postremo recol. mem. Gregorius Papa XIII. similiter praedecessor noster cupiens indemnitati dictorum fratrum consulere, ne ipsi in saeculo sedibus incertis vagari cogerentur, parochialem ecclesiam Sancti Dalmatii de Lavagnola ab eadem civitate Savonen. per unum milliare cum dimidio, vel circa distantem, et certo tunc expresso modo vacantem eisdem fratribus pro eorum usu, et habitatione concessit, et assignavit, prout in litteris dictorum praedecessorum desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicuti ad nos nuper perlatum est, ipsi fratres locum in dicta civitate Savonen. in qua commorentur, non habeant, plurimumque expediat saluti animarum christifidelium dictae civitatis, ut fratres praefati perpetuo inibi degant, Nos ad uberes fructus, quos ipsi fratres in agro Dominico quotidie proferunt, debitum respectum habentes, motu simili non ad dictorum fratrum, aut aliorum pro eis nobis desuper oblatae petitionis instantia, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine litteras Pauli IV. praedecessoris hujusmodi revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, litterasque Pii etiam IV. praedecessoris hujusmodi contenta, motu simili approbamus, et confirmamus, necnon cappella fel. record. Sixti Papae IV. similiter praedecessoris nostri in dicto conventu existentem, ac domos et officinas eidem cappellae adhaerentes, secundum longitudinem illius usque ad hospitale S. Pauli exclusive, quarum fabricae ab una juxta primum claustrum et dormitorium, ac secundum claustrum, et ab alia porta per quam patet ingressus in primum claustrum, et aliam ecclesiam, necnon ab alia hospitale S. Pauli, et a reliqua partibus via Sancti Pauli, seu Annuntiatae cohaerent, ordini et fratribus praefatis pro eorum usu, et habitatione perpetuis apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et assignamus. Praecipientes venerabili fratri nostro Episcopo, ac dilectis filiis capitulo, et canonicis Savonen. in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis, necnon inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda aliisque gravioribus nostro, et tuo praesentium nostrarum infrascriptorum executorum arbitrio infligendis, et applicandis poenis, quatenus bujusmodi praesentibus pro parte dicti ordinis eis praesentatis, seu intimatis, vel per quemcumque etiam notarium, et tabellionem publicum seu clericum simpliciter tonsuratum ostensis, nulloque alio a nobis desuper expectato mandato, cappella Sixti, domos, et officinas hujusmodi, earumque usum, et dominium fratribus dicti ordinis, seu ab eis deputatis in eisdem statu, formis, et conditionibus, quibus tempore expulsionis dictorum fratrum

quomodolibet erant, realiter, et cum effectu consignent, possessionemque illarum eis relaxent, et vacuam omnino dimittant, donec per nos aliud determinatum fuerit. Hortamur quoque modernos ducem, et gubernatores reipublicae Genuen. et Savonen. dilectos filios, quatenus praefatos fratres omni quo poterunt, auxilio, et favore prosequantur, eisdemque fratribus quod postquam sic restituti fuerint, missas inibi, et alia divina officia tam diurna quam nocturna celebrare, et verbum Dei populo praedicare, et legere, et prout in aliis suis ecclesiis, et prout prius ibidem facere consueverunt, libere et licite possint, pari motu indulgemus, necnon litteras Gregorii praedecessoris hujusmodi super concessione dictae parochialis ecclesiae eisdem fratribus factae robur apostolicae confirmationis adjicimus, ut auctoritate praemissa, omnia ad effectum perducantur; ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existentibus, per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, et quoties super hoc pro parte fratrum dicti ordinis, vel pro eis agentium fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, ipsos fratres cappella, et domibus, ac officinis praefatis earumque usu pacifice frui, et gaudere, nec permittant eos desuper ab episcopo Savonen. et capitulo praefatis seu quibusvis aliis quomodolibet molestari, contradictores quoslibet et rebelles etc. appellatione postposita compescendo, invocato etiam etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die . . . . Septembris Pontificatus nostri anno III.

LXIV.

Pro fratre Innocentio Sarcone commissario ordinis minorum conventualium reformatorum. Ex reg. Secr. Brev. in mense Junio pag. 97.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctum Ecclesiae Dei, ad quem divina clementia sumus assumpti, statum incolumem manutenere cupientes, ut id facilius exequi possimus, religionis propagationem nostris potissimum temporibus ubique vigere et augeri, ac gratos Domino et universae reipublicae christianae utiles, et fidelium animabus salutiferos fructus exinde provenire sinceris desiderantes affectibus, iis per quae constructiones domorum regularium ac personarum inibi sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium commoditates subsequi possint, favorem apostolicum libenter impartimur, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Nos igitur dilectum filium Innocentium Sarconem ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci professorem, ac commissarium et observantem reformationis ejusdem ordinis in provincia Aquilana divini cultus incrementi ac religionis propagationis amatorem, apud Nos de religionis hujusmodi zelo, vitae munditia, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostoli-

cae potestatis plenitudine, eidem Innocentio fundum unum seu aedificium in civitate Neapolitan. jam ei per dilectos filios communitatem et homines dictae civitatis oblatum cum omnibus juribus et pertinentiis suis de ordinarii censensu juxta praescriptum concilii Tridentini recipiendi et acquirendi, ac in eodem fundo seu aedificio domum unam fratrum ordinis hujusmodi construendi et aedificandi, seu constrni et aedificari faciendi, licentiam et facultatem apost. auct. ten. praes. perpetuo concedimus, et elargimur. Itaque liceat eidem Innocentio fundi seu aedificii ac domus hujusmodi postquam acquisita fuerit, illarumque jurium et pertinentiarum corporalem, realem, et actualem possessionem per se vel alium, seu alios ejus nomine libere apprehendere, et perpetuo retinere, eique desuper indulgemus, ac praedictam domum ex nunc prout ex tunc et e contra postquam constructa, et aedificata fuerit, in domum fratrum ordinis hujusmodi cum ecclesia, campanili, et campanis, ac claustro, dormitorio, refectorio, cellulis, hortis, hortalitiis, aliisque officinis, et fabricis necessariis et solitis pro uno illius ministro, vel guardiano, seu priore et competenti fratrum dicti ordinis numero in eam introducendorum, et ibidem perpetuo juxta eorum regularia statuta Altissimo famulantium, illorumque usu et habitatione motu et auctoritate similibus etiam perpetuo erigimus et instituimus, necnon ministro seu guardiano vel priori, ac fratribus dictae domus pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, indulgentiis etiam plenariis ac perpetuis, et peccatorum remissionibus, concessionibus, et aliis gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus alii dicti ordinis ministri, seu guardiani vel priores, et fratres in genere quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur, et gaudent, ac in futurum uti, frui, potiri, et gaudere poterunt ipsi similiter et pariformiter uti, frui, potiri, et gaudere possint et valeant perpetuo concedimus, et etiam indulgemus, ac omnibus et singulis personis cujusvis status, gradus, honoris, dignitatis, vel conditionis fuerint, ne sub indignationis nostrae ac excommunicationis majoris latae sententiae aliisque nostro, et successorum nostrorum Roman. Pontificum arbitrio imponendis poenis, toties quoties contrafecerint incurrendis, Innocentium ac guardianum, seu ministrum vel priorem, et fratres hujusmodi quovis praetextu, ingenio, vel quaesito colore, vel occasione audeant, seu praesumant super praemissis omnibus et singulis molestare, impedire, vel perturbare per se vel alium seu alios, seu eis contra praemissa omnia et singula aliquod impedimentum praestare districtius inhibemus, necnon concessionem, elargitionem, indulta, erectionem, institutiones, et inhibitionem, praesentesque litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, vel revocari, nec sub quacumque revocatione, modificatione, declaratione seu alia huic contraria dispositione comprehendi posse, sed semper exemptas esse et censeri, sicque per quoscumque judices etc. Quocirca venerab. fratri Archiepiscopo Neapolitan. et dilectis filiis ejus vicario in spiritualibus generali, ac omnibus et singulis judicibus in spiritualibus et temporalibus, et personis in dignitate ecclesiastica constitutis, ac quibusvis aliis ad quos spectat et pertinet, ac quolibet spectabit in futurum motu et auctoritate similibus per praesentes committimus et man-

damus, quatenus ipsi vel duo aut nuns eorum per se vel alium seu alios faciaut auctoritate nostra praesentes et iu eis contenta quaecumque ab omnibus inviolabiliter observari, non permittentes Innocentium ac ministrum seu guardianum vel priorem, et fratres hujusmodi per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xx. Junii Pontificatus nostri anno iii.

LXV.

Eligit Hieronymum Cardinalem de Ruvere protectorem ordinis minorum conventualium. Ex reg. Secret. Brev. iu mense Augusto pag. 33.

Dilecto filio nostro Hieronymo tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. presbytero Cardinali de Ruvere nuncupato.

Defuncto nuper bo. me. Philippo Cardinali Vastavillano ordinis minorum conventualium S. Francisci, dum vixit, apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectore, Nos idoneum et utilem eidem ordini protectorem constituere volentes, te de cujus singulari virtute, prudentia, et integritate plurimum iu Domino confidimus, dicti ordinis illiusque domorum, monasteriorum, personarum, et rerum apud nos et dictam sedem protectorem cum omnibus et singulis auctoritatibus, jurisdictionibus, honoribus, oneribus, praerogativis, caeterisque facultatibus, tam dicto Philippo Cardinali, quam quibusvis aliis ante te ejusdem ordinis protectoribus quomodolibet concessis, et quas illi quovis modo de jure vel consuetudine habere poterunt, seu debuerunt apost. auct. ten. praes. quoad vixeris facimus et deputamus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae modernis et pro tempore existentibus generali, et procuratori generali, caeterisque prioribus, provincialibus, guardianis, fratribus, et personis dicti ordinis, ut te in eorum protectorem juxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter et efficaciter adimplere procurent, ac tibi tamquam eorum protectori obedientiam et obsequia aliis protectoribus ante te per eos praestari solita, praestent et exhibeant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Hortantes nihilominus circumspectionem tuam, ut dictum ordinem, sicut optamus et speramus pro tua praestanti bonitate et charitate, proque tui officii debito ita accurate et diligenter protegas, ut apud Deum bonorum omnium retributorem condignum proemium consequaris, eoque nomine apud nos merito commendari debeas.

Datum Romae apud S. Marcum die xxv. Augusti Pontificatus nostri anno iii.

LXVI.

Franciscus Spera fit Archiepiscopus Nazarien. Ex actibus consistorialibus pag. 78.

Romae apud S. Petrum die 10 *Maii fuit consistorium, in quo*

Sanctissimus D. N. proposuit Ecclesiam Nazarieu. pro fratre Francisco Spera de Firmo ordinis minorum conventualium, olim ejus socio in minoribus dum esset, cum reservatione pensionis 400 scutorum. Deinde replicante collegio reservavit extra consistorium 200.

LXVII.

Praeficitur Episcopus Ecclesiae Chironen. Ex iisdem actibus pag. 88.

Romae in Monte Quirinali die 7 *Augusti feria* 6 *fuit consistorium in quo*

Reverendissimus D. Cardinalis Veronen. proposuit Ecclesiam Chironen. in Insula Cretae pro fratre Baptista Bernino fratrem ordinis minorum conventualium, et fuit expedita etc.

LXVIII.

Praeficitur Episcopus Venusinus. Ex Bull. hujus anni pag. 201.

Dilecto filio Petro Tossinianen. electo Venusin. salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium etc. (Num. xxix.) gubernare. Dudum siquidem etc. Postmodum vero Ecclesia Venusiu. cui bon. mem. Joannes Hieronymus olim Episcopus Venusin. dum viveret, praesidebat, per obitum ejusdem Joannis Hieronymi, qui extra romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione hujusmodi etc. demum ad te ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. et theologiae professorem in presbyteratus ordine constitutum etc. de persona tua etc. teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem curam, et administrationem etc. incrementa. Quocirca discretioni tuae etc. merearis. Quocirca dilectis filiis capitulo, vassallis dictae ecclesiae, ac clero et populo civitatis et dioecesis Venusin. per apostolica scripta mandamus, quatenus etc. gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes etc. observari. Rogamus quoque et hortamur venerab. fratrem nostrum Archiepiscopum Acheruntin. ipsi archiepiscopo per apostolica scripta mandantes, quatenus te et praedictam Ecclesiam dicti archiepiscopi suffraganeam etc. uberius promereri.

Datum Romae apud S. Petrum xii. calendas Martii Pontificatus nostri anno iii.

LXIX.

Hieronymus Bilaqua praeficitur archiepiscopus Nazaren. et episcopus Cannen. et Montisviridis. Ex reg. Secret. Brev. in Bullario pag. 375.

Dilecto filio Hieronymo Bilaqua de Espello electo Nazarien. et Cannen. et Montisviridis.

Divina disponente clementia, cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, sd universas orbis ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus, et pro earum statu salubriter dirigendo, apostolici favoris auxilium adhibemus, sed de illis propensius nos cogitare convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis juxta cor nostrum viri praeficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem et providentiam circumspectam salubriter dirigant, informent, ac bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multis modis efferant incrementis. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium, et in antea vacaturum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum etc. attentari. Postmodum vero Nazaren. et Cannen. ac Montisviridis Ecclesiis invicem perpetuo unitis, quibus b. m. Franciscus Archiepiscopus Nazaren. ac Episcopus Cannen. et Montisviridis dum viveret, praesideret, per obitum ejusdem Francisci Archiepiscopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destitutis, Nos vacatione hujusmodi fide dignis intellecta, sd provisionem earumdem unitarum ecclesiarum celerem et felicem, de quibus nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistenibus supradictis, ne ecclesiae unitae hujusmodi longae vacationis exponantur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eisdem unitis ecclesiis personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. ac theologiae professorem, in presbyteratus ordinem constitutum, confessorem nostrum, vitae ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et temporalibus circumspectum aliisque multiplicum virtutum donis, prout etiam a fide dignorum testimoniis accepimus insignitum, direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, teque a quibusvis excommunicationis etc. censententes, de persona tua nobis et fratribus ipsis ob tuorum exigentiam meritorum accepta, praefatis unitis ecclesiis de eorumdem fratrum consilio apostolica auctoritate providemus, teque Nazaren. unitim in Archiepiscopum, Cannen. vero et Montisviridis ecclesiis hujusmodi in Episcopum praefigimus et pastorem, curam et administrationem earumdem unitarum ecclesiarum, super quorum archiepiscopalis Nazaren. et episcopalium Cannen. ac Montisviridis mensarum fructibus, reditibus, et provisionibus pensio annua ducentorum scutorum, seu ducatorum auri de camera dilecto filio Caesari Todino clerico. Anconitano illam annuatim percipienti, praefata auctoritate, ut etiam accepimus, reservata, seu reservari concessa reperitur, quam salvam esse volumus, tibi in spiritualibus et

temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias, et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino, actus praefatae unitae ecclesiae sub tuo felici regimine regentur utiliter ac prospere dirigentur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas solicite, fideliter, et prudenter, quod ecclesiae unitae praefatae gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeant se commissas, tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca venerabilibus fratribus nostris universis suffraganeis Nazaren. ac dilectis filiis capitulis, et vassallis etiam Nazaren. et aliarum unitarum ecclesiarum hujusmodi necnon clero et populo civitatum et dioecesum Nazaren., et Cannen. ac Montisviridis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capipiti obsequentes, et capitula tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia, gratus sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare, ac clerus te pro nostra et dictae sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipient humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eos devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli vero praefati te debito honore presequentes tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam respective rite tuleris, seu protuleris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque et hortamur attente venerab. fratres nostros Amalphitan. et Consan. Archiepiscopos illis per eadem scripta et mandata, quatenus te ac praedictas ecclesias Cannen. et Montisviridis suas respective suffraganeas habentes pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatos, sic te benigni favoris auxilio prosequantur, quod tu eorum fultus praesidio, in commisso tibi curae pastoralis officio possis, Deo propitio, prosperari ipsique Archiepiscopi perinde divinam misericordiam ac nostram et ejusdem sedis benedictionem et gratiam valeant uberius promereri.

Datum Romae apud S. Petrum IV. nonas Decembris Pontificatus nostri anno III.

LXX.

Eligitur Archiepiscopus Corcyrensis. Ex actibus consistorialibus pag. 67.

Romae apud S. Petrum feria 4 die 14 Januarii fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Cornelius proposuit Ecclesiam Corcyren. pro Joanne Baldo ordinis minorum de observantia cum expeditione gra-

tiosa, et omnibus annnentibus SS. D. N. praefecit illnm dictae Ecclesiae in Archiepiscopum et pastorem, et qnod gratias etc.

LXXI.

Ut Franciscus Panigarola possessionem capiat suae ecclesiae Asten. Ex regesto Secret. Brev. in mense Novemb. et Decemb. pag. 107.

Vener. Fratri Francisco episcopo Asten. nuper Chrysopolitan.

Cum Nos nuper personam tuam Nobis et venerab. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuam exigentiam meritorum acceptam, de eorumdem fratrum consilio a vinculo, quo ecclesiae Chrysopolitanae in partibus infidelium, cui tunc praeeras tenebaris, absolvimus, et ad ecclesiam Asten. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam de simili consilio transtulerimus, praeficiendo te eidem ecclesiae Asten. in episcopum et pastorem, curam et administrationem dictae ecclesiae Asten. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout litteris desuper sub plumbo expediendis latius explicabitur. Nos ne interim in ecclesia ipsa Asten. aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineat providere, simulque commoditati tuae consulere volentes, tibi, ut vigore praesentium per te vel procuratorem tuum possessionis, seu quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae Asten. et illius bonorum apprehendere, illiusque mensae episcopalis fructus, reditus, et proventus percipere, exigere, et levare, ac in tuos usus et utilitatem convertere, necnon ea quae jurisdictionis existunt, facere et exercere libere et licite valeas in omnibus et per omnia, perinde ac si litterae praedictae expeditae fuissent, dicta auctoritate ten. praes. de speciali gratia indulgemus. Mandantes dilectis filiis capitulo et vassallis dictae ecclesiae, ac clero et populo civitatis et dioecesis Asten. ut tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, ipsique vassalli consueta servitia et jura tibi ab eis debita integre exhibeant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris, seu protuleris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctoritate Domini usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die v. Octobris Pont. nost. an. III.

LXXII.

Fit Episcopus Osnaburgen. Ex actibus consistorialius pag. 85.

Romae apud S. Petrum feria 2 die 24 Maii fuit consistorium, in quo

Sanctissimus Dominus noster providit Ecclesiam Osnaburgen. in Germania de persona fratris Bonaventurae de Aqnila cum gratia aliqua etc.

LXXIII.

Praeficitur Episcopus Ecclesiae Hondurarum. Ex iisdem actibus pag. 106.

Romae apud S. Petrum feria 2 die 16 Novembris fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Aldobrandinus proposuit ecclesiam de Honduras in Indiis pro fratre Gaspare ordinis minorum de observantia, et omnibus annuentibus fuit expedita etc.

LXXIV.

Transfertur ad Ecclesiam Carthaginen. in Hispania. Ex iisdem actibus pag. 115.

Romae in Monte Quirinali apud S. Mariam Majorem feria 2 die 12 Octobris fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Aldobrandinus proposuit Ecclesiam Carthaginen. in Hispania pro fratre Antonio Episcopo Veraepacis in Indiis nominato a Rege Catholico, et omnibus annuentibus fuit translatus ad dictam Ecclesiam Carthaginen.

LXXV.

Instituit commissarium provinciae Terrae Laboris Ex reg. Secr. Brev. in mense Septembri pag. 170.

Dilecto filio Hieronymo Interamnen. ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia ac theologiae professori salutem et apostolicam benedictionem.

Cum provincia Terrae Laboris fratrum minorum de observantia careat ministro provinciali, ne sic monstruosa sine capite aliquid jacturae patiatur; volentes ex hac et aliis causis legitimis pro debito pastoralis officii, necessitatibus dictae provinciae salubriter providere, auctoritate apostolica tenore praesentium, te in commissarium instituimus et delegamus super ipsam provinciam, et illius omnes fratres et sorores, conventus, loca, et monasteria ejusdem instituti, ad ipsam regendam, visitandam, corrigendam, et gubernandam usque ad beneplacitum nostrum. Dantes tibi plenariam facultatem et potestatem ad hoc munus rite ac recte obeundum necessariam et opportunam. Itaque omnia et singula agere et exequi possis et debeas, quae hujusmodi commissariis conceduntur secundum normam regulae, atque generalium dicti ordinis constitutionum. Proinde omnibus fratribus, et sororibus ipsis in virtute sanctae obedientiae districtius praecipiendo mandamus, ut tibi in omnibus, quae tui

muneris erunt, firmiter obediant, quos et quas rursum paterno sinu fovere non desines.

Datum Romae apud S. Marcum die XXIV. Septembris Pontificatus nostri anno III.

LXXVI.

Pro Matthaeo Salernitano. Ex reg. Secr. Brev. in mense Julio pag. 228.

Dilecto filio fratri Matthaeo Salernitano ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professori, et ejusdem ordinis in provincia S. Jacobi in Compostella commissario et procuratori generali salutem et apostolicam benedictionem.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod alias postquam dilectus filius fr. Franciscus Gonzaga ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum professus in ipsius ordinis ministrum generalem electus fuerat, te in universo orbe christiano ad recipiendum et recuperandum quascumque eleemosynas tam ordinarias quam extraordinarias ad Sanctum Sepulchrum dominicum, et alia loca sancta transmarina spectantes, illasque tam in reparatione ipsorum locorum, quam in sustentandis pauperibus fratribus dicti ordinis in illis partibus divino obsequio insistentibus, prout necessitas exigeret, applicandum deputasset, tuque officium hujusmodi spatio triennii vel circa, quo dictas eleemosynas perpetuas et ordinarias in quingentis ducatis annuis pie tibi a diversis personis in partibus Hispaniarum, intuitu dictorum locorum erogatis adauxisti, exercuisses, demum ad Urbem personaliter accessisti, factoque novo tui ordinis ministro generali, ab eo per novas patentes litteras in hujusmodi officio confirmatus extitisti. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, tu postquam aliquas eleemosynas a charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege catholico in Neapolitan. et Siciliae regnis jam factas, nonnullasque alias in curia charissimi in Christo filii nostri Rodulphi in Romanorum Imperatorem electi collegeris, intendas, Deo adjuvante, ad praedicta loca transmarina tam pro singulari tua devotione, quam ut eorum statui et augmento provideas te conferre, ac paramenta magni valoris ad ipsum Sepulchrum dominicum transportare. Quare ut haec omnia et alia tuum officium concernentia facilius et melius exequi et adimplere valeas, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus deputationem de persona tua, ut praefertur, factam confirmare et approbare, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur in hujusmodi et pio et laudabili tuo proposito confovere volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac patentium litterarum aliorumque praemissorum tenores et circumstantias praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, deputationem praedictam et illius confirmationem, ac patentes litteras praefatas, et quia convenit hactenus et in futurum conveniet, te syndicos et procuratores devotos ac principales occasione earumdem eleemosynarum et pro eis fideliter recipiendis constituere et deputare, quascumque hujusmodi syndicorum deputationes per te ubilibet factas et tuo hujusmodi officio durante faciendas, apost. auct. ten. praes.

approbamus et confirmamus, omnesque et singulos defectus, si qui desuper intervenerint supplemus, et nihilominus tibi, ut dictum officium exercendo de parte pecuniarum, quae ad tuas manus pervenerint, in tuis ac sociorum tuorum occurrentiis et necessitatibus dispensare absque tuae regulae transgressione libere et licite valeas, auctoritate et tenore praemissis licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus etc. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Marcum V. idus Julii Pontif. nostri anno III.

LXXVII.

Pro fr. Bernardo de Laccio custode fratrum de observantia in Albania. Ex reg. Secr. Brev. in mense Maio pag. 282.

Dilecto filio Bernardo de Laccio moderno ac pro tempore existenti custodi ordinis fratrum minorum de observantia custodiae Albaniae in partibus infidelium salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus ac pium studium, quibus tu, atque alii tui ordinis fratres christifidelium animas in istis maxime regionibus spiritualibus solatiis indigentes sincera charitate assidue confovetis, certam Nobis fiduciam praebent, fore ut facultatibus vobis per Sedem Apostolicam concessis salubriter ac prudenter ad Dei gloriam, eorumdemque fidelium fructuum utamini: ideoque nos libenter ea, quae ab eadem sede vobis hac de causa indulta fuerunt, nostra auctoritate approbamus. Dudum siquidem fel. rec. Pius PP. IV. praedecessor noster tunc existentis custodis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum custodiae Albaniae in partibus infidelium supplicationibus inclinatus, eidem tunc et pro tempore existenti custodi dictae provinciae, ut in partibus suae custodiae totius Albaniae; seu illius regionis sub ditione Turcarum existentis per se, vel alium seu alios tot quot ex dictis fratribus ad id, necnon ad audiendum confessiones christifidelium utriusque sexus duceret deputandos, quoscumque tam christifidelium hujusmodi prolem, quam etiam turcas, et alios infideles baptizare, ac quaslibet utriusque sexus personas tam ecclesiasticas quam saeculares cujuscumque status, ordinis, vel conditionis forent, confessionibus illarum diligenter auditis, ab omnibus et singulis earum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam talibus, quod super eis Sedes Apostolica merito consulenda esset, ac quibuslibet ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis per eos propterea quomodolibet incursis, contentis in Bulla die Coenae Domini legi solita dumtaxat exceptis, auctoritate apostolica absolvere, et illis pro commissis poenitentiam salutarem injungere, necnon Eucharistiae omni tempore, praeterquam in die Resurectionis D. N. Jesu Christi, ac etiam in dicto die Resurectionis tam Eucharistiae, quam omni tempore extremae unctionis, ubi tamen non esset presbyter saecularis curatus, seu si ibi foret de ejus licentia sacramenta ecclesiastica administrare, illaque ad infirmos deferre, et quoscumque matrimonium invicem contra-

here volentes, nullo canonico impedimento obstante, matrimonialiter, et in facie ecclesiae copulare, nuptias benedicere, et solemnizare, ac ecclesias sanguinis, vel seminis effusione, aut quavis alia de causa pollutas, aqua prius per catholicum antistitem benedicta respersas in ordinarii loci absentia reconciliare, ac loca quaecumque eis in dictis partibus infidelium pro tempore pro divinis celebrandis ac usu et habitatione fratrum hujusmodi concessa, et concedenda recipere, et illa, ac quaecumque alia bona immobilia in dictis partibus consistentia retinere et inhabitare absque conscientiae scrupulo, seu censurarum incursu libere et licite valerent, liceretque custodi, et fratribus per dictum, et pro tempore praefatae custodiae custodem approbandum altare portatile cum debitis reverentia et honore habere, super quo in locis congruentibus, et honestis celebrare possent, concessit, et indulsit per suas in forma brevis litteras sub. dat. die xxvii. Septembris anno Domini mdlxv. Pontificatus sui vi. expeditas, prout in illis plenius continetur. Cum autem sicut nobis nuper exponi fecisti exemplo eorum, qui hactenus pro tempore fuerunt dictae custodiae custodes facultatibus hujusmodi ad salutem animarum spiritualemque consolationem christifidelium in illis partibus degentium uti intendas, et pro illarum subsistentia firmiori cupias litteras hujusmodi per nos approbari, propterea nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos quibus universi gregis dominici nostrae curae divinitus commissi salus praecipue cordi est, atque eorum maxime, qui in ipsis faucibus hostium christiani nominis versantur, ac propriores periculo sunt, tuis supplicationibus inclinati, litteras praedictas, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, auct. apost. ten. praes. ita moderamur, ut scilicet tu, aut custos pro tempore existens per vosmetipsos, vel alium, seu alios tui ordinis fratres ad hoc idoneos, ab ordinariis locorum si ibi fuerint pro tempore approbatos, per te vel custodem hujusmodi pro tempore existentem deputandos, ubi proprius parochus non existit, aut commode haberi non potest, baptizare, ac sacram eucharistiam omni tempore praeterquam in Pascha, et tunc etiam eo tempore ubi proprius sacerdos, aut parochus similiter non existit ministrare, necnon eamdem sacram Eucharistiam ad infirmos deferre, ac illam et extremae unctionis sacramentum eisdem infirmis ministrare, et exhibere, matrimonia in facie ecclesiae solemnizare, nuptiasque benedicere, in iis tamen locis dumtaxat in quibus proprius parochus saecularis, vel alius curatus non existit, nec alias, et sine alicujus praejudicio libere et licite valeatis; easdem vero ipsius praedecessoris litteras, quoad facultatem audiendi confessiones christifidelium ampliantes, tibi, ac pro tempore existenti custodi, ut etiam per vosmetipsos vel alium, seu alios tui ordinis fratres, ut supradictum est, approbandos et deputandos, quoscumque christifideles utriusque sexus, quorum confessiones vos audire contigerit, non solum in praedictis casibus Sedi Apostolicae, verum etiam in bulla die Coenae Domini legi consueta, aut alias nobis, et eidem sedi quomodolibet reservatis, et reservandis praeterquam homicidii, et mutilationis membri in episcopo, vel in alia persona ecclesiastica commissi, in foro conscientiae dumtaxat, dummodo res in judicium deducta non sit, absolvere, injunctis inde eis, et eorum cuilibet poenitentia salutari, ac debita sati-

sfactione, et aliis, quae de jure fuerint injungenda, similiter libere et licite possitis, et valeatis dicta auctoritate concedimus, et indulgemus. Ac demum quoad reliqua omnia supradicta et caetera in illis contenta, quatenus praesenti nostrae moderationi non adversentur, auctoritate et tenore praemissis ad decennium tantum, et non ultra approbamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, eisque approbationis nostrae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque et quoscumque juris et facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, eademque omnia, quae in illis expressa sunt juxta formam et tenorem praesentium nostrarum litterarum de novo, quatenus opus sit, concedimus, et indulgemus. Non obstantibus vestra quam professi estis regula, necnon praedictis die Coenae Domini legi solitis litteris, ac piae me. Bonifacii PP. VIII. etiam praedecessoris nostri et aliis apostolicis etc. Quibus omnibus illorum veriores tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut tam praesentes nostrae, quam dicti Pii praedecessoris litterae prr decennium a data earumdem praesentium numerandum nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud S. Petrum die viii. Maii Pontif. nostri anno iii.

LXXVIII.

Plura largitur fr. Bernardino de Ragusio. Ex reg. Secr. Brev. in mense Decembri pag. 350.

Dilecto filio Bernardino de Ragusio ordinis minorum de observantia professori salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut Nobis exponi fecisti, in provinciis Poseca et Temisvar et adjacentibus locis, positis in partibus regni Hungariae et finitimarum regionum Turcarum tyrannidi subjectis, reperiantur in centum fere oppidis seu villis plurimae plebes et copiosus numerus christianorum, qui inter alias ingentes calamitates, quibus assidue in tyrannica infidelium servitute premuntur, carent omnino sacerdotibus clericis et religiosis personis, a quibus ecclesiastica sacramenta percipiant, et Dei verbum, sacras missas, et alia divina officia audiant, ac propterea tu christianae fidei juvandae et conservandae, et pietatis studio permotus, et animarum christifidelium illic commorantium salutis zelo accensus, ad eas partes cum dilectis filii Stephano Bosnensi monacho ordinis S. Benedicti Congregationis Meliten. et Antonino de Ragusio ordinis fratrum praedicatorum professore et aliquot aliis presbyteris sociis, de tuorum illorumque superiorum licentia, et cum nostra benedictione te conferre desideres, ut una cum illis valeas eisdem fidelibus divinum verbum praedicare, sacramenta ministrare, divina officia et alia ecclesiastica munia praestare; praedictos autem Stephanum et Antoninum ac alios socios hujusmodi sine nostra licentia aut mandato habere non possis; idcirco nos salutare hoc tuum propositum et devotionem plurimum in Domino commendantes, in primis tibi ac eisdem Stephano et Antonino, necnon aliis sociis, qui tecum ve-

nient, paternam nostram benedictionem impartimur: deinde piis tuis in hac parte votis libenter annuentes, ut commodius paemissa ad omnipotentis Dei gloriam et honorem adimplere et exequi possis, quo majori fueris facultate suffultus, tibi ut praenominatos Stephanum et Antonium, necnon aliquot alios religiosos viros idoneos et probatos tam tui fratrum minorum de observantia, quam cujusvis alterius ordinis professores laicos aut in sacris et presbyteratus ordinibus constitutos, de suorum tamen licentis superiorum, in socios ad hujusmodi munus exequendum assumere et tecum adducere; quibus quidem tu tamquam guardianus seu illorum superior, quamdiu in dictis partibus vos commorari contigerit praesis, vel alius vestrum de communi consensu eligendus praeesse debeat, sub generali obedientia et superioritate venerab. fratris Nicolai episcopi Samandriensis in spiritualibus et pontificalibus administratoris et visitatoris in regno Bosnae Argentinae nostra auctoritate deputati.

Ac ut etc. (*Vide ad an.* MDLXXXVI. *pag.* 81. §. 1.)

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Decembris Pontificatus nostri anno II.

LXXIX.

Jubet ne extrahantur libri ex bibliothecis minorum de observantia. Ex Bull. Laertii Cherubini tom. 2. pag. 452.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus nonnulli parum attendentes procedere via quae ducit ad salutem, sub variis respectibus ausi fuerunt, et in dies audent contra formam litterarum fel. rec. Pii Papae V. praedecessoris nostri in forma brevis sub datum Romae IV. Novembris MDLXVIII. Pontificatus sui anno IV. asportare libros, quinterna, folia, et res existentes in bibliothecis monasteriorum, seu domorum fratrum S. Francisci de observantia.

§. 1. Idcirco volentes plenius providere praedictis, tenore praesentium motu proprio, ac ex certa scientia nostra et de apostolicae potestatis plenitudine, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto sine alia declaratione per contravenientem in singulis casibus infrascriptis incurrenda, a qua nisi a Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo possit absolvi, et nisi in primis satisfacto omni damno dictarum bibliothecarum, mandamus omnibus ministro ac commissario generalibus, ministris provincialibus, commissariis, guardianis caeterisque fratribus quocumque nomine dicti ordinis aliisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis saecularibus et regularibus, cujusvis status, ordinis, conditionis, etiamsi dignitate pontificali praefulgeant, vel alias hic specifice nominandi fuissent, praesentibus et futuris, ne sub quovis praetextu, causa, et ratione, etiam quibus dici posset, si Nobis expressa fuissent vel de his cogitavissemus, non sic ordinavissemus, audeant seu praesumant neque aliquis eorum audeat seu praesumat per se vel alium, seu alios, nec pro minimo quidem temporis spatio dictos libros, quinterna, folia, nec res aliquas in dictis bibliothecis amovere, asportare, tollere, seu amoveri, asportari, aut tolli facere vel consulere, neque vel facto in aliquo ex praedictis alicui auxilium aut opem praestare. Quinimo quilibet ex praedictis

teneatur, quicquid in praedictis audiverit, aut sciverit factum vel fieri tentatum in praejudicium dictorum fratrum eorumque bibliothecarum notificare guardiano, et in ejus absentia vicario domus, seu monasterii, in cujus bibliotheca aliquid ex praedictis contigerit. Qui guardianus et vicarius teneatur, juxta omne eorum suorumque superiorum et aliorum quorumcumque posse, quorum auxilio indiguerint, quod per quoscumque praestari eis mandamus, curare cum effectu omnia restitui in pristinum, et satisfieri omni damno successu in dicta bibliotheca per culpabiles in praedictis.

§. 2. Et nihilominus pro potiori cantela et securitate praedictorum mandamus sub eisdem poenis, necnon privationis vocis activae et passivae, inhabilitatisque perpetuae ad quaelibet officia dictae religionis unquam obtinenda et exercenda omnibus et singulis dictorum monasteriorum guardianis quandocumque electis, ne sub quovis praetextu, causa, et ratione hic alias necessario exprimendis audeant assumere officia guardianatus, neque in eo verbo seu facto se ingerere, nisi prius in praesentia discretorum loci, seu monasterii in quo fuerit aliqua bibliotheca, cum fuerit plenum et perfectum inventarium omnium et singulorum librorum, quinternorum, et filiorum anni et loci impressionis, coperturaeque praedictorum, ac alterius cujusvis certioris, et magis specialis specificationis dictorum librorum, quinternorum, foliorum, et rerum, quod inventarium completum debeat subscribi a dicto guardiano et discretis, dictique inventarii exemplar ad verbum cum similibus suscriptionibus transcribi in uno libro, ad hunc solum effectum tanto et perpetuo conservato in capsula vel loco, in quo solent deponi sub clavibus eleemosynae pro tempore dictis domui, monasterio, ac fratribus factae. Qui libri, quinterna, folia, resque quaelibet praedictae debeant per simile inventarium, et inventaria, ut supra scribenda a dictis guardiano et discretis, et in dicto actu consignationis cum veteribus proxime praecedentibus, et aliis, quibus opus erit, ratiocinata et collata per guardianum jam officium complentem, seu a dicto officio guardianatus seu commissariatus discedentem consignari ejus in officio successori, et ab eodem successore in praesentia supradictorum subscribi, sic perpetuo ab omni guardiano seu ejus vicesgerente antequam assumat munus dicti guardianatus, vel in eo verbo seu facto se intromittat; quae inventaria pariter fiant formis et modis supradictis, renoventur a guardianis existen. in officio tempore dat. praesentium. Quod inventarium quilibet minister provincialis, et dictae provinciae commissarius teneatur singulis annis sui officii in praesentia dicti guardiani et discretorum ejus domus et monasterii revidere, et quod additum non fuerit, aut ex dictis bibliothecis asportatum fuerit facere addere dictis inventariis, ac in dictas bibliothecas reportare dictisque additionibus et inventarii una cum praedictis guardiano et discretis se subscribere.

§. 3. Quod si singula praedicta, ut supra ordinata, facta non fuerint, volumus et decernimus ultra praedictas poenas, dictum guardianum, ministrum, et commissarium statim sine aliqua declaratione intelligi privatos, prout privamus ex nunc prout ex tunc semper officio guardianatus, ministratus, aut commissariatus quod tunc gerit, neminemque de caetero ei obedire volumus, et eumdem sic ut supra in omnibus non obedientem declaramus inhabilem ad quaevis officia dicti ordinis per ipsum un-

quam gerenda. Et nihilominus quilibet ex praedictis ministris, commissasariis, guardianis, et fratribus nunc et pro tempore existentibus dicti ordinis minorum asportans aliquid, aut asportari consulens, aut opem aut auxilium, ante vel post, vel in ipso actu asportandi, verbo seu facto praestans extra dictas bibliothecas contra formam praesentium, debeat ab ejus immediate superiori incursuro sine alia declaratione statim dictas omnes poenas; si haec omnia debitae executioni non mandaverint, incarcerari, et in carceribus detineri per sex menses continuos, neque elapsis dictis sex mensibus possit de dictis carceribus liberari, nisi refectis omnibus damnis dictae bibliothecae, et omnibus restitutis in pristinum, decernimusque praesentes quemlibet eorum concernen. arctare ad earum observationem in Italia post quatuor menses, extra vero Italiam post octo menses, in partibus vero Indiarum ac locorum de novo repertorum post biennium a data praesentium.

§. 4. Nec de subreptionis, nec etiam intentionis nostrae, vel quolibet alio defectu, aut vitio, cogitato vel incogitato redargui posse, nec contra has aliquid dici nec ignorantiam aut illorum inobservantiam posse allegare, sed plenissime ad litteram observare, sublata aliter declarandi, interpretandi cuilibet etiam S. R. E. Cardinali et causarum palatii apostolici auditori, facultate et auctoritate; irritum at inane decernentes, quicquid in contrarium factum fuerit.

§. 5. Non obstantibus praemissis etc.

§. 5. Et quia difficile foret etc.

Datum Romae apud S. Marcum die III. Octobris Pontificatus nostri anno III.

LXXX.

Ne recipiantur in ordine illegittimi et criminosi. Ex Bull. Laertii Cherubini tom. 2. pag. 456.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum de omnibus ecclesiasticis ordinibus, in ea quae convenit puritate et dignitate conservandis, praecipuam geramus solicitudinem, tum vero illud praeter caetera Nobis cordi est, ut a regularium personarum congregationibus, quas tamquam Deo dicatas, maxime candor sanctitasque decet, cujuscumque criminis aut turpitudinis labes, et scandali occasio quam longissime arceantur. Siquidem res ipsa nos admonet, quam indecorum sit ab ea, quae divinae majestati, eique consecratis personis debetur reverentia, alienum si ejusmodi homines, qui propter sua scelera poenas graves sibi in saeculo propositas timent, quive propter immunditiam et peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetuo ignominia, ab omni mundano honore, et a paterna haereditate repelluntur, iidem omnipotenti Deo tamquam hostiae offerantur, atque ad habitandum in domo quam decet honor et sanctitudo, inter ministros Domini, cui servire regnare est, ad sacras functiones, quacumque profana praeeminentia multo nobiliores sine ullo delectu admittantur. Cum etiam secundum legem Moysi immundi ab ingressu sanctuarii excluderentur, ac sacerdos habens maculam panes Deo suo offerre non posset, nec accedere ad ministe-

rium ejus, et quod in holocaustum Domini aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, ut acceptabile foret nec ulla macula esset in eo, quod si maculam habuisset, neque offerendum, neque acceptabile futurum esset.

§. 1. Ne igitur contingat illegitime genitos, qui ut plurimum parentum vitia et incontinentiam imitari solent, nec pietatis studio, sed temporalium commodorum intuitu (quia haereditas majorum, aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad religionem confugiunt vitamque animo a religione alieno susceperunt ac institutis religiosis alienam, plerumque cum dedecore et propriae salutis dispendio ducere, suisque corruptis moribus et malis exemplis quietem et statum caeterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi faece et colluvie, ipsarum religionum honorem et extimationem laedi, ut denique homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eo magis abstineant ab hujusmodi carnis flagitiis, quo suae proli hoc quoque refugium praeclusum viderint.

§. 2. Hac nostra in perpetuum valitura constitutione districte interdicimus et prohibemus, ne illegitimi procreati ex incestu, aut ex sacrilegio (quorum scilicet parentes consanguinitate vel affinitate intra tertium gradum invicem conjuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo voverit) etiam apostolica, imperiali, vel regia, aut quavis alia auctoritate legitimati, aut natalibus restituti ad aliquam quorumcumque ordinum, etiam mendicantium, et non mendicantium fratrum, monachorum, eremitarum, vel canonicorum, aut clericorum regularium, congregationum aut hospitalium religionem, neque ad habitum nec professionem regulares recipi vel admitti quoquomodo possint. Quod si eorum quispiam habitum post publicationem praesentis constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus habitus susceptionem et professionem ex nunc prout ex tunc irritam, nullam, et invalidam, nulliusque roboris vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex hujusmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri posse, quinimo illos habitu regulari, ad quem reassumendum perpetuo inhabiles sint, quamprimum exui, et ab ipsa religione ejici exterminarique debere. Et nihilominus quicumque superiores tam monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, domorum, collegiorum et locorum regularium, quam etiam praefatorum ordinum, congregationum, hospitalium, et quarumcumque religionum provinciales vel generales, quovis nomine nuncupati, qui ex praedictis incestu vel sacrilegio genitos post dictam publicationem ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua eorum nemo, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Sed ne iis, qui in humilitatis spiritu Deo et religioni servire, et poenitentiam agere intra monasteria, vel domos regulares cupiunt, ad sanctum hujusmodi propositum via penitus praecludatur, permittimus, ut praefati illegitimi ex dictis incestu aut sacrilegio geniti, ad habitum conversorum seu famulorum in monasteriis vel domibus regularibus servientium recipiantur, et in ipsis monasteriis, seu domibus regularibus ad servilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones, atque abjecta servitia admitti pos-

sint, ea tamen conditione, ut ad habitum religiosorum, vel ad professionem quam religiosi emittere solent, emittendam, necnon ad omnes non modo sacros, sed etiam minores ordines, vel ad clericalem characterem, denique ad cuncta ecclesiastica officia et functiones, et ad ascendendum altiores gradus, sint eis portae perpetuo clausae et obseratae.

§. 3. Quoad reliquos vero non ex incestu praefato, nec sacrilegio, sed ex quovis alio minus legitimo toro natos spurios, vel naturales etiam, ut praefertur, vel alias legitimatos, qui ob meliorem vitae frugem religionem ingredi cupiunt, statuimus et ordinamus, eos ad religionem admitti non posse aut debere, nisi prius illorum vita et moribus diligenter cognitis, et circumstantiis universis, quae circa idoneitatem personae attendendae erunt, consideratis, ac de religionis zelo, pietate, integritate, et doctrina fide dignis testimoniis adeo commendati fuerint, adeo bonam indolem, et specimen virtutis praeseferant, ut defectum natalium suppleant, eorumque receptio universae religioni commodo et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso in generali vel provinciali capitulo matura deliberatione habita, generalis vel provincialis superioris, ac definitorum unanimi consensu approbati ad habitum regularem admissi extiterint. Et tamen hi sic recepti, ad gradus, honores, et dignitates sui ordinis obtinen. perpetuo inhabiles et illorum incapaces remaneant, nisi super hoc cum eis fuerit auctoritate apostolica specialiter dispensatum. Si quis autem eorum alias quam, ut praefertur, recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu privari, et a religione ejici debeant, eorumque receptores, excommunicatione, ut supra, innodati ipso facto existant.

§. 4. Ceterum quoniam saepe se vitia ingerunt, et se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem et contractam ingentem vim aeris alieni, aut interversam alienam pecuniam eorum fidei creditam, ut ratiocinia effugiant; alii post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliave facinora patrata, etiam banniti aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis poenas metuunt, non pia intentione, sed ad evitandam legum et judiciorum severitatem, quia tuto in saeculo vivere non possunt, tunc demum quaerunt a religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, unde sub habitu et nomine religiosorum animum religioni inimicum, et inveterata vitia retinent, neque alios qui sancta vocatione vocati sunt, patiantur tranquille divinis obsequiis insistere in gravem Dei offensam, religionis opprobrium, et scandalum plurimorum; ut his quoque subterfugii et impunitatis spes omnis tollatur, auctoritate apostolica et tenore praesentium etiam perpetuo statuimus et ordinamus, juvenes, aut viros adultos majores sexdecim annis, non aliter in aliquam religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita et moribus diligenter inquiratur, et ex accusata informatione, et fide digna relatione compertum et exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia vel alia similia aut graviora reos vel suspectos existere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neve ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut ex hujusmodi causa lis vel molestia eis jam illata vel timendum sit, ne inferatur. Nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed

tantum devotionis et pietatis favore vitam religiosam sponte et ex animo elegisse; deque his omnibus in generali vel provinciali capitulo plena et indubitata fide facta, tam superioris generalis, seu provincialis, quam definitorum consensu approbati, et ad habitum regularem admissi fuerint. Omnes autem, et quoscumque, ut dictum est, criminosos, vel suspectos aut aere alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad religionem perpetuo inhabiles declaramus.

§. 5. Et si qui eorum contra praesentem nostram constitutionem temere admittentur, tam susceptionem habitus, quam professionem, et inde secuta, ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus et annullamus viribusque, et effectu carere decernimus ac jubemus, eos qui sic de facto recepti erunt habitu spoliari, et a religione expelli; et nihilominus si expulsi non fuerint, volumus et pariter declaramus, habitus susceptionem et professionem penitus nullam esse et censeri, ac propterea attenta nullitate habitus et professionis, licere quibuscumque judicibus et curiis etiam saecularibus, ad quos seu quas spectat, contra eos, ut prius juris et facti remediis opportunis ex officio, vel ad cujuscumque instantiam, vel querelam civiliter, criminaliter, aut mixtim procedere. Quare volumus, ut cujuscumque juvenis aut viri majoris xv. annis a saeculo ad religionem transeuntis, approbatio, admissio, et receptio in generali vel provinciali capitulo, ut supra ordinatum est, tempore fiant, necnon religiosi sic recepti nomen et cognomen, quibus in saeculo utebatur, et patria in actis ipsius capituli describantur et notentur.

§. 6. Et insuper quoscumque religiosos, eorumque superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles post hanc constitutionem publicatam receperint, voce activa et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus, dignitatibus quibuscumque eos obtentis, eo ipso in perpetuo privamus, et tam illis privatos, quam ad illa quaecumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus et declaramus.

§. 7. Sed et quia interdum satanas in angelum lucis se callide transfigurat, ac perditi quidam et facinorosi homines, quod saepe vidimus, et experti sumus, instigante antiquo pacis et religionis hoste, non veriti sunt temerario ausu habitum religiosorum assumere ea mente, ut veluti sub ovina pelle lupi rapaces per dolum et insidias christifideles incautos, et nihil mali a religiosis suspicantes, opprimerent, sive ut post scelera perpetrata viam faciliorem ad fugam haberent, sive ut banniti curiae saecularis, quae eos propemodum interceptos persequebatur, manus effugerent, et contigit aliquando ipsos sicarios religiosis vestibus indutos a veris religiosis hac fraude deceptis, intra domus regulares hospitio receptos fuisse. Prohibemus eodem modo atque interdicimus, ne quis regularis ex una provincia ad aliam provinciam sui ordinis transeundo, etiam in itinere, intra aliquod monasterium, domum, vel locum alterius provinciae ad habitandum, vel tamquam hospes recipi, aut ad modicum tempus divertere possit, nisi a superiore ejus loci ubi residet expressam licentiam discedendi in scriptis obtentam, seu litteras obedientiae, vel commendatitias secum deferat, atque exhibeat, vel nisi ita cognitus sit iis, ad quos diverterit, ut de ejus persona nullus omnino dubitationi aut suspicioni locus relinquatur. Ideoque praecipimus universis

et singulis locorum ordinariis, eorumque vicariis in spiritualibus, ut per suos officiales, ministros, vel executores curent, ab omnibus personis regulari habitu indutis, quos per suas civitates vel dioeceses iter facere vel transire, et ad quaecumque hospitia vel diversoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num hujusmodi litteras obedientiae, seu commendatias secum deferant. Quod si eos dictas litteras non habere vel ignoratos esse deprehenderint, possint contra ipsos, etiam tamquam dictorum criminum suspectos procedere, et tamdiu illos sub custodia detinere, donec certa de eisdem notitia habeatur. Et tamen volumus, ut ii, qui etiam pietatis vel hospitalitatis praetextu, regulares alterius provinciae ignotos, aut sine licentia vel litteris, ut supra receperint, dictas poenas privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum, graduum, bonorum, dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuae pariter incurrant.

§. 8. Decernentes sic in praemissis omnibus per quoscumque judicari debere, necnon irritum et inane si secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quocirca venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus dictorum ordinum, congregationum, hospitalium, et locorum regularium apud Nos et Sedem Apostolicam protectoribus nunc et pro tempore existentibus, ac locorum ordinariis praefatis per apostolica scripta mandamus, ut eorum unusquisque per se vel alium, seu alios, Cardinales quidem in suae protectionis, ordinarii vero in suarum civitatum, dioecesum, et districtuum regularibus locis curent praesentes litteras publicari, easque perpetuo firmiter et inviolate observari, inobedientes censuras et poenas etc.

§. 10. Non obstantibus etc.

§. 11. Mandamus vero easdem praesentes etc.

§. 12. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud S. Petrum VI. calendas Decembris Pontificatus nostri anno III.

LXXXI.

Revocat licentias ingrediendi monasteria monialium in Regnis Hispaniarum. Ex Bullar. Cocquelines tom. V. part. 1. pag. 165.

Ad futuram rei memoriam.

Quoties gratiae, indulta, vel alia privilegia a Sede Apostolica concessa, licet ad spiritualem piarum mentium consolationem ab initio tendant, si temporis tamen successu religiosarum personarum animabus detrimentum vel incommodum afferre dignoscantur, religionis, et charitatis ratio suadet, ut illa salutari praesidentis consilio submoveantur.

§. 1. Quocirca pro commisso divinitus Nobis officio sanctimonialium quieti, et tranquillitati consulere, ac omnia quae illas a divino cultu, et a spiritualium cogitatione, et exercitio avocant, cum ex frequentibus saecularium mulierum visitationibus, et colloquiis, earum devotio intepescere soleat, debitaque per eas in claustris ministeria paulatim dimittantur, impedimenta tollere, atque pericula, et scandala ab eis removere cupientes, quo scilicet ipsae nulla re praepeditae, juxta ordinum suorum regularia instituta, ac decretum sacri Concilii Tridentini tranquillis men-

tibus Altissimo praestare possint famulatum, sicut ab eamet die, qua universae ecclesiae Dei praesse coepimus, in cunctis orbis terrarum partibus id statuere nobis in mentem veniebat: ita hoc tempore in Hispaniarum regnis, et dominiis, ubi charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Catholicus pro ejus eximia in Deum pietate id fieri ad evitanda hujusmodi incommoda, et scandala (ut nobis relatum fuit) haud modiocriter expetit, hoc ipsum observari summopere requirimus, auct. apost. ten. praes. revocamus, et abolemus omnes, et quascumque licentias, et facultates ingrediendi monasteria, domos, et loca monialium quorumvis ordinum tam episcopis, et aliis, quam aliis locorum ordinariis, et superioribus subjectarum quibusvis mulieribus cujuscumque status, et conditionis existant, etsi comitali, marchionali, et ducali dignitate praefulgeant, tam a praedecessoribus nostris, quam a nobis, et Sedis Apostolicae legatis, aut aliis et quibusvis quantumcumque urgentibus causis sub quibuscumque tenoribus, et etiam derogatoriarum derogatoriis, revocatorum restitutoriis aliisque efficacioribus clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae auctoritatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumque principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renovatas, rursusque cassamus, et annollamus litteras desuper confectas, et processus habitos per eosdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, super qua a nemine nisi a Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum praetextu monasteria hujusmodi ingredi audeant.

§. 2. Abbatissis vero, et priorissis, ac aliis praesidentibus dictorum monasteriorum, domorum, et locorum, eorumque superioribus quocumque nomine vocentur, districte praecipimus sub eadem excommunicationis poena, necnon privationis dignitatum, et officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia inposterum obtinenda, ne in monasteria, domus, et loca sua aliquam, ut praefertur, mulierem praetextu hujusmodi licentiarum, et facultatum ingredi faciant, vel permittant.

§. 3. Non obstantibus etc. Quibus omnibus eorum tenores etc.

§. 4. Quoniam autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xx. Januarii Pontificatus nostri anno III.

LXXXII.

Rata habet quae a suis praedecessoribus indulta fuere fratribus minoribus de observantia. Ex Bullario Cocquelines tom. 2. part. IV. pag. 357.

Ad perpetuam rei memoriam.

Etsi mendicantium ordines et praesertim sacer ordo fratrum minorum de observantia, qui sedulo ad vineam Domini Sabaoth Dei gratia ordo ipse magnos probitatis, et doctrinae, ac animarum salutis fructus semper olim attolerit, et quotidie afferre summa diligentia conatur, in eaque immensum exhibere non cessat famulatum, summo semper studio (etiam cum in minoribus essemus) amplexi fuimus, ad summi tamen aposto-

latus apicem, meritis licet imparibus, divina favente clementia assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eumdem ordinem propensiori charitate, et paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, ac pro animarum salute ab Apostolica Sede (cujus continue pacem et dignitatem ordo ipse de observantia fortiter tutatus est) tam spiritualia, quam temporalia subsidia, ornamentaque acceperint, et accipient, quibus et sancta sua officia, ac vitam suam regularem facilius atque expeditius exequi et transigere possint, et caeterae religiosae personae, ordinesque alii exemplo ipsorum promptiores alacrioresque ad sua officia persolvenda reddantur.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Francisci a Tolosa ministri generalis et Thomae de Massa commissarii generalis cismontanae familiae dicti ordinis de observantia Nobis nuper expositum fuit, quod cum ex ipsius sedis provisione ac benigna dignatione provenire dignoscatur, ut Romanus Pontifex quandoque praedecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovat, ac apostolica auctoritate innovata, et restaurata muniat et fulciat, et in pristinum statum reponat et adducat, necnon propterea nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia privilegia, et indulta tam praedictis fratrum minorum, quam S. Clarae ac Tertio de poenitentia nuncupato ordinibus, illorumque superioribus, fratribus, monialibus, et sororibus, ac utriusque sexus personis, et monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis quibuscumque dictorum ordinum nunc et pro tempore existentibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum aliis ordinibus, eorumque domibus et ecclesiis, et utriusque sexus personis ordinum mendicantium et non mendicantium existentium concessorum concesserunt, aut jam concessa confirmaruut, et approbarunt, prout in singulis concessionibus, declarationibus, et litteris eorumdem praedecessorum expeditis pleuius dicitur contineri.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat illa, quae saepius apostolica auctoritate praedicta munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem, pro parte eorumdem Francisci et Thomae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praedictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, et indultis pro illorum observantia, nostrae approbationis robur adiicere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur qui omnium votis, praesertim illis, qui sub suavi religionis jugo divinis laudibus, et christianae religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati et commoditati consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, quaecumque praemissa, ac omnia, et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, et indulta spiritualia, et temporalia etiam per modum communicationis et extensionis inter se, et cum aliis ordinibus mendicantibus, et non mendicantibus, ejusdem fratrum minorum regularis observantiae, et S. Clarae et de poenitentia

Tertio ordinibus etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem superiorum ordinis minorum regularis observantiae hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, necnon monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis quibuscumque in genere et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et sedem praedictam sub quacumque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata necnon omnibus et singulis in eis forsan contentis clausulis, decretis, et declarationibus quibuscumque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, et in eis contenta, et inde sequuta quaecumque illorum omnium tenores et formas datas effectas, et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, et in his essent inserta, pro sufficienter expressis habentes dicta auctoritate apost. ten. praes. ex certa scientia in his omnibus, in quibus decreti Concilii Tridentini non adversantur, approbamus, et confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observari, necnon ordinibus fratrum minorum regularis observantiae, et S. Clarae, ac Tertio de poenitentia nuncupato, etiam in congregatione sub obedientia fratrum minorum de observantia hujusmodi degen. superioribus, fratribus, monialibus etiam tertiariis nuncupatis, sororibus, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis, et locis praedictis, etiam per modum communicationis, et extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti, et gaudere quando, et quoties opus fuerit, posse et debere in judicio et extra, ac etiam in foro coscientiae in omnibus et per omnia, ac si specialiter et expresse eisdem fratrum minorum, ac S. Clarae, et Tertio de poenitentia ordinibus per nos concessa fuissent, decernimus: supplentes omnes et singulos juris et facti, ac solemnitatum etiam de juris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum et alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

§. 4. Quocirca venerabilibus fratribus Calaguritan. et Leodien. Episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori etc. contradictores quoslibet et rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur censuras etc.

§. 5. Non obstantibus etc.

§. 6. Verum quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus forte opus esset, deferri, volumus, et pariter apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis etc.

Datum Romae apud S. Marcum die III. Octobris Pontificatus nostri anno III.

LXXXIII.

Firmat concordiam. Ex reg. Secr. Brev. in mense Maio pag. 268.

Ad futuram rei memoriam.

Sacra loca, quae ad Dei gloriam animarumque salutem procurandam, mentesque fidelium ad devotionis fervorem excitandum priscis temporibus

salubriter instituta fuerunt, debent praecipua cura et diligentia custodiri et conservari, ut omni perturbatione semota feliciora in dies suscipiant incrementa. Inter alia vero religiosa antiquitatis monumenta insignis est locus in Monte Varalli Vallis Siccidae Novarien. dioecesis, olim ut audivimus, a Bernardo Caismo professore ordinis minorum de observantia nuncupatorum fundatus et extructus, in qua S. Sepulchri D. N. Jesu Christi, et alia pia monumenta aita sunt, et sacrae immagines in variis aedificiis, et oratoriis ejusdem montiis collocatae, quae passionis ejusdem Domini, ac redemptionis nostrae mysteria, quasi oculis hominum corporeis intuenda subjiciunt, et repraesentant, atque ita ad vivum exprimunt, ut piorum animos ad meditandum eadem mysteria ad poenitentiae et devotionis ardorem, quasi quibusdam aculeis et stimulis magnopere incitare et commovere videntur: cumque post eumdem B. Bernardum primum santi hujus et praeclari operis auctorem et fundatorem, mox etiam alii ejusdem ordinis fratres pro tempore degentes in domo B. Mariae Gratiarum ad radices dicti montis sita cum dilectis filiis universitate et hominibus oppidi Varalli dictae dioecesis injunctis studiis hujusmodi oratoria et aedes foverent, et eorum curam gererent, jam inde ab ipsis primordiis magno christifidelium concursu et frequentia coepit locus ipse in veneratione haberi, atque adeo usque in hodiernum diem majori in dies celebritate etiam advenae et peregrini ad eum confluunt; sed quia sicut nuper ad nos perlatum fuit, superioribus annis quaedam dissentiones, ac forsan lites ac controversiae inter dilectos filios guardianum et fratres dictae domus ex una, et universitatem et homines praedictos ex altera partibus super administratione et cura aedificiorum, fabricae, et reditum dicti montis, disseminante antiquo pacis et humani generis hoste, pullulare coeperunt, graviores vero contentiones oriturae timebantur, ne propter eam causam astu, fraude, et machinatione ejusdem maligni hostis divinus cultus imminueretur, et exortis scandalis, aedes praedictae et oratoria aliquid in spiritualibus, aut temporalibus detrimenti caperent, fidelium maxime exterorum devotio refrigesceret, ac de fama sanctitatis ejus loci detraheret, bo. me. Carolus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Mediolanen. ecclesiae ex dispensatione apostolica praesul, et per universam provinciam Mediolanen. visitator auctoritate apostolica deputatus, tunc in humanis agens, in actu visitationis dicti loci per eum praefata auctoritate factae statuerat, uti nobis expositum fuit, congruis quibusdam decretis et ordinationibus mutuae concordiae et pacis inter dictas partes consulere; sed cum morte praeventus id perficere non potuisset, tam venerab. frater Caesar Episcopus Navarien. nomine universitatis et hominum praedictorum, quam etiam venerab. frater Franciscus Episcopus Chrysopolitan. nuper in minoribus constitutus et dicti ordinis professor nomine dilecti filii Francisci Gonzaga ejusdem ordinis ministri generalis nobis humiliter supplicari fecerunt, ut quoad praemissa in eam, quae sequitur formam, litium, et controversiarum hujusmodi occasionem, omnemque dubitandi materiam hac nostra definitione et declaratione perpetuo tollere et extinguere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui pro nostri pastoralis officii munere pacem et concordiam inter cunctos christifideles, maxime vero religiosos conciliare omni studio procuramus, arbitrantes pro dignitate et sanctitate ejus loci maxime convenire, ut inibi ab ipsis ministris unanimi spiritu,

et praecipuo christianae charitatis fervore, et praeclaris verae pietatis, et fraternae dilectionis exemplis digne et laudabiliter divino cultui serviatur, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes et quascumque lites, controversias, seu molestias, aut causas de et super cura, custodia, et administratione fabricae, aedificiorum, eleemosynarum, et redituum dicti montis intra praedictos coram quibuscumque judicibus et in quacumque instantia pendentes, et in quibuscumque statu et terminis reperiantur, quarum omnium status, et merita, et ipsorum judicum et colligantium nomina et cognomina, gradus et qualitatem praesentibus haberi volumus pro expressis ab ipsis judicibus, ad nos harum serie advocantes, illasque penitus cassantes et extinguentes ac utrique parti perpetuum desuper silentium imponentes, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus curam et administrationem dicti montis Varalli fabricae, aedificiorum, sacrarum imaginum, eleemosynarum, et aliarum hujusmodi rerum omnium ad dictum locum seu loca pertinen. perpetuo spectare debere tam ad dictae domus fratrum minorum de observantia, quam etiam ad dictos universitatem et homines ipsius oppidi Varalli, qui curent pro viribus, ut in hujusmodi loco passionis ipsius Domini Redemptoris nostri salutaris memoria perpetuo summa devotione vigeat, ac celebretur; ne vero circa exercitium curae administrationis praedictae sic ad eos conjunctim pertinentis, altercationes et dissidiae oriantur, aut quod communiter possident, etiam communiter negligi contingat, statuimus et ordinamus, ut perpetuis futuris temporibus cura ipsa, et administratio praefata per duos fabricerios, et unum thesaurarium pro tempore exerceatur; ii vero fabricerii, et thesaurarius in hunc modum deligantur, ut scilicet consilium universitatis et hominum praedictorum ipsi guardiano moderno, et pro tempore futuro nominent seu praesentent sex ipsius oppidi incolis probos, bonae famae, Deum timentes, fide et facultatibus pro qualitate bujus negotii satis idoneos; qui legere et scribere noverint, nullo infami crimine notatos, et ab omni usurarum, luxuriae, latrocinii, homicidii, blasphemiae, et aliorum hujusmodi delictorum infamia et suspicione liberos et immunes, quorum singuli si, ut praefertur qualificati fuerint, ab ipso guardiano approbentur; sin minus alii in ipsorum locum usque ad dictum numerum similiter nominentur, et a dicto guardiano approbentur. Deinde alii sex iisdem qualitatibus praediti ab ipso guardiano nominentur, et similiter a consilio praedicto approbentur; quod si consilium et guardianus ita dissenserint, et inter se discordes fuerint, ut quod nominandos, et approbandos hujusmodi duodecim viros, neque consilium in guardiani sententiam ire, neque e contra guardianus consilio assentiri velit, demum tota controversia arbitrio venerab. fratris nostri Episcopi Novarien. moderni et pro tempore existentis extrajudicialiter terminetur, qui ex incolis dicti oppidi viros usque ad numerum duodecim, ut praefertur, qualificatos suo arbitrio deligat virorum, ut supra dispositum est nominatorum et approbatorum, sive in eventum discordiae sic ab Episcopo delectorum nomina praesente guardiano in urnam immittant, et eodem guardiano praesente tria nomina duntaxat per puerum, qui decem aetatis suae annos non excesserint, ex urna extrahantur, illorum primi trium duo primi fabricerii sint, tertius thesaurarius, qui de rationibus et reliquis sibi commissis idoneam praestet cautionem;

horum fabriceriorum et thesaurii praedictorum officium duret per annum; finito anno alter ex duobus fabriceriis, qui proxime praeterito anno officium praedictum exercuerit, scilicet hoc primo anno, qui aetate antiquior erit, in futurum vero, qui uno duntaxat anno fabricerius fuerit, officium fabricerii per totum annum sequentem, nec ultra continuet; alter vero fabricerius et thesaurarius novi quot annis ex dicta urna et ex numero dictorum duodecim virorum in urnam, ut dictum est, conjectorum simili modo extrahant. At mutatio, et extractio fiat in singulos annos ordine forma et modo superius descriptis; in fine vero quinti anni a die primae extractionis fabriceriorum et thesaurarii praefatorum numerandi, ubi amplius sorti locus non erit, quia unus tantum ex duodecim viris in urna remanebit; tunc iste unus reliquus sexto anno, qui ultimus erit, sine sorte thesaurarius sit; quinque autem virorum qui non fabricerii, sed thesaurarii in quinque superioribus annis extiterint, nomina in urnam mittantur, et ex iis unus, qui dicto modo extrahatur, is fabricerius sit una cum altero, qui proximo praecedenti anno fabricerius extractus fuerit; nova nominatio, sive electio duodecim in proxima superiori electione nominatis, aut electis viris nominari, aut eligi poterit sexto quoque anno in die festo S. Francisci, forma superius praescripta fiat, celebrato prius in eodem monte Varalli solemni sacro de Spiritu Sancto per fratres dictae domus cum frequenti populi concursu ad implorandum divinum auxilium pro felici electione duodecim virorum, ex quibus fabricerii, et thesaurarius successive in sex proximos annos, ut superius ordinatum est, deputentur. Si thesaurarium aut fabricerium aliquem ante finem sui officii non contingat per sortem, ex urna supradicto modo extrahatur alter, et in ejus locum usque ad finem anni subrogetur; si vero durante sexennio, et antequam extrahantur, aut officium exercere incipiant, eorum aliqui defuncti fuerint, modo et forma superius descripta, alii in eorum locum nominentur, approbentur, seu deligantur, et in urnam conjiciantur.

§. 1. Prohibemus vero eisdem fabriceriis et thesaurario pro tempore futuris, ne quis eorum contradicente guardiano nummos alicui solvat neve sine interventu et expresso consensu ejusdem guardiani, sive ejus substituti ullam notabilem pecuniarum summam cuiquam persolvant, aut ex quavis causa impendant. Notabilem summam eam esse declaramus, quae quatuor regales, vel duas libras imperiales monetae in illis partibus cursum habentes excedat, aut si tot ex hujusmodi exiguis et minus notabilibus summis diversis, ac pluribus vicibus persolutae fuerint, ut illae junctae in finem anni insimul computatae sex scuta auri excedant; si quoad praestandum consensum circa solutionem, vel impensam faciendam controversia oriatur, ea statim arbitrio dicti Episcopi extrajudicialiter terminetur. Volumus praeterea, ut fabricerii et thesaurarii, qui pro tempore erunt, guardiano praedicto, et eisdem reliquis ex duodecim viris electis praesente quoque vicario foraneo ipsius episcopi, vel alio per ipsum episcopum deputato, rationes accepti, et expensi singulis annis diligenter reddant, et exemplar et codicem eorumdem rationum, in quo omnia et singula extense sint descripta, eisdem guardiano et vicario foraneo, sive deputato dicti Episcopi tradant, et relinquant, ut illi accurate examinent et inspiciant, num aliqua fraudis vel erroris suspicio subsit, atque thesaurarius in fine anni novo thesaurario sequentis anni intra quindecim dies

post officium suum finitum, pecunias quas penes se reliquas habebit, sub poena duplici integre persolvat, idemque thesaurarius, qui pro tempore erit, tertio quoque mense guardiano praedicto notationes, et summas singularum expensarum fideliter ostendat, ut guardianus ea in suo libro transcribere, et cum superioribus suis, si videbitur, communicare possit. Insuper mandamus, ut ex cereis, telis, mappis, mantilibus, et telis lineis in dicto sacro monte pro tempore oblatis primum quidem de ipsius guardiani consilio usui divinorum officiorum in oratoriis et sacris aedibus in ipso monte sitis celebrandorum satis abunde provideatur, quod superfuerit ad usum ecclesiae domus praefatae ipsorum fratrum applicetur.

§. 2. Paramenta et vasa sacra et omnia ad usum ecclesiae ipsius sacri montis necessaria ex eleemosynis fidelium in eodem monte oblatis fabricerii comparent, et cum consilio et interventu dicti guardiani seu alterius ab eo deputati decenter provideant, eaque ad usum domus praedictae, sive illius ecclesiae minime transferantur, nisi interdum ad breve tempus ea ipsis fratribus eorumve ecclesiae commodari conveniat.

§. 3. Interdicimus quoque eisdem fabriceriis, et thesaurario pro tempore futuris, et eorum unicuique, ne quis eorum sine praesentia guardiani praedicti, vel alterius ab eo substituti pecunias, aut eleemosynas ullas ex capsis extrahant, aut capsam aliquam eleemosynarum in dicto monte positam aperiat; quod si quispiam contra nostrum interdictum id fecerit, eum hujusmodi officio obtento privamus eo ipso, et ex nunc privamus ac perpetuo inhabilem et incapacem ad talia officia de caetero obtinenda decernimus.

§. 4. Praecipimus etiam, ut capsa eleemosynarum pro missis celebrandis in sacristia ecclesiae ipsius sacri montis, ubi nunc est, ibidem in futurum asservetur, neque inde amoveatur. Altera autem capsa, in qua reponitur eleemosyna pro fabrica intra et juxta cancellos ferreos ejusdem ecclesiae dicti montis, ubi nunc est, ibi et imposterum consistat, atque bujus secundo dictae capsae duas diversas claves, unam unus, alteram alter fabricerius penes se conservent; reliquarum autem omnium capsarumque singulae in singulis oratoriis dicti montis positae claves, cunctae in praedicta secundo dicta capsa juxta cancellos praedictos collocata reponantur; cancellorum clavem dictus guardianus, vel ab eo substitutus servet, itaut fabriceriis sine expresso consensu et praesentia ejusdem guardiani, vel ejus substituti ad capsam secundo dictam juxta cancellos accessus nullo modo pateat, neque etiamsi cancelli aperti sint, possint aut debeant ipsi fabricerii absque dicto consensu et praesentia illam aperire. Pecuniarum summae tam quae in secundo dictam juxta cancellos, quam quae in aliis quibuscumque capsis per totum dictum montem collocatis ad usum fabricae oblatae reperientur, per fabricerios in librum cujus exemplum etiam guardianus praedictus penes se habeat, semper referantur, et describantur. Prohibemus vero omnibus, et quibuscumque personis saecularibus, aut dicti, vel aliorum quorumvis ordinum regularibus utriusque sexus cujuscumque status, gradus, et conditionis fuerint, ne quis eorum audeat aliquem hortari, monere, aut cogere, sive dehortari, et dissuadere, ut in capsam eleemosynarum pro missis potius quam in aliam pro fabrica, vel e contra in capsam pro fabrica potius, quam pro missis oblationem faciat. In eos autem singulos, qui contra hujusmodi prohibitio-

nem quidquam tale attentare praesumpserint, excommunicationis sententiam ferimus eo ipso, ita ut ipse transgressor sic, ut praefertur, innodatus si regularis dicti ordinis minorum fuerit a suo generali ministro tantum, vel eo absente, a commissario etiam generali; si autem saecularis persona, vel alterius ordinis regularis extiterit, ab Episcopo Novarien. dumtaxat, aut Romano Pontifice absolutionis beneficium post poenitentiam peractam, nec alias queat obtinere.

§. 5. Statuimus insuper, et ordinamus, ut interiora loca oratoriorum, in quibus sacrae imagines sunt, raro aperiantur, et eorum singulorum claves duae sint, quarum unam fabricerii, alteram guardianus, sive ejus substitutus penes se habeant.

§. 6. Inventarium rerum pretiosarum praecipue earum, quae ex auro sive argento conflatae, et ecclesiae dicti montis oblatae servantur, omnium denique rerum, quae ad sacristiae ejusdem ecclesiae dicti montis usum pertinent, fideliter per praefatos guardianum et fabricerios conficiatur; ejus exemplum guardianus, alterum consimile exemplum fabricerii habeant, ac res ejusmodi, quae deinceps pro tempore ementur, aut ecclesiae vel sacristiae ex eleemosynis fidelium accedent, in idem inventarium referantur. Nihil rerum oblatarum sine ipsius guardiani, sive ejus substituti consilio et praesentia vendatur, et quidquid vendendum erit, antequam vendatur prius saltem ad duos menses ad ornamentum, ut caeteros fideles tali exemplo ad oblationes similes incitendos in ipsa ecclesia palam appensum relinquatur. Res aureae et argentae ante lapsum unius anni nequaquam vendantur.

§. 7. Curet denique dilectus filius modernus et pro tempore futurus praesidens dicti montis professor praedicti ordinis, ut singulis mensibus sacrae imagines in singulis oratoriis accurate et diligenter mundentur, ne cera, pulvere, sordibus, aut aranearum tela foedentur; caeterarum vero aedicularum camerae singulis decem diebus scopis mundentur.

§. 8. Si dictus Franciscus modernus et pro tempore futurus minister generalis dicti ordinis maluerit loco dicti guardiani alteri potius cuipiam ejusdem ordinis professori curam et administrationem dicti montis, sicut praefertur, exercendam committere, et eum ad id specialiter deputari, tunc quae superius de ipso guardiano dicta fuerunt, eadem illa quoad hujusmodi deputatum disposita et ordinata fuisse intelligantur.

§. 9. Caeterum praedicto moderno ac pro tempore futuro Episcopo Novarien. per easdem praesentes mandamus, ut ad decorem ejusdem sacri montis, et divini cultus augmentum, oratoria, imagines, ac mysteria passionis D. N. Jesu Christi ad evangelicae historiae veritatem accurate fieri exprimi et suo ordine collocari curet, ac vocatis et adhibitis in consilio viris aliquot prudentibus, et hujusmodi rerum peritis, certum locum, modum, et formam fabricae, aedificiorum, oratoriorum, et sacrarum imaginum assignet, et quae ex uno loco ad alium transferri conveniat, de simili consilio statuat atque in forma semel per ipsum Episcopum Novarien. praescripta non liceat fabriceriis, aliisque personis latum unguem recedere, neque ultra dictam formam aediculas, imagines, vel hujusmodi res alias adjicere, et de novo construere, et collocare sine ipsius Episcopi Novarien. licentia speciali in scriptis obtenta; si quis in contrarium quidpiam attentare praesumpserit, unumquemque sententiam excommunicationis aliasque poenas dicti Episcopi Novarien. arbitrio infligendas in-

currere volumus ipso facto. Cui quidem Episcopo moderno et pro tempore futuro tamquam nostro et dictae sedis in hac parte specialiter delegato tam hujusmodi transgressoribus poenitentibus in superius expressis et reservatis casibus absolvendi, et duodecim viros, ut supra dictum est, qualificatos in eventum discordiae guardiani et consilii praefatorum libere, ut praefertur, eligendi, et expensas, ut dictum est, suo arbitrio fieri mandandi, quae etiam alia omnia, et quaecumque dubia et controversias, et dissensiones inter guardianum et consilium supradictos super praemissis, vel illorum occasione aut circa interpretationem, et executionem praesentium litterarum et curam et administrationem praedictas, illiusque exercitium quomodolibet ortam aut orituram cum omnibus inciden. dependen. emergentibus, annexis, etiam summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii, sola facti veritate inspecta, manu regia terminis substantialibus unico contextu, vel etiam non servatis, arbitrio suo procedendo, cognoscendi, audiendi, decidendi, declarandi, et terminandi, et quidquid in praesentibus litteris continetur, aut per ipsum illarum vigore statutum, decisum, declaratum, et determinatum fuerit, omni et quacumque appellatione, reclamatione, et recursu postpositis executioni demandandi, et perpetuo inviolabiliter observari faciendi, ac partibus ipsis perpetuum silentium imponendi, ac quibuscumque judicibus, caeterisque personis, quibus et quoties opus fuerit etiam per edictum publico constito etiam summarie et extrajudicialiter de non tuto accessu sub censuris et poenis ecclesiasticis, aut aliis suo arbitrio moderandis, et applicandis, inhibendi: contradictores, rebelles, et praemissorum executionem impedientes aut recusantes, et inobedientes quoslibet, eisque auxilium, consilium, vel favorem directe vel indirecte praestantes, etiam per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione etiam postposita compescendi, legitimisque super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, auxiliumque brachii saecularis invocandi, vicesque suas quoad praemissa universa et singula vel illorum aliqua uni vel pluribus idoneis personis sibi benevisis in toto vel in parte, et cum simili, vel limitata potestate committendi, ac denique omnia et quaecumque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, decernendi, mandandi, exequendi, etiam per alium seu alios plenam liberam et omnimodam auctoritate praedicta concedimus facultatem.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis et forsan oppidi aut domus praedictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore pacifice observatis, et a primaeva fundatione editis privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis universitati et hominibus sive eorum magistratibus, aut guardiano et fratribus, ac domui et ordini praedictis, eorumque superioribus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores ac si ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, hac vice ad effectum praesentium dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum die xxx. Maii Pontificatus nostri anno III.

LXXXIV.

Confirmat privilegia concessa fratribus et sororibus tertii ordinis de Poenitentia civitatis Assisii. Ex reg. Sec. Brev. in mense Septem. pag. 341.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex personis quibuslibet praesertim sub regularibus institutis viventibus a Sede Apostolica concessa privilegia confirmare et approbare consuevit, prout earumdem personarum vota exposcunt, et ipsum conspicit in Domino salubriter expedire. Sane dilecti filii fratres et dilectae in Christo filiae sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate nostra Assisii alias canonice erecti Nobis exponi fecerunt, quod cum alias per plures Romanos Pontifices praedecessores nostros fratribus et sororibus dicti ordinis in dicta civitate, unde praedictus S. Franciscus secundum carnem originem traxit, existentibus diversa privilegia, gratiae, et indulta concessa ac confirmata et innovata fuerint, prout in diversis eorumdem praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur, cupiunt fratres et sorores praedicti, privilegia, gratias, et indulta hujusmodi pro illorum subsistentia firmiori per nos confirmari et approbari. Quare pro parte fratrum et sororum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum desiderio annuere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos singulorum privilegiorum, gratiarum, et indultorum praedictorum ac desuper confectarum litterarum hujusmodi tenores praesentibus pro expressis habentes, necnon fratres et sorores praedictos eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, facultates, exemptiones, libertates, immunitates, indulta, indulgentias, caeterasque gratias spirituales et temporales eisdem fratribus et sororibus omnibusque et singulis dicti ordinis tam virorum quam mulierum, domibus, et congregationibus, necnon illorum superioribus, officialibus, et personis tam in genere quam in specie ac alias quomodolibet et quandocumque per Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, necnon desuper confectas litteras et scripturas quascumque, quatenus sint in usu et sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non adversentur, apostolica auct. ten. praes. perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, eaque omnia fratribus et sororibus praedictis, ac dicti ordinis domibus et congregationibus, illorumque superioribus, officialibus, et personis quibuscumque perpetuo suffragari, sic et non aliter per quoscumque ordinarios etc. Non obstantibus etc. Volumus autem quod praesentium transumptia etiam impressis alicujus notarii publici manu subscriptis et sigillo ipsius ordinis vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum die v. Septembris Pontificatus nostri anno III.

LXXXV.

Pro fr. Hieronymo de Gusman commissario generali in partibus Indiarum. Ex reg. Secr. Brev. in mense Julio pag. 260.

Dilecto filio Hieronymo de Guzman commissario generali in partibus Indiarum novi orbis fratrum minorum de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecisti, te dum fungeris officio commissarii generalis fratrum minorum de observantia degentium in partibus Indiarum novi orbis, charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici ditioni subjectarum, plerumque in curis ejusdem Regis cum duobus sociis tuis residere consuevisti, idque pro negotiis fratrum in dictis partibus Indiarum commorantium valde expedire. Cum autem sicut eadem subjungebat expositio, idem Philippus Rex pro indumentis et aliis rebus necessariis tibi et sociis tuis praedictis ac pro redimendis fasciculis litterarum, quae ex diversis partibus afferuntur, ac expensis aliarum rerum idem officium concernentium ducentos ducatos quotannis elargire consueverit, ex quibus partem aliquam saepius superesse contingit, quam facto cum eodem Rege verbo, ipsoque Rege annuente cum nostro et Apostolicae Sedis beneplacito, in pios aliquos usus convertere desideras, Nobis humiliter supplicasti, quatenus tibi, qui hujusmodi pecunias, non tamen prava intententione eas tamquam proprias contra superiorum voluntatem retinendi hactenus percepisti, et de commisso errore ab intimis doles, veniam concedere et ut in posterum eas licite percipere, atque, ut praefertur, erogare possis, licentiam tribuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, te ab excessibus hujusmodi et a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis etc. perceptionis dictarum pecuniarum quomodolibet incursis auctoritate apostolica tenore praesentium gratiose in utroque foro absolvimus, et totaliter liberamus, tibique pecunias ipsas sic male perceptas ac poenas quascumque per te incursas remittimus et condonamus, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam a te abstergimus, et abolemus, teque in pristinum et eum, in quo ante praemissa eras, statum restituimus et plenarie reintegramus, tibique quamdiu munere commissarii hujusmodi fungeris, dictos ducentos ducatos, quos ab ipso Rege annuatim persolvi contigerit, auctoritate et tenore praedictis gratiose ex mera nostra liberalitate donamus et elargimur, ita ut illos quotannis ministerio alicujus syndici per te pro tempore eligendi, recipiendi, ac in usus praefatos convertendi, partim vero quae superest tum ex dictis ducentis ducatis, quam etiam ex aliis eleemosynis, pecuniis, et rebus, quae ex ipsis partibus Indiarum afferuntur, quaeque ad tuam tamquam commissarii generalis dispositionem pertinent, ad sublevandas necessitates et indigentias fratrum, qui in S. Francisci de Avila, ubi habitum regularem, ut asseris, dicti ordinis suscepisti, quique in ejusdem S. Francisci Vallisoleti oppidorum Palentin. dioecesis, ubi litterarum studiis operam navasti provinciae Conceptionis conventu, tuo arbitrio pie distribuendi, erogandi, et impartiendi sine aliquo conscientiae scrupulo aut poenarum vel censurarum incursu libere et licite valeas, super quibus omnibus tibi plenam liberam et absolutam licentiam et facultatem,

auct. apost. ten. praes. concedimus, et indulgemus. Non obstantibus etc. Datum Romae apud S. Marcum die xiii. Julii Pontificatus nostri anno iii.

LXXXVI.

Indulget, ut Marius Avenion. capucinus transeat ad fratres min. conventuales. Ex regest. Secret. brev. in mense Novembri et Decembri pag. 105.

Dilecto filio Mario Avenion. professori ordinis fratrum minorum S. Francisci capucinorum nuncupat. salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu qui ordinem fratrum minorum S. Franciscisci capucinorum nuncupat. ingressus, habituque suscepto et professione etiam emissa, per biennium cum dimidio vel circa in eo mansisti, et adhuc manes, propter nimium illius regularis observantiae rigorem, quotidianaeque vitae asperitatem adeo molestis et continuis capitis doloribus, magnaque stomachi debilitate ac aliis permultis corporis infirmitatibus in dies laborare atque afflictari coeperis, ut non solum orationi, jejuniis, ac divinis officiis juxta arctam ipsius ordinis regulam celebrandis vacare nequeas, sed etiam magnopere tibi verendum sit, ne si diutius ibi permanseris, in maximum vitae discriminen incidas, nobis propterea humiliter supplicari curasti, consulendo, te ad alium ejusdem S. Francisci fratrum minorum conventualium ordinem et domum XII. SS. Apostolorum de Urbe nuncupat. in quo observantia regularis facilior aut saltem minus rigorosa viget, transferre de nostra et Sedis Apostolicae benignitate dignaremur. Nos igitur vicem illius in terris, licet immeriti gerentes, qui scit compati in infirmitatibus nostris, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut ex praedictis fratribus capucinis eorumque domo, in qua in praesentiarum commoraris, ad praedictam eorum domum quamprimum tibi commodum fuerit, transire, ibique in sanctitate et justitia omnibus diebus vitae tuae Altissimo famulando permanere libere et licite valeas, auct. apost. ten. praes. licentiam et facultatem concedimus. Quocirca dilecto filio guardiano ac superiori domus praedictorum fratrum minorum conventualium per praesentes in virtute sanctae obedientiae, ac aliis arbitrio nostro imponendis poenis committimus et mandamus, quatenus visis praesentibus, te sic ejusdem ordinis fratrem at domum accipiat et admittat, tibique insuper, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, concessionibus, praerogativis, favoribus, caeterisque gratiis, quibus alii etiam non translati fratres ordinis minorum conventualium praedictorum, et domus ad quam te transferri contigerit, de jure aut consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum pariformiter uti, frui, potiri, et gaudere, vocemque activam et passivam ubique habere, necnon quaecumque illorum officia, et praeminentias, si quando ad ea eligeris, vel assumaris, recipere et exercere libere et licite valeas, licentiam auctoritate nostra concedat, teque ordini et regulae fratrum capucinorum hujusmodi in genere vel in specie minime teneri, nec obligatum existere decernat. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xviii. Octobris anno iii.

LXXXVII.

Pro eodem. Ex. reg. Secr. Brev. in mense Novembri pag. 220

Dilecto filio Mario Labea Avinionen. ordinis fratrum minorum conventualium professori salutem et apostolicam benedictionem.

Alias pro parte tua Nobis exposito, quod tu qui ordinem fratrum minorum capucinorum nuncupat. ingressus habitumque suscepto, et professione etiam per te emissa per biennium cum dimidio vel circa in eo manseras et adhuc maneres, sed propter nimium illius regularis observantiae rigorem quotidianaeque vitae asperitatem adeo molestis et continuis capitis doloribus, magnaque stomachi debilitate, ac aliis permultis corporis infirmitatibus in dies laborare atque affligtari coeperas, ut non solum orationi, jejunio, ac divinis officiis juxta arctam ipsius ordinis regulam celebrandis vacare nequires, sed etiam magnopere tibi verendum erat, ne si diutius ibi permansisses, in maximum vitae discrimen incideres. Nos tuis ea in parte supplicationibus inclinati, die xviii. Octobris proxime praeteriti tibi, ut ex praedictis fratribus capucinis eorumque domo ad fratres minores conventuales nuncupatos, eorumque domum quamprimum tibi commodum foret transire, ibi permanere libere et licite valeres, licentiam et facultatem per alias nostras litteras concessimus. Mandantes guardiano et superiori domus dictorum fratrum minorum conventualium, quatenus te in ejusdem ordinis fratrem reciperet, tibiqua quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, praerogativis, favoribus, caeterisque gratiis, quibus alii etiam non translati de jure vel consuetudine aut alias quomodolibet uterentur, pariformiter uti valeres, licentiam auctoritate nostra concederet, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut accepimus, ad ordinem fratrum minorum conventualium vigore facultatis tibi per litteras nostras praefatas concessae transieris, ac inibi in fratrem receptus fueris, et licet credatur, quod tu qui ante ingressum religionis dictorum fratrum capucinorum Raymundus Labea, natus quon. Joannis etiam de Labea et Antonettae de Salsedo conjugum vocabaris, potueris et possis quascumque haereditates tibi delatas adire, et bona agnoscere, ac quaecumque testamenta, donationes tam inter vivos quam in ultima voluntate facere, prioraque testamenta forsan ante ingressum religionis dictorum fratrum capucinorum facta revocare, ac de tuis bonis disponere, praesertim ad utilitatem et commodum pauperum Christi, ecclesiarum et locorum piorum fidelium, ad tollendum omne dubium et ad majorem cautelam validitatemque testamentorum faciendorum, et donationum, ac additionum haereditatis et bonorum ac quarumcumque aliarum ultimarum voluntatum per te faciendarum cupias nostram tibi in praemissis auctoritatem interponi, Nos tenorem dictarum litterarum praesentibus pro expresso habentes, motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, tibi quaecumque testamenta, donationes inter vivos, et alias ultimas voluntates per te ante ingressum religionis et professionem hujusmodi factas revocandi, mutandi, et de novo illa faciendi, necnon

quascumque haereditates et bona cujuscumque valoris et quantitatis ac qualitatis fuerint, omni tempore quo tu sub regula et ordine fratrum capucinorum eras et vivebas tibi delata, necnon quascumque haereditates et bona quaecumque tibi quomodolibet deferenda, ad favorem et usum hospitalis pauperum mendicantium de Urbe ad Pontem Sixtum nuper per nos erecti pro una videlicet, pro alia vero medietatibus ad utilitatem tam ecclesiarum et piorum locorum, quam ad commodum pauperum consanguineorum et affinium tuorum, necnon ad solutionem debitorum et remunerationem erga tuos benevolos, intuitu laborum et expensarum tua causa per eos necessario factarum faciendam, adeundi, et acceptandi et de suis aditis, et acceptatis ac universis aliis tuis bonis ad favorem dictorum pauperum pro una, ut praedictum est, pro altera vero medietatibus ad praedictos usus et effectus tam inter vivos quam in ultima voluntate disponendi, facultatem per praesentes concedimus, teque ad praemissa omnia peragenda habilem et capacem facimus. Decernentes illa omnia postquam facta fuerint per te, ut praefertur, valida et efficacia fore et existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, perinde ac si religionem numquam ingressus fuisses, et professionem hujusmodi non emisisses, ac translationem concessionesque, testamenta, donationes, aditiones, haereditatis ultimas voluntates, ac omnia inde secuta est et sequenda quaecumque, praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, aut in jus vel controversiam revocari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi posse, sicque per quoscumque judices etc. Quocirca dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes mandamus, quatenus ipse per se vel alium seu alios tibi in praemissis efficacia defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra te praemissis omnibus et singulis juxta praesentium tenorem pacifice frui et gaudere, nec permittat te seu tuos executores per te ad id nominandos a quoquam quomodolibet molestari, contradictores etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Novembris Pontificatus nostri anno III.

LXXXVIII.

Ut Emmanuel de Meneses dux de Villareal apud se retineat fratrem ordinis de observantia. Ex reg. Secr. Brev. in mense Julio pag. 282.

Dilecto filio nobili viro Manueli de Meneses Duci de Villareal Regni Portugalliae salutem et apostolicam benedictionem.

Ad splendorem generis tui, quod ex illustribus Portugalliae regibus ducere comprobaris, resque praeclare gestas et a te et a tuis praedecessoribus contra Mauros et infideles pro fidei catholicae exaltatione debitum respectum habentes, tuis quoque supplicationibus hac in parte inclinati,

tibi ut quem hodie habes confessorem ordinis fratrum minorum professorem apud te, quousque tibi libuerit, retinere; necnon in futurum alium dicti seu alterius ordinis regularem in tuum confessorem eligere valeas, eidemque confessori tuo nunc et pro tempore existenti, ut extra claustra regularia degere et apud te permanere possit, de licentia sui superis, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem per praesentes concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis hujusmodi, juramento ac confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum die x. Julii Pontificatus nostri anno III.

LXXXIX.

Tribuit facultatem erigendi confraternitatem Chordigerorum. Ex Bullar. Cocquelines tom. 5. part. 1. pag. 181.

Ad perpetuam rei memoriam.

Divinae charitatis altitudo etc. (*vide num. IV.*) ut indulgentias, et peccatorum remissiones praefatas per modum suffragii pro fidelibus, qui in gratia Dei decesserint, consequi et impertiri valeant concesserimus. Ut facilius specialibus gratiis omnes christifideles in diversis orbis terrae partibus existentes gaudere possint, et dum copiosis eleemosynarum largitionibus fratres minores de observantia maximo devotionis affectu quotidie alunt, ab eisdem spiritualia beneficia in signum gratitudinis recipere valeant, supplicationibus dilecti filii Francisci a Tolosa ministri generalis fratrum minorum de observantia hac in parte inclinati, eidem Francisco a Tolosa, atque etiam Thomae de Massa commissario generali pro familia Cismontana, necnon pro tempore existentibus generali et commissario generali eorumdem fratrum minorum de observantia concedimus facultatem, et auctoritatem ministro generali in toto ordine fratrum minorum de observantia; commissario autem generali in illa familia, cujus fuerit, ubi non sunt ejusdem ordinis fratrus minorum conventualium confraternitates jam erectae, vel eorumdem minorum conventualium monasteria, instituendi confraternitates chordigerorum in omnibus et singulis conventibus fratrum suorum, et concedendi, et communicandi omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, et relaxationes, ac tandem omnes favores, et gratias, quae praedictae archiconfraternitati concessae sunt, et in futurum concedentur.

§. 4. Volumusque, ut chordam ordinis S. Francisci, quam confratres utriusque sexus gestare debent, superiores fratrum minorum de observantia benedicant, intelligendo per superiores etiam guardianos, atque praesidentes.

§. 5. Non obstantibus etc.

§. 6. Volumus autem quod praesentium transumptis manu alicujus notarii subscriptis, et sigillo pro tempore existentis ministri, vel commissarii generalis fratrum minorum de observantia hujusmodi, vel cujusvis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut canonici alicujus catha-

dralia ecclesiae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique locorum et gentium in judicio et extra, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum die xxix. Augusti Pontificatus nostri anno iii.

XC.

Erigit Varsaviae confraternitatem S. Annae in archiconfraternitatem. Ex Bullar. Cocquelines tom. 4. part. iv. pag. 238.

Ad perpetuam rei memoriam.

Praeclara ac insignia charitatis et pietatis opera, quae dilecti filii prior seu senior, camerarius, deputati, aliique confratres societatis S. Annae, quae gloriosissimae Virginis Salvatoris nostri Jesu Christi genetricis Matrem esse, et appellari commerita fuit, ad gloriam Dei et animarum christifidelium salutem quotidie exercent, Nos inducunt, ut eamdem confraternitatem, quae non solum Lonzae, Vilnae, Carinae, Scampis, Varsaviae, Vartae, Leopoli, sed etiam per universam Poloniam, Lituaniam, et Russiam tam apud fratres S. Francisci de observantia, quam apud alias plerasque ecclesias, atque sacella ejusdem S. Annae erecta et instituta reperitur, ampliori ac digniori nomine, ac titulo decoremus, ac illustremus, favoribusque, gratiis, et praerogativis prosequamur opportunis.

§. 1. Itaque charissimae in Christo filiae nostrae Annae Poloniae reginae illustris ejusdem societatis patronae, ac protectricis supplicationibus hac in parte inclinati, confraternitatem S. Annae praedictae Varsaviae existentem in Archiconfraternitatem, et caput omnium confraternitatum sub eadem invocatione in quibuslibet civitatibus, terris, oppidis, et locis regni Poloniae, ac aliis dominiis et ditionibus praedictae reginae Annae constitutis erectarum, et erigendarum, et aliarum cujusvis alterius nuncupationis, ejusdem tamen instituti, eidem archiconfraternitati pro tempore aggregandarum auctoritate apostolica perpetuo erigimus, et instituimus.

§. 2. Ac priori, seu seniori, camerario, caeterisque deputatis archiconfraternitatis hujusmodi, quaecumque statuta, decreta, et ordinationes, licita tamen, et honesta, ac sacrorum canonum dispositioni, et praesertim concilii Tridentini decretis minime contraria faciendi, et condendi, et jam facta, edita, seu condita matura consideratione, et deliberatione super illis per eos adhibita, nostro nomine confirmandi, et approbandi.

§. 3. Necnon quascumque confraternitates ubicumque existentes tam sub dicto nomine S. Annae, quam alterius nuncupationis, idem tamen institutum circa praedictae charitatis et pietatis opera tenentes, ipsi archiconfraternitati aggregandi, ac omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, et alias quascumque gratias spirituales eidem archiconfraternitati per nos et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessas, et in futurum concedendas, dictis confraternitatibus, quarum ipsa archiconfraternitas S. Annae caput existit, impartiendi.

§. 4. Necnon omnia privilegia, indulta, praerogativas, facultates archiconfraternitati Confalonis de Urbe per nos, et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, praesertim illa, quae in libro statutorum e-

jusdem archiconfraternitatis continentur, quorum tenores hic pro expressis haberi volumus, data, tributa, et concessa tam respectu facultatis aggregandi confraternitates, et alia pia loca, indulgentiasque, et aliis communicandi, quam orationes 40. horarum, et indulgentias ad instar stationum Urbis certis anni temporibus indicandi, necnon caetera omnia, prout ipsa archiconfraternitas Confalonis de Urbe facit, et gerit, faciendi et gerendi in dicto regno Poloniae, facultatem, et auctoritatem tenore praesentium damus, concedimus, et impartimur.

§. 5. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die iv. Septembris Pontificatus nostri anno ii.

XCI.

Dat facultatem celebrandi festivitates. Ex reg. Secret. Brev. in mense Martio pag. 350.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aeterni Patris providentia militanti ecclesiae, quamquam immerito praesidentes, dum in universas orbis ecclesias ac regularia loca personasque voto religionis adstrictas pro injuncto Nobis apostolicae servitutis officio attendimus, ad domum et ecclesiam S. Sebastiani oppidi Sancti Martini ab Aggere ordinis fratrum minorum de observantia Cremonen. dioecesis, in qua solicitudine et labore dilecti filii fratris Francisci Gonzaga ordinis fratrum minorum de observantia generalis ministri, capita unius ex sociis S. Mauritii et unius undecim millium Virginum decenter recondita sunt, non sine magna spirituali consolatione populi ejusdem oppidi, eo favorabilius nostrae considerationis aciem convertimus, quo eadem ecclesia eisdem reliquiis illustrata a christifidelibus jugiter veneretur, ac pro majori eorumdem christifidelium devotionis augmento, et ut ipsi christifideles eo libentius devotionis causa ad ipsam ecclesiam confluant, quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, modernis et pro tempore existentibus guardianis et fratribus dictae domus, ut anno quolibet in ejusdem S. Mauritii ac S. Ursulae festivis diebus officium divinum sub duplici festo in eadem ecelesia celebrare libere et licite et absque aliquo conscientiae scrupulo aut censurarum et poenarum incursu valeant, praesentium tenore perpetuo indulgemus. Propterea omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in singulis eorumdem SS. Mauritii et Ursulae festivis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis singulorum eorumdem dierum annis singulis devote visitaverint, ac pro pacis inter principes christianos conservatione, ac haeresum extirpatione, necnon S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ibibi ad Deum preces fuderint, quoties in dictis diebus et eorum quolibet id fecerint quindecim annos de injunctis eis seu quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino etiam perpetuo relaxamus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiii. Martii Pontificatus nostri anno ii.

XCII.

Concedit indulgentiam collegio theologorum Neapolitan. Ex reg. Secret. Brev. in mense Martio pag. 365.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum retroactis, et priscis propemodum temporibus in civitate Neapolitan. ad Dei omnipotentis laudem, et christianae religionis propagationem unum insigne collegium doctorum theologorum, in quo fel. rec. Sixtus PP. IV. praedecessor noster, Nosque necnon ad praesens existens generalis ordinis S. Francisci inter diversos alios gravissimos, et doctissimos viros ascripti fuimus, canonice institutum existit, cujus et dictorum et theologorum hujusmodi, de cujus singulis annis statim post festum S. Lucae, celebrata prius missa de Spiritu Sancto, eligi consuevit. Ut autem electio ipsa cum majori decentia, et theologorum interventu ad majorem quoque Dei gloriam ac ipsius collegii celebritatem fiat, idemque collegium specialibus donis ac privilegiis decoratum, majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, precibusque quoque pro parte dilecti filii magistri Ambrosii Pasqua Neapolitan. ordinis fratrum praedicatorum expresse professi, et dicti collegii Vicecancellarii Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis doctoribus theologis vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui praefatae electioni intervenerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum die xx. Martii Pontificatus nostri anno II.

XCIII.

S. Bonaventuram Balneoregiensem inter SS. Ecclesiae doctores adscribit. Ex Bull. Cocqnelines tom. 4. part. iv. pag. 405.

Universis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et dilectis filiis aliarum ecclesiarum praelatis per universum terrarum orbem constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Triumphantis Hierusalem gloriam sempiternam, et Sanctorum cum Christo felicissime regnantium nunquam marcescentes coronas cum gaudio admirans Sancta Mater Ecclesia, adhuc in terris militans, ad eamdem vero justitiae coronam festinans, Deum in Sanctis suis mirabilem praedicare non cessat. Nec vero insignes tantum victorias, et praeclara Sanctorum merita eximiis laudibus celebrat, sed eosdem Sanctos, quos Deus mirifice honorificat, ipsa quoque pie veneratur ac colit, quorum nimirum praedicatione, salutarique doctrina instituta, sanguine fundata, illustribus charitatis operibus, atque exemplis educata, ferventibus illorum apud Deum precibus quotidie adjuvatur. Quamobrem debitia etiam, congruisque honoribus unicuique Sanctorum singulatim tribuendis, ad coelestis Hierarchiae, ubi omnia in charitate perfecta ordinata sunt, normam, atque imaginem sese conformare, quantum quidem in hujus praeterenntis mundi exilio licet, maxime studet. Nam quemadmodum in magna illa summi patrisfamilias, bonisque omnibus cumulata domo mansiones multae sunt, et beatae illae animae mira quadam varietate unius gloriae beatitudine perfruuntur, sic catholica ecclesia, quae coelestis illius effigies est, ut castrorum acies ordinata, in veneratione Sanctis Dei adhibenda, sacros illos ordines, divino illustrata lumine agnoscit, atque distinguit. Itaque dum gloriosum Apostolorum chorum, dum Prophetarum laudabilem numerum, dum fortissimorum Martyrum laudat exercitum, caeterisque Sanctis suo loco et ordine rite honores defert in uno charitatis spiritu, et consimili piae devotionis effectu multipliciter exultat. Inter illos vero beatissimos Sanctorum choros, quorum memoria a cunctis fidelibus religioso cultu merito celebratur, insigni splendore elucet Sanctorum Doctorum ordo a Paulo Apostolo diserte enumeratus, cum ait: et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et Doctores, quos vineae suae strenuos, fidelesque cultores, atque operarios constituit ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Hi sunt, de quibus divina sapientia clamat: qui elucidant me, vitam aeternam habebunt: de his Angelus apud Danielem loquitur: qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates: eos denique Salvator ipse Christus Dominus insigni illo elogio ornavit: qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Cum autem omnibus temporibus sacrorum doctorum studium et doctrinam in Ecclesia Dei utilis et salutaris fuit, tum maxime fructosam, et plane necessariam esse res ipsa demonstravit, cum persecutorum christiani nominis horribili furore represso, in ipsa Ecclesiae pace, teterrima haeresum bella

vehementius excitata sunt, tunc enim haereticorum doli et fallaciae, qui diabolo instigante in agro Domini zizania superseminare non intermittunt, doctorum cura et diligentia detectae, et pestiferi ac detestabiles errores gladio spiritus amputari, et catholicae veritatis vi, sacris doctoribus administris mendacium prostratum; quare jure optimo Hyadum stellarum nomine Sancti Doctores in ecclesia designantur, qui perfrigida hyeme, et longis infidelitatis noctibus expletis, et persecutionis tempestate sedata, tunc clariores sanctae ecclesiae exorti sunt, cum veritatis sol per corda fidelium altius calesceret, et tanquam novo fidei vere lucidior annus aperiretur.

§. 1. Jam vero inter eos, quos Dominus magno spiritu intelligentiae replere voluit, quique tamquam imbres eloquia sapientiae, suae in Ecclesia Dei emiserunt, merito numeratur S. Bonaventura Confessor et Pontifex, et in eadem catholica ecclesia Doctor eximius, quem fel. rec. Sixtus Papa IV. praedecessor noster, ob admirabilem vitae sanctitatem, et praecellentem doctrinam in Sanctorum numerum adscripsit.

§. 2. Is enim Balneoregii in Etruria natus, ut piae matris voto satisfaceret, adolescens seraphicam S. Francisci religionem est ingressus, per cujus vestigia recentia adhuc novus Christi miles humiliter et constanter incedens, saluberrimam regularium institutorum observantiam tanto animi ardore, tantaque cordis aviditate auxit, ut summa in eo sanctitas appareret, ac vitae innocentia, et castitate, sancta humilitate, patientia, mansuetudine, terrenarum rerum displicentia, coelestium desiderio omnibus et exemplo et admirationi esset, tanta quoque spiritus dulcedine, et divini amoris fervore inflammatus in Deum rapiebatur, ut jam in cellam vinariam sponsi introductus, et vino optimo charitatis ebrius, Jesum Cristum Crucifixum, et patientem utique intueri, et in ejus vulneribus habitare videretur. Ad hanc vero eximiam vitae sanctitatem vir Dei magnam praestantis doctrinae laudem adjunxit, Deo ita disponente, ut ad ejus gloriam, et Ecclesiae utilitatem, non solum exemplo, sed verbo, et eruditione magnopere proficeret. Itaque cum in sacrarum litterarum studio, SS. Patrum lectione, et scholasticae theologiae pernecessaria disciplina, Alexandro de Ales magistro insigni illius aetatis theologo, diligentissime versaretur, brevi temporis spatio excellentis ingenii bonitate, assiduo labore, et quod caput est, gratia Spiritus Sancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progressus fecit, et ad tantae doctrinae perfectionem pervenit, ut doctoris et magistri insignibus in celeberrimo Parisiensi gymnasio solemni more decoratus sacram theologiam ibidem publice professus sit.

§. 3. Tantam vero laudem in interpretandi munere, et in universae theologiae scientia est consecutus, ut viri doctissimi ejus doctrinam, et eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices sancti viri lucubrationes et praeclara scripta, quae adhuc magna Ecclesiae utilitate, et non mediocri Deo beneficio extant, quaeque et nostrae, et superiorum aetatum viri eruditi multo cum fructu legerunt, et magnopere comprobarunt, quantus ille in theologiam fuerit, satis declarant. Ea enim divini ingenii sui monimenta posteris reliquit, quibus perdifficiles, et multis obscuritatibus involutae quaestiones, magna optimorum argumentorum copia, via et ordine enucleate ac dilucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores, et profanae haereses profligantur, et piae fidelium

58*

mentes ad Dei amorem, et coelestis patriae desiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in S. Bonaventura id praecipuum, et singulare, ut non solum argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia praestaret, sed divina quadam animos permovendi vi excelleret; sic enim scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat, et in intimos animi recessus illabatur, ac denique seraphicis quibusdam aculeis cor compungat, et mira devotionis dulcedine perfundat, quam sane gratiam in ejus ore, et calamo diffusam admirans praedecessor noster Sixtus IV. Pontifex, illud dicere non dubitavit, Spiritum Sanctum in eo locutum videri.

§. 4. Cum igitur servo fideli tam multa et praeclara a Domino talenta essent credita, ut illis ad fratrum utilitatem excercendis et negotiandis coelestis gratiae thesauros amplificaret, divino consilio, et summo totius sui ordinis consensu, Romae minister generalis septimus post B. Franciscum est factus, quo in officii munere non solum prudentiam, vigilantiam, solicitudinem praestitit, sed tanto fraternae charitatis ardore exarsit, tantaque christianae humilitatis demissione fratribus inservivit, ut in eo illud Salvatoris agnosceretur, qui major est in vobis sit vester minister.

§. 5. Quin et piae mem. praedecessor noster Clemens Papa IV. qui sanctum virum valde dilexit, et ejus doctrina mirifice est delectatus, ut tam excellens virtus, et prudentia ad multorum utilitatem latiori in campo excurreret, insignem Eboracensem Archiepiscopatum ei obtulit. Ille vero cum se a seraphicae paupertatis complexu divelli non facile pateretur, oblatam dignitatem modeste atque humiliter recusavit.

§. 6. Ceterum cum Gregorius X. Summus Pontifex ob gravissimas christianae reipublicae causas concilium generale Lugdunum indixisset virosque sanctitate, doctrina, sapientia praestantes perquireret, quorum forti et fideli opera ad rei maximae tractationem, atque explicationem uteretur, duo in primis clarissima illius aetatis lumina e duobus florentissimis ordinibus Praedicatorum et Minorum delegit Sanctos Thomam, et Bonaventuram, quos ad se ire jussit. Sed cum alter in ipso itinere in morbum incidisset atque ad gloriae coronam feliciter evolasset, S. Bonaventura Lugdunum profectus, humanissime exceptus est a Romano Pontifice Gregorio, qui in ejus virtute, et sapientia ita acquiescebat, ut concilii recte dirigendi, et administrandi partes ei praecipue tribuendas esse decerneret. Quare ex publica Ecclesiae utilitate et necessitate, ut majori cum dignitate, et auctoritate concilii rebus non solum interesset, sed praeesset, statuit lucernam ardentem, et lucentem supra excelsum candelabrum ponere, ut in domo Dei magis luceret.

§. 7. Itaque S. Bonaventuram nullos honores appetentem, fugientem potius, sed Christi Vicario obtemperantem, nullosque pro Ecclesia labores subire recusantem, tamquam in totius orbis terrae theatro in sacrum Cardinalium collegium, et in Episcoporum ordinem statim cooptavit; nam Ecclesiae Albanen. illum praefecit, qui honos antiquioribus presbyteris Cardinalibus tribui solet. Qua ille amplissima dignitate auctus, universam in Dei gloriam, et ecclesiae utilitatem contulit: etenim in rebus concilii arduis operam egregiam praestitit, catholicam fidem constantissime defendit, pravas opiniones acerrime refutavit, ejusdemque prudentia, doctrina, sanctitate, orationibus, Gregorii Pontificis pastoralis solicitudo tantopere

adjuta est, ut sublato per Dei misericordiam schismatis dissidio, Michael Paleologus Graecorum Imperator, orientalesque nationes ad Apostolicae Sedis obedientiam, unitatem, communionemque redierint, ac denique dignus habitus est, quem Graeci Eutychii nomine appellarent.

§. 8. Merito igitur cum paulopost in eodem concilio fortissimus Christi athleta ex hujus vitae peregrinatione ad coelestem patriam emigrasset, omnes ejus mortem doluerunt, omnes communem jacturam deplorarunt, omnes illius funus lacrymis et laudibus ornarunt; sed unus praeter caeteros viri sanctissimi vitam integerrime actam, mores probatissimos, labores permultos pro Ecclesia susceptos, doctrinam in illo ipso concilio spectatam insigni laudatione verissime celebravit. Is fuit piae mem. Petrus Cardinalis a Tarantasia vir eruditione, et christiana eloquentia praestans, qui postea ad Pontificatus fastigium evectus, Innocentius Papa V. est appellatus. Ipse vero Summus Pontifex Gregorius X. ex intimi animi sensibus amissum fratrem, adjutorem, et consiliarum fidelissimum dolens, palam gravibus verbis testificatus est, catholicam ecclesiam, quae ex tanti viri pietate, et doctrina fructus uberrimos acceperat, magnam illius morte jacturam fecisse. Sed vere a Spiritu Sancto dictum est, in memoria aeterna erit justus: nam qui in vita illustris fuerat, multo post mortem factus est illustrior, Deo qui admirabilis et gloriosus est in Sanctis suis signis compluribus, ac prodigiis et miraculis maxime insignibus servi sui sanctitatem comprobante.

§. 9. Quorum miraculorum fama cum apud omnes percrebesceret, idem Sixtus praedecessor noster e sublimi Apostolicae Sedis specula ea aspiciens, digitum Dei, qui facit mirabilia magna solus, ibi plane esse intellexit. Itaque et sponte sua, et clarae mem. Federico Romanorum Imperatore, Regibus, Rebuspublicis, Ducibus, civitatibusque permultis vehementer requirentibus, ac omnium fere fidelium consensu efflagitante, de viro praestantissimo Bonaventura Episcopo Cardinali in sanctos referendo, Pontifice Romano dignam cogitationem suscepit. Summa igitur cura, et diligentia vitae illius eximia sanctitate, et miraculorum veritate examinata, atque comperta, omnibus denique, quae ad eam rem pertinebant, rite recteque actis, ad Dei gloriam, et ecclesiae catholicae exaltationem, pro sua summa, eique a Deo in beato Petro Apostolo tradita potestate, eumdem B. Bonaventuram de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, et praelatorum omnium consensu in Sanctos retulit, et in sanctorum confessorum pontificum Doctorum numerum adscripsit, atque aggregavit, ejusque festum anniversarium diem secunda mensis Julii Dominica die celebrari, officiumque de eo, veluti de confessore pontifice Doctore in universa ecclesia recitari jussit, aliis item decretis adjectis, quae in ejusdem Sixti litteris plenius continetur.

§. 10. Et quamvis gloriosus hic doctor S. Bonaventura, et in ecclesia catholica celeberrimus sit, et in coelo maxime resplendeat, ubi corona illa est coronatus, quam repromisit Deus diligentibus se, nec ulla humana re indigeat, qui bonis illis cum Christo perfruitur, quae nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt, urget Nos tamen charitas Christi, et ardens quidam devotionis affectus, quo erga eum ab ineunte fere aetate perpetuo exarsimus, ut de ejus sanctitate, et doctrina magis magisque propaganda, atque illustranda, quantum cum Domino possu-

mus, cogitemus. Movemur quidem, ut par est, sancta cum eo communione Seraphicae Religionis nostrae, in qua educati, et tot annos versati sumus, et cui tamquam matri optime meritae, omnia pietatis et grati animi monumenta praestare debemus, sed multo magis movent nos Dei gloria, pastorale officium quod gerimus, viri sanctissimi pro ecclesia Dei tot suscepti labores, tot illustria merita, tanta cum Romana Ecclesia conjunctio, in cujus amplissimo ordine, et senatu summa cum laude consedit. Denique movet nos ecclesiae universalis utilitas, quae ex tanti Doctoris eruditione semper major et uberior capi potest, praesertim cum haereticorum insidiae et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant, vehementissime nos magnopere admoneant, ut eamdem theologiam, qua nihil ecclesiae Dei fructuosius omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Divino enim illius munere, qui solus dat spiritum scientiae, et sapientiae, et intellectus, quique ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a majoribus nostris sapientissimis viris theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi doctores Angelicus Sanctus Thomas, et Seraphicus Sanctus Bonaventura clarissimi hujus facultatis professores, et primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus, et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt, et hujus quidem tam salutaris scientiae cognitio, et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, et conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum ecclesiae adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere, et sane intelligendas, et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos, et explicandos, sive ad varios errores, et haereses detegendas et refellendas. His vero novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in pejus, errantes, et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis, et haeresibus confutandis pernecessaria est; et profecto rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt judices, quibus theologia scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt, apta illa, et inter se nexa rerum, et causarum cohaerentia, illo ordine et dispositione tamquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus, et distinctionibus, illa argumentorum firmitate, et acutissimis disputationibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis, et fallaciis involuta, tamquam veste detracta patefieri, ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare, et evertere conantur, tanto magis Nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, et haereditatem Patrum nostrorum conservare et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare.

§. 11. Quamobrem ut Seraphici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latina diffundatur, et ex ejus libris, et operibus eruditi, et studiosi viri copiosiores suavioresque in dies fructus capiant (quod ad ipsius Sancti, quamquam in coelo beatissimi, gloriam aliquam facere non est dubitandum) primum quidem in alma Urbe nostra in hac Basilica

SS. XII. Apostolorum S. Bonaventurae nomine collegium instituimus, in quo ex hujus praecipue eximii, devotique Doctoris operibus, et commentariis, sacra theologia publice explicetur.

§. 12. Deinde etiam opera illius omnia, quae inveniri potuerunt partim nondum edita, nostraque auctoritate, et impensis undique conquisita, partim jam evulgata simul omnia decenti forma, et quam emendatissime imprimi, et e typographia nostra Vaticana in lucem emitti curamus. Quod autem ab ipso pontificatus nostri initio, Deo, ut pie credimus, inspirante, constanter proposuimus, sancti hujus Doctoris nomen et merita gloriosa apud omnes pro viribus celebrare, fideliumque erga eum venerationem augere, et amplificare.

§. 13. Sane ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctae mem. Pii Papae V. praedecessoris nostri de christiana republica optime meriti, et quem ut parentem adhuc reveremur, et colimus. Is enim religiosa pietate, et singulari devotione permotus, qua afficiebatur erga S. Thomam de Aquino ordinis sui decus, et ecclesiae catholicae ornamentum, cupiens eodem modo eumdem Sanctum ob ejus praestantissima in catholicam ecclesiam merita congruis honoribus exornare, praeter alia hoc jussit atque decrevit, ut illius festus dies quotannis duplicia officii ritu ad instar Sanctorum quatuor ecclesiae Doctorum perpetuo celebraretur; quod et S. Bonaventurae Doctori eximio tribui debere aequum profecto existimamus, cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinae, meritorum conjunctio, et similitudo intercedat. Hi enim sunt duae olivae, et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et charitatis pinguedine, et scientiae luce totam ecclesiam collustrant; hi singulari Dei providentia eodem tempore tamquam duae stellae exorientes ex duabus clarissimis regularium ordinum familiis prodierunt, quae Sanctae Ecclesiae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores, et pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existunt, ex quibus tamquam ex fertili, et fructuosae plantae procreantur, hoc est viri doctrina, et sanctitate praestantes, qui Petri naviculae tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici, ejus clavum non sine magna solicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navant. Hi duo Sancti cum essent coaevi, iisdemque studiis dediti, condiscipuli simul et magistri, pari ratione honorati, et in hujus vitae peregrinatione fraterna charitate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde conjuncti fuerunt, et denique pari gressu ad coelestem patriam commigrantes pariter felices, et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem charitatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant, divinamque opem implorant, ut merito idem Sixtus IV. hos duos sanctos persimiles, et quasi geminos in Christo fratres agnoscens, statuerit S. Bonaventuram consimili venerationis, et honoris praerogativa atque S. Thomam decorandum esse.

§. 14. Quod igitur a nobis, et seraphici ordinis charitas, et S. Bonaventurae meritorum magnitudo, et catholicae ecclesiae, cujus gubernacula nobis, licet immerentibus a Deo commissa sunt, utilitas, et aedificatio requirit, habita super his omnibus cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem consilio, et unanimi assensu, et ex certa nostra scientia, ac de attributae

nobis apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, doctrinam ipsius S. Bonaventurae a supradictis praedecessoribus nostris Clemente IV. Gregorio X. et Sixto IV. laudatam in concilio Lugdunensi maxime spectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, gravissimorum virorum auctoritate testificatam, et commendatam, et eximio Ecclesiae doctore dignam, Nos quoque plurimum in Domino laudamus, et commendamus, ac litteras ejusdem Sixti IV. quas pro expressis hoc loco haberi volumus, excepta ejus ordinatione de festo die S. Bonaventurae secunda Dominica Julii celebrando, harum tenore approbantes, et innovantes, ipsum S. Bonaventuram jure Sanctorum Doctorum consortio ab eodem Sixto IV. adscriptum, et numeratum, auctoritate apostolica tenore praesentium inter praecipuos et primarios, qui theologicae facultatis magisterio excelluerunt, habendum ac venerandum esse decernimus et declaramus.

§. 15. Atque ob eam causam sperantes in Domino hujus seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam et devotionem, quam in clero, populoque christiano magnopere lucere, et ardere cupimus, maximo adjumento fore, illius libros, commentarios, opuscula, opera denique omnia, prout ex nostra typographia Vaticana quam emendatissima, ut supra dictum est, emittuntur, ut aliorum Ecclesiae doctorum, qui eximii sunt non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

§. 16. Et nihilominus ut sapientissimi hujus Doctoris gloriosa recordatio, si non pro ipsius dignitate, et saltem pro humana tenuitate, ob ingentia illius merita ardentiori studio recolatur, fel. rec. Bonifacii Papae VIII. qui de sanctis quatuor doctoribus, et Pii Papae V. de praedicto S. Thoma eadem praeceperunt exemplo adducti, praecipimus, ut ejusdem S. Bonaventurae dies festus in omnibus christiani orbis partibus sub duplici officio a cunctis personis ecclesiasticis, saecularibus, et quorumvis ordinum regularibus, tam publice quam privatim pridie idus Julii (non obstante praedicta Sixti IV. ordinatione de secunda Dominica dicti mensis) celebrari, atque in calendariis cum Doctoris nomine, et festi duplicis adjectione subscribi, et imprimi debeat, etiamsi in novissimis Breviarii, et Missalis Romani reformationibus aliter dispositum fuerit, neque secus atque a nobis, ut supra ordinatum fuit, per quoscumque quavis auctoritate praeditos, censeri aut interpretari posse decernimus.

§. 17. Hortantes universos utriusque sexus christifideles civitatis Balneoregii, quae clarissimum hoc edidit lumen, et illius dioecesis, ut eodem die festo a servilibus, de sanctae Ecclesiae more, operibus abstineant. Ut autem christifidelium devotio et Seraphici hujus Doctoris diem festum colendum, ejusque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus christifidelibus tam in dicta civitate et dioecesi Balneoregii, quam in praeclara Galliae urbe Lugduno, ubi ille bono certamine legitime decertato, cursu consumato, fide

servata ex hoc calamitoso saeculo ad meritorum suorum praemium, et coronam in coelum feliciter migravit, in almaque Urbe nostra, ubi in hac Basilica SS. XII. Apostolorum collegium a nobis, ut jam diximus, est erectum constitutis; qui ejus festum hujusmodi, ut caeteras de praecepto Ecclesiae servari solitas festivitates, devote colentes, vere poenitentes et sacramentali confessione peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Qui vero ecclesias fratrum minorum S. Francisci ipso die festo a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei devote visitaverint, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effundentes, decem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis per praesentes litteras perpetuo duraturas, quas sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

§. 18. Quocirca fraternitati et discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, in suis quilibet provinciis, civitatibus, et dioecesibus solemniter publicari et ab omnibus personis ecclesiasticis, saecularibus, et quorumvis ordinum regularibus ubique locorum, et gentium inviolate perpetuo observari procurent.

§. 19. Volumus antem eorumdem praesentium transumptis etc.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Datum Romae apud Basilicam SS. XII. Apostolorum pridie idus Martii Pontificatus nostri anno III.

✠ EGO SIXTUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Sequuntur Cardinalium subscriptiones.

XCIV.

Erigit collegium S. Bonaventurae de Urbe. Ex Bull. Cocquelinas tom. 6. part. 4. pag. 388.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ineffabilis divinae providentia altitudo, cujus nutu ordinationem suscipiunt universa, jam inde ab ipso apostolicae praedicationis primordio almam urbem Romam adeo copiosis coelestium gratiarum donis, ac praerogativis cumulavit, ut quae antea per tot saecula variis superstitionibus quasi quibusdam praestigiis decepta, ac seducta tenebatur, quaeque fuerat erroris schola, tunc primum glorioso Beatissimorum Petri et Pauli Apostolorum martyrio Deo omnipotenti consecrata, sinceritate, ac solida christianae religionis doctrina illustrata divinae sapientiae ac veritatis, sacrarumque litterarum publicum gymnasium esse inciperet, et ab ipsa quae terrarum regebat imperium, tamquam a summa ac primaria omnium provinciarum sede in omnes partes lux illa veritatis sese diffunderet, quae communi generis salute divinitus tradita, tunc recens per eosdem Apostolos in tetra illa errorum caligine mundo fuerat revelata. Et exinde diversi Romani Pontifices nostri praedecessores sancto propagandae fidei zelo

accensi, eam pontificio munere dignissimam susceperunt curam, et solicitudinem ut eamdem urbem, unde vera pietas, religio, et doctrina in omnes gentes, ac nationes perpetuo disseminanda erat, alii religiosi collegiis et universitatibus, alii publicis et sacrorum librorum bibliothecis ornarent, atque augerent, sic quoque Nos qui regulari habitu ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci ab ineunte aetate suscepto, illius regulam, et instituta solemniter, riteque professi sumus, cum Romae in domo ipsius ordinis apud SS. Apostolorum Basilicam verbi Dei concionatoris, et postea universi ordinis minorum procuratoris, ac demum magistri generalis amplissimis muneribus fungeremur. Domum praedictam non modo fabricis, atque aedificiis, sed etiam bibliotheca auximus, atque ornavimus non sine fragranti desiderio aliquod ibidem collegium, ac divinarum litterarum, sacraeque theologiae studium instituendi, Quare nunc demum ad celsissimam Pontificatus sedem immensa divina clementia nullis nostris meritis provecti, rei optimae perficiendae propositum diutius non duximus differendum, cum praesertim hoc a nobis expostulare videatur, non solum apostolici muneris divinitus fidei nostrae commisi solicitudo, praecipuaque illa, qua urbem hanc nostram Romam diligimus, charitas et studium quo illius ornandae maxime flagramus, sed plane flagitat Beati Seraphici Francisci regularis ordo, ac quo tot summorum virorum doctrina, et sanctitate praestantium religiosae cohortes, et copiae ad ecclesiae Dei propagationem, et defensionem prodierunt, ut quod olim fel. rec. Innocentius PP. III. praedecessor noster praesignificavit, dum B Franciscum ipsius ordinis parentem, et auctorem suis humeris Lateranen. Basilicam collabentem sustinere in somnis vidit, id deinde communi bono christianae reipublicae ipsae rerum eventus comprobarit. Idem enim Franciscus ea sapientiae suae semina edidit, ea reliquit continentiae, abstinentiae, ac susceptorum pro Christo laborum tolerantiae documenta, ut qui ejus regulam sequuti sunt, quasi novae sobolis foetus adoptati, ac salutaribus praeceptis instructi, perpetua futurorum temporum successione universae catholicae ecclesiae ornamento extiterint; siquidem multi ex ipsis sanctitate atque eruditione insignes tanti Patris et Magistri bortatu atque exemplo excitati, multis variisque provinciis peragratis, nationes in tenebris aberrantes ad disciplinae christianae lucem revocarunt, ac convulsis vitiorum, atque errorum radicibus, verbi Dei, quod velut imber de coelo descendens, terramque inebrians, facit eam germinare, pia praedicatione mentes hominum foecundarunt, et usque adeo praeclari hujus ordinis tum sanctitatis tum doctrinae odor jam inde ab initio in omnem terram se diffundit, ita in dies magis hujus sanctae familiae alumni juvante Domino profecerunt, ut piae mem. Gregorius IX. et Gregorius X. aliique Romani Pontifices etiam praedecessores nostri ad res ecclesiae maximas gerendas, ejusdem ordinis professores adhibuerunt, ac potissimum duos illos spectatae pietatis, et doctrinae, qui legati apostolici ab eodem Gregorio X. Constantinopolim missi, Graecos ad Sanctae Apostolicae Sedis obedientiam, Tartaros ad catholicam fidem reduxerunt, quin etiam constans opinio fuerit seraphici Doctoris S. Bonaventurae opera, in concilio generali Lugdunensi idem egregie perfectum fuisse, ut longum sit recensere caeteros complures ejusdem ordinis regulares, qui per illorum gloriosa vestigia pleno gradu incedendo continuata

tot saeculorum serie ad nostram usque aetatem uberrimos ad Dei gloriam, et animarum salutem in sancta Dei ecclesia fructus protulerunt.

§. 1. Cum itaque monasterium S. Mariae de Arabona S. Benedicti, vel Cistercien. ordinis nullius dioecesis provinciae Theatinae, quod bo. me. Jacobus episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Sabellus nuncupatus ex concessione, seu dispensatione apostolica in commendam, dum viveret, obtinebat, commenda ipsa per obitum ejusdem Jacobi Cardinalis, qui nuper apud dictam sedem debitum naturae persolvit, cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat, modo, necnon perpetua cappellania sub invocatione Conceptionis, seu Nativitatis B. Mariae Virginis in ecclesia Veliterna per obitum quondam Joannis Petri Ghislerii, alias de consiliariis in dicta ecclesia dum viveret perpetui cappellani apud sedem eamdem defuncti vacaverit, et vacet ad praesens, nullusque de dicta cappellania praeter Nos pro eo, quod dudum omnis beneficis ecclesiastica apud sedem praedictam tunc vacantia, et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, ac ex tunc irritum et inane decernimus, si secus super eis a quoquam quavis anctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, Nos qui pietatis, ac disciplinarum et theologiae felices in Domino progressiones perpetuo fovere debemus, justissimis causis et rationibus adducti, quod semper antea in votis habuimus, id reipsa exequi volentes, eamdem Basilicam a rec. mem. Joanne PP. III. similiter praedecessore nostro plurimis privilegiis decoratam, novo collegio, ac studio divinarum litterarum, sacraeque theologiae ornare, reque augere decrevimus, ad hoc, ut in ea professoribus dictis ordinis minorum conventualium ad studia sacrarum litterarum hujusmodi occasio, et commoditas nostra, et sedis praedictae beneficentia subministretur, simulque novi operarii ad agri dominici culturam introducantur.

§. 2. Motu itaque proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine ad omnipotentis Dei laudem, et gloriam, necnon militantis ecclesiae exaltationem, divinique cultus, et orthodoxae fidei augmentum, ac religiosorum praedictorum commoditatem, atque perfectum in praedicta domo unum collegium viginti ad minus ejusdem ordinis minorum conventualium professorum in humanioribus litteris, et ingenuis artibus, nempe in logica, physica et metaphysica optime versatorum, ac alias juxta ordinationes, et statuta desuper facienda, et stabilienda qualificatorum, qui in hujusmodi collegio tanquam uberrimo divinae legis seminario sacrae theologiae seraphici eximii Doctoris S. Bonaventurae tantum studiis insistere, et operam suam navare, atque in quatuor sententiarum libris ejusdem S. Bonaventurae, quem inter praecipuos S. Ecclesiae Doctores adscribendum, et ornandum per specialem nostram constitutionem declaravimus, continue proficere studeant sub unius praestantissimi, et exercitatissimi lectoris, regentis nuncupandi doctrina et disciplina, qui etiam legendo, interpretando, ac disputando, ut moris est, in generalibus ejusdem ordinis minorum conventualium studiis eosdem religiosos collegiales exercere debeat, ut post peractum studiorum suorum hujusmodi cursum, tanquam feraces praedicti agri dominici plan-

tae in sacris scripturis exponendis, interpretandis, ac publicis verbi Dei concionibus habendis, aliisque spiritualibus officiis, et ministeriis ebeundis, sanae doctrinae germina latius diffundere, et superabundantes fructus ad communem utilitatem, et salutem, ordinisque minorum conventualium hujusmodi decorem producere valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus et instituimus.

§. 3. Illique sic erecto, et instituto pro ejus dote, ac lectoris, seu regentis, et collegialium hujusmodi sustentatione monasterium praedictum, in quo, ut accepimus, quatuor vel quinque dumtaxat monachi dicti S. Benedicti, vel Cisterciensis ordinis ibidem a suis superioribus seu pro tempore existente dicti monasterii commendatore introducti ad praesens degunt, ejusque fructus, reditus et proventus ad LX. florenos auri in libris camerae apostolicae taxati reperiuntur, et cappellaniam hujusmodi quae sine cura est, personalemque residentiam non requirit, ac cujus de illi forsan annexorum fructus, reditus, et proventus CCC. ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, sive cappellania praemisso, sive alio, et tam illa quam monasterium hujusmodi quibusvis modis, et ex aliorum quorumcumque personis, seu per liberam dicti Joannis Petri, vel alterius resignationem de cappellania, ac cessionem cujusvis de regimine et administratione monasterii hujusmodi in romana curia, vel extra eam etiam coram notario publico, ac testibus sponte factas, aut cappellania per assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint; quod cappellaniae collatio, et monasterii hujusmodi provisio juxta Lateranen. statuta concilii, aut alias canonicas sanctiones ad sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque cappellania dispositioni apostolicae specialiter, aut alias generaliter reservata existat, et provisio dicti monasterii ex quavis causa ad sedem eamdem specialiter, vel generaliter pertineat, ac de ipso monasterio consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, necnon super cappellania, ac regimine, et administratione monasterii hujusmodi inter aliquos lis, cujus statum, verumque et ultimum monasterii et cappellaniae praedictorum vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultat, praesentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, cum annexis, membris, bonis, proprietatibus, jurisdictionibus, juribus, et praeminentiis suis universis, ita quod liceat ex nunc ipsius collegii lectori, seu regenti, et collegialibus pro tempore existentibus illorum omnium corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios nomine ejusdem collegii propria auctoritate absque judicis mandato vel decreto, ac spolii, et attentatorum vitio libere apprendere, et perpetuo retinere, eaque regere, et administrare, ac fructus, reditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta monasterii, et cappellaniae, ac annexorum hujusmodi in suos, dictique collegii communes usus, utilitatem, et necessitates convertere, dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

§. 4. Ac in ipso monasterio dignitatem abbatialem, nomenque, titulum, et denominationem abbatis, necnon conventualitatem, si quae sit, ac S. Benedicti, seu Cisterciensem ordinem praedictum, illiusque statum,

essentiam, et dependentiam regulares eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo supprimimus, et extinguimus, ipsosque monachos ibidem degentes ad alia monasteria, seu regularia loca sui ordinis ad id eis a suis superioribus assignanda, vel alias ubi benevolos invenerint receptores, ita ut ea nunc deinceps in monasterio unito praefato nullatenus permanere, nec ex illius fructibus, vel rebus alimenta vel ullum omnino subsidium, aut jus vel actionem ibidem praetendere possint, sed statim habita praesentium notitia ad alia monasteria, et loca hujusmodi nulla alia a nobis expectata jussione, mentisque nostrae declaratione, sub excommunicationis latae sententiae, ac etiam carceris, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis ipso facto per contravenientes incurrendis transire debeant, ac rector seu regens, ac collegiales praefati ad alios monachos in dicto unito monasterio recipiendum et admittendum, illisque alimenta ministrandum, vel aliud quidpiam praestandum minime teneantur, nec obligati sint, minusque ad id cogi, vel compelli valeant, transferimus.

§. 5. Necnon fundationem, et institutionem monasterii hujusmodi, ac missarum, anniversariorum, et aliorum divinorum officiorum, obligationes, commissiones, et defunctorum suffragia, si quae sint, caeteraque onera eidem unito monasterio quomodolibet incumbentia in dicti collegii ministeria convertimus, etiam commutamus.

§. 6. Insuper eidem collegio, illiusque lectori, seu regenti, collegialibus, scholaribus, officialibus, ministris, et personis, ut omnibus, et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, indultis, caeterisque gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia praedicti minorum conventualium, et quorumvis aliorum ordinum collegia, ad quarumcumque bonarum litterarum, et disciplinarum cultum et propagationem ubique instituta, illorumque rectores regentes, collegiales, scholares, officiales, ministros, et personae de jure vel consuetudine, seu ex privilegio, etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter absque ulla prorsus differentia ut, potiri, et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde, ac si illa eis specialiter nominatim, et expresse concessa, et communicata fuissent, auctoritate et tenore praefatis pariter perpetuo concedimus et indulgemus.

§. 7. Ut autem dicti collegii prospero, ac felici regimini, et conservationi opportune consulatur, dilectum filium nostrum Alexandrum S. Eustachii Diaconum Cardinalem de Monte-Alto nuncupatum, et eo vita functo, alium ex familia nostra, si quis erit, sin minus antiquiorem ex provincia Marchiae Anconitanae oriundum, et utroque cessante protectorem praedicti ordinis minorum conventualium pro tempore existentem S. R. E. Cardinalem ejusdem collegii, illiusque lectoris, seu regentis, collegialium scholarium, officialium, ministrorum, et personarum, rerumque et bonorum protectorem, et defensorem, cujus consilio, et ope omnia supradicta, et quaecumque alia in eis, et circa ea quomodolibet necessaria agantur, statuantur, et ordinentur, statuimus, et deputamus.

§. 8. Praeterea Alexandro Cardinali, ac pro tempore existenti protectori praedicto lectorem seu regentem praedictum necnon una cum ipso

lectorem seu regente oeconomos, officiales, advocatos, procuratores, caeterosque ministros dicti collegii deputandi, et amovendi, ac loco amovendorum alios sufficiendi, necnon quaecumque statuta, ordinationes, et decreta circa ejusdem collegii, illiusque rerum, et bonorum spiritualium, et temporalium curam, directionem, regimen, et administrationem, quam collegialium praedictorum receptionem, et admissionem, eorumque qualitates, victum, amictum, studiique cursum, ac tempus, per quod in dicto collegio ali et confoveri debeant, ac alias in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna, licita tamen et onesta, ac sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, ipsiusque ordinis minorum conventualium regularibus institutis non contraria faciendi, et edendi, ac illa quoties pro eorum et temporum qualitate, vel alias expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac alia ex integro condendi, quae postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata, et condita fuerint, eo ipso dicta auctoritate confirmata, et approbata sint, ac esse censeantur, et ab omnibus ad quos pro tempore spectabit etiam sub poenis in contravenientes statuendis observari debeant, plenam liberamque facultatem concedimus et elargimur.

§. 9. Decernentes erectionem, unionem, annexionem, incorporationem, suppressionem, extinctionem, translationem, conversionem, commutationem, indultum, statutum, deputationem, concessionem, facultatem, aliaque praemissa, ac praesentes litteras nullo unquam tempore, sive pro eo, quod causae, propter quas emanaverint, et factae sint, coram locorum ordinariis, etiam tanquam praedictae sedis delegatis, vel alibi examinatae, verificatae, et approbatae, ac ordinarii, superiores, et monachi praedicti, vel quicumque alii interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive alias ex quibusvis causis quantumvis legitimis, et urgentibus de subreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illa quomodocumque juris, gratiae, vel facti remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso uti posse, neque sub quibusvis illarum, ac unionum, annexionum, incorporationum, seu aliarum similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam a nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in crastinum assumptionis ipsorum successorum nostrorum, et cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, ac alias quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis pro tempore emanatis, etiamsi de praesentibus litteris earumque toto tenore, ac data specialis specifica, et expressa mentio fiat, minime comprachendi, sed illis, ac quibusvis aliis contrariis non obstantibus in suos robore, et efficacia persistere, et quoties revocationes, suspensiones, limitationes, aliaque contraria praedicta emanabunt, toties in pristinum statum restituta, reposita, et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub data per protectorem, lectorem, seu regentem, collegiales, et personas hujusmodi quan-

docnmque eligenda de novo concessa esse, suosque integros, et plenarios effectns sortiri.

§. 10. Sicque per qnoscumque jndices, et commissarios ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici anditores, ac S. R. E. Cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quavis causa, et instantia judicari et definiri debere.

§. 11. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Camerinensis, et Montis Alti episcopis, ac dilecto filio curiae causarnm camerae apostolicae generali auditori per apostolica scripta motn simili mandamus, quatenus ipsi, vel dno, aut unus eornm per se, vel alinm, seu alios easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac qnoties pro parte protectoris, lectoris, seu regentis, et collegialium praedictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant anctoritate nostra praesentes litteras, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ac protectorem, lectorem, seu regentem, collegiales, et alios praesentes, eorumqne singulos illis pacifice frui, et gaudere, non permittentes ipsos, vel eorum quempiam desuper per qnoscumque qnomodolibet indebite molestari, perturbari, et inqnietari: contradictores quoslibet etc. invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 12. Non obstantibus praemissis, et qnatenus opus sit nostris de non tollendo jure quaesito, ac gratiis ad instar non concedendis, et unionibns committendis ad partes vocatis interesse habentibus, veroque valore, etiam beneficii, cui aliud nnitur exprimendo, necnon Lateranen. novissime celebrati, et aliorum etiam generalium conciliornm uniones perpetuas, nisi in casibus a jnre permissis fieri, et de monasteriis hujusmodi extra consistorium disponi, ac beneficia nnius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis uniri prohibentes, necnon similis mem. Bonifacii Papae pariter praedecessoris nostri etiam, quae cavet, ne qnis extra suam civitatem, vel dioecesim nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad jndicium evocetur, seu ne judices a dicta sede deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis suas vices committere audeant, seu praesumant, et in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis anctoritate praesentium, ad judicium non trahatur, aliisque, apostolicis, ac in provincialibus, et synodalibus conciliis praesentium editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon monasterii et ordinis, ac ecclesiae praedictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis, illis, eorumque praesulibus, capitulis, abbatibus, superioribus, magistris, conventibus, fratribus, religiosis, et aliis personis sub quibuscumqne tenoribus, et formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibns, et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Nos, et sedem praedictam,

etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarnm, Ducum, vel aliorum principnm instantiam, seu eorum contemplatione, et intuitu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam contra uniones, annexiones, et incorporationes, aliaque praedicta quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis eorumque tot tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel alii beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictae sedis, vel legatorum hujus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras, et processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque ad dictam cappellaniam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum, aliorum praejudicium generari, et quibuslibet, aliisque privilegiis, indulgentiis, et litteris apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem litteris mentio specialis.

§. 13. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, et incorporationem praedictas, dictum monasterium in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimenta non sustineat ac cura animarum, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, ipsaque cappellania debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Nos enim quoad cappellaniam prout est, si attentatum forsan est hactenus, vel imposterum; quo vero ad alia omnia supradicta ex nunc, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§. 14. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud S. Petrum xv. calendas Januarii Pontificatus nostri anno III.

XCV.

Applicat quaedam bona collegio S. Bonaventurae de Urbe. Ex reg. Secr. Brev. in mense Januario pag. 98.

Venerabili fratri Archiepiscopo Theatin. seu dilecto filio ejus vicario in spiritualibus generali.

Ex justis et rationabilibus causis animum nostrum moventibus volumus tibique mandamus, ut statim per te, vel alium, seu alios a te deputandos possessionem monasterii S. Mariae Arabonae Nullius, sive Theatin.

dioecesis, quam collegio sacrae theologiae conventus duodecim SS. Apostolorum ordinis minorum conventualium S. Francisci de Urbe nuper a Nobis erecto univimus, aliorumque annexorum et membrorum ejusdem monasterii, per obitum bo. me. Cardinalis Sabelli apud Sedem Apostolicam paulo ante defuncti vacantem, et dispositioni nostrae reservatam, nostro camerae apostolicae nomine una cum ejus fructibus, reditibus, et proventibus universis hactenus decursis, et in futurum decurrendis vigore praesentium capias et conserves, consignata postea eidem collegio cum primum litteras sub plumbo super unione hujusmodi tibi praesentaverint expeditas: contradictores quoslibet etc. invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die primo Januarii Pontificatus nostri anno III.

XCVI.

Adscribit B. Didacum Complutensem inter SS. album. Ex Bull. Cocquelines tom. 5. part. 1. pag. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rex regum ante omnia saecula Christus Dominus, qui propter perditi salutem hominis, forma servi accepta, in plenitudine temporis factus est homo, ecclesiam suam unice dilectam suoque pretioso sanguine acquisitam, supra beatissimum Apostolorum Principem Petrum cui petrae firmitatem dedit, in se ipso summo angulari lapide a christianae fidei primordiis aedificavit, et usque ad saeculi consumationem per omnes temporum aetates mirabiliter semper aedificat. Divinum vero admirabilis hujus aedificationis artificium, nec inflata mundi sapientia capit, nec terrena et carnalis prudentia ullo modo assequitur, diaboli autem astutia et superbia contremiscit. Nimirum quemadmodum ex pauperibus et contemptis plerumque hominibus, humili et obscuro loco natis, nullis artibus, nulla eloquentia instructis, nullo denique humanae potentiae praesidio communitis tamquam ex abjectis et reprobatis lapidibus tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis, tam stabilis, in tantam demum consurget altitudinem, ut ipsae inferorum portae ejus robur ac firmamentum perhorrescant. Sed viae Dei non sunt viae hominum, nec cogitationes ejus sicut cogitationes eorum. Itaque non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed etiam stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Sic omnipotens Deus per scandalum Crucis, et per stultitiam praedicationis salvos fecit credentes; sic ab ipsis nascentis ecclesiae initiis per sapientem Apostolorum infantiam infatuavit et gentium potentiam dejecit atque prostravit; sic denique per succedentes aetates brachio fortitudinis suae deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles sanctos suos.

§. 1. Hinc superiori saeculo, et patrum nostrorum memoriae valde propinquo, ex humili familia fratrum minorum S. Francisci humilem B. Didacum in Hispania natum, non doctrina praecellentem, sed qualis primi

illi nostri magistri et principes fuerunt sine litteris humano studio comparatis, ed idiotam et in sancta religioois professione laicum delegit, in quo ostenderet abundantes divitias gratiae suae, cujus admirabili vitae sanctitate et exemplo moltos ad viam salotis perdoceret, et senescentem ac pene decrepitum mondum magis magisque coargueret, quia quod stoltum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

§. 2. Itaqoe Pater misericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna solus, hunc servom suum parvulum, et demissum, coelestibus donis suis adeo ornavit, tantoque Spiritus Sancti igne incendit, manumqoe suam ad sanitates et signa, et prodigia Beati Didaci meritis cum in ejus vita, tum post mortem efficienda tam mirifice extendit, ut ia non solum apud suos in florentissimis Hispaniae regnis notus et clarus esset, sed apud exteros etiam ejus nomen magna cum gloria promulgaretur. Justus enim et misericors Dominus servos suos fideles ante mundi constitutionem elegit et praedestinavit ad vitam, non solum in coelo semper coronat, sed saepe etiam in terra ubi fortiter et legitime certaverunt multo gloriae splendore cumulat atque illustrat. Nimirum, ut praeclaras illas suas promissiooes persolvat: dabo vos, inquit, nominatos, et in gloriam et in laudem in cunctis populis terrae, ut se ipse in sanctis suis mirabilem demonstret, et potentiam suam signis et virtutibus declararet, ut propositis sanctorum gloriosis laboribus et meritis, qui homines fuerunt nobis similes circumdati infirmitate, segnitiem et tarditatem nostram in via virtutis excitet, et frigescentem charitatem accendat, ut haereticorum pravitatem coerceat, perversitatem confundat, dum ad sacras eorum reliquias divina virtute aegroti curantur, daemones pelluntur; ut mortuos qui in Domino sunt mortui beatos esse, et multo felicius vivere omnes intelligant. Postremo ut amici Dei multo maxime honorentur, et qui sancti sunt apud Deum, sancti etiam ab hominibus habeantur, ad quorum nos opem confugientes, eosque pie invocantes, eorum suffragiis adjuti, coelestem misericordiam facilius impetremus. Merito igitur B. Didacum laudamus, quem Deus multis, et illustribus ostendit miraculis praedicandum, de cujus beati viri vita, et rebus gestis, purissimae fidei integritate, morum excellenti sanctitate, signorum admirabilitate pauca quaedam libenter pro nostro pastorali officio populo Dei proponimus, ut laudetur Deus in sancto suo, et fidelium devotio tamquam salutari quodam et perjucundo cibo nutriatur, omnesque Deo gratias agant, publico nostro et hujus Sanctae Sedis Apostolicae testimonio, quae a Spiritu Sancto gubernatur et regitur, B. Didaci sanctitatem optimo jure declaratam esse et promulgatam.

§. 3. Natus est B. Didacus in Hispania in provincia Baetbica, et in oppido cui nomen est S. Nicolaus de Porta, quod est in dioecesi Hispalensi. Et ia quidem, ut foecundos ager coelestis gratiae imbre irrigatus, uberes fructus cito protulit.

§. 4. Nam adolescens ex medio Babylonis fugiens, hoc est ex laqueis et periculis saeculi, poenitentis habitu indutus, in propinquam solitariam ecclesiam una cum pio quodam sacerdote spiritualis vitae duce et socio secessit; ubi novus Christi miles in hujus fallacis mundi contemptione, et omnium humanarum rerum despicientia, in coelestium contemplatione, in corpore edomando, et spiritui subjiciendo se assidue exercens, magna

cum suorum oppidanorum aedificatione praeclarum tirocinium posuit.

§. 5. Post aliquot vero annos, ut se arctioribus vinculis Christo adstringeret, et a mundi tempestatibus quam longissime discederet, et sub suavi obedientiae jugo Deo securius et fructuosius serviret, in portum seraphici S. Francisci religionis confugit, eamque prope Cordubam in conventu de Arrixafa, ut vocant, quem fratres minores qui nunc de observantia nominantur, incolunt, verbis expressis est professus. Hic jam athleta Christi amplissimum virtutum stadium ingressus, tamquam obliviscens quae retro erant, et ad ea quae sunt priora se extendes, coepit omni contentione corporis et spiritus persequi, divina gratia suffragante, bravium supernae vocationis. Summa cura et diligentia in regulae observatione versabatur, quam in omni vita sancte adeo inviolateque servavit, ut ipse in cunctis religiosis functionibus et officiis, vivens quaedam et expressa regula esse videretur.

§. 6. In primis vero, quia sapientissimus architectus Spiritus Sanctus sublime regularis perfectionis aedificium in eo extruebat, altissimum humilitatis fundamentum jecit, et ut prudens ille aedificator in evangelio laudatus, fodit in altum, et aedificavit domum super petram: nihil sibi tribuens, nulli se anteponens, quo plura a Deo accipiebat, eo demissius se gerens. Itaque nullae diaboli machinationes domum illam tam egregie fundatam movere aut labefactare potuerunt. Superiorum et praelatorum mandata et jussa, tanta obedientia, tantaque alacritate exequebatur, ac si Deum in eis loquentem audivisset. Sanctam paupertatem Domini sui sponsam carissimam quam diligentissime custodiebat, omnia arbitratus ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Cumque satanae astutias non ignoraret, sed optime intelligeret infensissimum humani generis adversarium, tamquam leonem rabidum et rugientem dies noctesque circuire, ut Christi oviculas dilaceret ac devoret, numquam otio, aut torpori se dabat, sed stabat succinctus lumbos suos in veritate, indutus loricam justitiae, galea salutis assumpta, et scuto fidei arrepto, in quo omnia posset ignita nequissimi hostis tela extinguere.

§. 7. Corpus igitur et carnem suam illecebram peccati labore, jejuniis fere continuis, et flagellis castigabat, et in servitutem redigebat; praecipue vero ad excelsam illam arcem confugiebat, qua nulla fortior nulla munitior, hoc est ad sanctae orationis praesidium, cujus alis in coelum frequenter sublatus, terrenorum oblitus, suavissimo Dei colloquio fruebatur.

§. 8. In ea igitur schola divinitus eruditus, vir alioquin plene rudis et litterarum minime sciens, admirandum in modum de rebus divinis loquebatur, sensusque mirificos proferebat, ita ut viri eruditissimi, qui in sacrae theologiae studiis aetatem contriverant, summopere obstupescerent, illudque memoriae traditum est et gravi testimonio comprobatum, doctos et pios viros cum obstrusas et perdifficiles quaestiones ad res divinas animarumque salutem pertinentes cum eo familialiter communicarent, id ab homine litterarum experte cumulate didicisse, quod in celeberrimis accademiis a magnis doctoribus addiscere nequiverant.

§. 9. Ille praeterea orationis fructus erat uberrimus, quod jam in benedictionibus dulcedinis praeventus, et calicem illum praeclarum, qui cor inebriat, delibans, ardentis charitatis igne erga Deum et proximos toto

pectore aestuabat; quare bonorum omnium auctorem Deum, et beatissimam Dei genitricem semper Virginem humani generis advocatam, quam summa devotione semper coluit, non pro se solo, sed pro omnibus hominibus, et praesertim pro peccatorum emendatione continenter vehementissimeque orabat.

§. 10. Pauperes vero Jesu Christi tanto affectu diligebat, tantaque erga eos misericordia commovebatur, ut omni studio, quantum ei licebat, eorum inopiam et calamitates sublevare sedulo procuraret; quod si interdum praestare non posset, vim lacrimarum profundebat, eosque verbis amantissimis consolabatur.

§. 11. Aegrotos fratres omnibus charitatis officiis prosequabatur; assistere ad lectum, cibum ministrare, vigilare totas noctes, perferre omnes molestias tanta patientia, tanta humilitate, ut quorumdam purulentas plagas et abstergere non abhorreret; quo in genere eximia servi Dei charitas Romae aliquando in coenobio fratrum suorum, quod est ad Aram Coeli, insigniter eluxit. Nam anno quinquagesimo superioris saeculi, cum piae mem. Nicolaus Papa V. praedecessor noster sacrum jubilaeum de more celebraret, Romam venit B. Didacus, ut salutarem indulgentiam consequeretur, et Beatorum Apostolorum sepulchra, caeterorumque SS. Martyrum illustres memorias religiose veneraretur; magna erat annonae inopia, gravibus et periculosis morbis Urbs laborabat cum B. Didacus aegrotis curandis, quorum ingens erat numerus, a guardiano seu coenobii praefecto qui jam ejus sanctitatem degustaverat, est praepositus, cujus officii munus tam fideliter feliciterque administravit, ut in publicis angustiis omnia apud pauperes Christi abundarent, omnesque in servo Dei et copiosum charitatis spiritum et singularem illius apud Deum gratiam agnoscerent.

§. 12. Nec sane mirandum est, virum Dei membris Christi fratribus suis in quibus Christus ipse aegrotabat, tanto charitatis studio inservisse, tam impigre ministrasse, qui eo jam perfectionis progressus erat, ut charitatem illam qua nemo majorem habet, sponso animae suae praestare et persolvere concupisceret, et pro Christi nomine et confessione vitam et sanguinem profundere desideraret. Ea nimirum est perfecti amoris vis et natura, ut non facile conquiescat, sed majora semper et maxima appetat et moliatur, semperque actuosus et operosus sit. Itaque cum aliquando ad Insulas Canarias missus esset, ut guardiani officio in illo fratrum minorum conventu fungeretur, servus Christi cui vivere Christus erat et mori lucrum, coepit martyrii desiderio vehementer flagrare. Erat in eo non solum columbae simplicitas, sed et serpentis prudentia: quare multa cum vigilantia et regularis disciplinae observantia vir Dei in sua custodia excubabat, in omni sanctitate et justitia forma factus pausilli gregis sui, et fidelium Insulanorum, quibus bonus ordor Christi erat ad vitam, ita ut frequentes eum adirent, ex ejusque spiritualibus colloquiis miram caperent consolationem et voluptatem.

§. 13. Magnam vero exercendae charitatis segetem in Insulis illis nactus, simulque consequendi martyrii spe incitatus, multos ex Canariensibus infideles et impuris adhuc idolorum superstitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Christi fidem perduxit; quo in munere dum strenue versaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quae magna appel-

latur, diaboli invidia conflavit saepe in capitis et vitae discrimen venit, ut sese jam martyrii palmam potiturum speraret; sed Deo aliter disponente, non martyrio animus et voluntas, sed voluntati martyrium defuit, cum praeclare a beato martyre Cypriano scriptum sit, ad coronam Dei promerendam ipsius testimonium solum sufficere, qui arcana rerum scrutatur, et cordis intuetur occulta. Ergo et purpuream de passione coronam aliquo modo accepit, et multas de bonis operibus candidas reportavit, reservatus a Deo, ut multos Christo lucrifaceret.

§. 14. Jam enim in universa Hispania clarissimum erat B. Didaci nomen, magnamque apud omnes et venerationem et admirationem habebat, et tamquam Angelum quemdam in terris agentem sic eum homines intuebantur; nihil illo lenius, nihil mansuetius, lac et mel sub lingua ejus, et cor ejus mundum et simplex christiana dulcedine redundabat: omnia in bonam partem accipere, de nemine male judicare, nullum adversus aliquem verbum acerbius immittere. Si quem vero contra legem Dei, et regularem disciplinam peccantem animadverteret, zelo Dei incensus libere objurgabat, nulla tamen in re gloriam suam, sed Dei honorem, et fraternam utilitatem quaerebat. Signis etiam, et miraculis viventem servum suum illustravit Deus, ejusque excellentem fidem rebus mirabilibus afficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo singularis gratia curationum, ita ut undique ad eum ejus rei causa quamplurimi confluerent; ille vero fide quae per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cum digitum in lampadem quae ante sacram Beatissimae Virginis imaginem collucebat, demisisset, ex ejus oleo aegrotos signo crucis obsignatos perungebat, multorumque varios langnores et morbos, ejusdem crucis virtute, in qua sola gloriabatur, mirabiliter sanabat. Accidit aliquando, ut e coenobio in quo erat, ad oppidum S. Lucae de Barameda proficisceretur, fratre uno comite; cumque nullis cibariis acceptis jam sumendi cibi tempus advenisset, et ex itinere defessi essent, nec in proximo vico quidquam quo ex aliena misericordia reficerentur, Deo ita disponente, reperire potuissent, ad comitem sereno vultu conversus B. Didacus, eja, inquit, frater in Domino confidamus; ipse nos pascet; cum iter strenue prosequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam inter herbas prope viam positam vident, propiusque accedentes, album panem, pisces recentes coctos, et vini vasculum inveniunt; insistunt servi Dei, et in latissimo campo unde in omnes partes liber erat prospectus, omnia oculis perlustrantes circumspiciunt, si quis forte eo in loco prandium reliquisset; denique id quod erat rati, ad mensam sibi a Deo in deserto paratam veri Israelitae accumbunt, ac cibo et potione, siti fameque depulsa, quod superfuit ibidem relinquunt, Deo Patri misericordiarum gratias agentes, qui servis suis in eo sperantibus escam dederat in tempore opportuno. Quid, illud quod Hispali gestum est, quam magnae fidei est argumentum? Nam cum septennis puer, qui a matre vapulare solitus erat, in furno in quem ejus iracundiam fugiens se abdiderat, obdormisset, et furno ab ignara matre succenso expergefactus clamaret, vir Dei exanimatam matrem, ejulatu omnia complentem, ne quo se verteret scientem, ad majorem ecclesiam ire, ibique Matrem misericordiarum devote orare jussit; ipsa te, inquit, o mulier adjuvabit. Cum illa, quasi Dei nuncium audivisset, pergeret, ipse ad

furnum accedens, puerum ex maximo periculo extractum paolo post ad id templum adduxit, matrique suae salvum et incolumen reddidit. Ceterum cum justus judex Deus athletam suum tot victoriis illustrem carne, mundo, diabolo per Dei gratiam devicto, corona justitiae, quae illi ab omni aeternitate reposita erat, coronare decrevisset, servorumque multiplicatis talentis industrium, et in pauca fidelem supra multa constituere, et in gaudium vellet Domini sui introducere, B. Didacus in senectute bona, plenus dierum et operum bonorum in conventu Complutensi, in quo annos complures est commoratus, in supremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiae exemplum praebuit. Quadam autem nocte extra se raptus, sensu omni, et vitali motu amisso, ita ut a medico et qui adstabant fratribus, mortuus plane crederetur, tandem soluta ecstasi, ter aut quater haec verba locutus est: o quales flores habet Paradisus! In profundae vero humilitatis statione usque ad extremum vitae spiritum servanda ita firmus manebat, ita nusquam de suo loco decedebat, ut cum fratres singuli ab eo peterent, ut pro ipsis oraret, ipse contra se eorum orationibus vehementer commendabat, ut ipsis pro eo Deum orantibus, bonorum operum fructus quem illi in sanctae religionis observantia cumulaverant, sibi quoque a Deo communicaretur, atque ita misericordiam impetraret.

§. 15. Postremo cum se jam moriturum intelligeret, comitis illius et adjutricis fidelissimae, quae illum in hujus vitae peregrinatione numquam deseruerat, hoc est sanctae paupertatis, supremo vitae die non oblitus, sed in ejus intimo sinu, quammaxime fieri posset, spiritum emittere cupiens, convocatis fratribus eos obnixe rogavit, ut sibi vestem obsoletam et laceram, habitumque omnium vilissimum in quo moreretur, concederent; quo impetrato, multis profusis lacrymis, ab his qui adstabant, offensionum atque erratorum veniam postulavit; quibus copiose collacrymantibus, ipse cruce lignea quam ad caput habebat, arrepta, eamque amplexus, et osculatus, utroque brachio in altum fortiter sublato (cum tamen alterum gravi apostemate tumens, ac debilitatum antea movere non potuisset) oculisque in vitale signum defixis, verba illa ex sacro hymno magno affectu magnoque pietatis spiritu pronunciavit: dulce lignum dulces clavos, dulcia ferens pondera quae sola fuisti digna portare Regem coelorum et Dominum; quae cum dixisset, in ipso salutiferae Crucis complexu, quam unice dilexerat, quam in corde, et corpore semper gestaverat, in qua Christo confixus, et mundo crucifixus fuerat, animam efflavit et in domino obdormivit pridie idus Novembris anno Domini MCDLXIII.

§. 16. Ad ejus corpus (Didaci morte audita) magni undique concursus facti, illud devote omnes contingere, amictus particulas praescindere, capillos devotionis causa evellere, demum christiano rito corpus honorifice humatum est. Hic jam statim Deus mortui servi sui, cui in vita cooptatus fuerat, eximiam sanctitatem signis sequentibus comprobavit. Nam corpus quod jam humi sepultum fuerat, iterum non absque miraculi interventu, effossum, non solum integrum incorruptumque apparuit, sed cum per multos menses, ut pio studio satisfieret, et civium et aliorum qui ex diversis partibus occurrebant, insepultum jacuisset, non computruit, nullum tetrum odorem emisit. Immo vero corpus illud, quod vivens Spiritus Sancti templum fuerat, odorem suavissimum efflabat, quo

omnes mirifice recreabantur, qui quidem et in hodiernum usque diem ex ejus sepulchro suaviter et jucunde spirans a plerisque saepe sentitur. Illud quoque in beati viri mortuo corpore mirum accessit, quod ejus membra et artus, vitali calore destituti non obriguerunt, nec duri aut rigidi sunt effecti, ut cadaverum solent, sed molles erant et flexibiles quocumque verterentur. Quocirca laudanda est pietas et magnificentia clarae mem. Henrici IV. Castellae Regis, qui una cum filia periculose aegrotans, et B. Didacis precibus sanitate impetrata, nobile sacellum grati animi sui monumentum extruxit, ibique in arca ferreis laminis diligenter communita S. Didaci corpus decenter recondi jussit. Ad quod quidem sacellum, ut constat, non solum Complutenses cives, sed vicini et remotiores populi, atque ex omni fere Hispania fideles tanta devotione confluunt, tam multi beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliae fiunt, tot sacrificia in eodem ejus sacello celebrantur, tam multa et illustria dona voti reddendi gratia offeruntur, ut haec de S. Didaci sanctitate non exigui temporis tamquam rumoris aura, sed per annos centum viginti et amplius constans et perpetua fama et opinio, tantusque illorum fidelium, omnium generum, omnium ordinum consensus magni profecto et illustris testimonii loco habendus sit ad S. Didaci sanctimoniam comprobandam. Verumtamen multis quoque post obitum miraculis vir commemorabili sanctitate praeditus claruit. Nam in actis transmissis centum fere et triginta leguntur, Deo, qui glorificatur in concilio sanctorum, signis et prodigiis testante, servum suum non solum morum, sed etiam signorum virtute, nec operibus modo pietatis in vita, sed etiam miraculorum luce post mortem clarum, et venerabilem esse. Duron oppidum est in Hispania in dioecesi Seguntina; ex eo Catherina Martini filia, virgo annos duodecim nata, cum ante aliquot menses subita vi morbi surda et muta evasisset, brachiis item pedibusque paralysi dissolutis incedere nequiret, ad S. Didaci sacellum delata, cum ibi pervigilaret, ejus tacta manu et in crucis formam consignata, illico et aurium sensum et loquendi facultatem recepit, membrorumque usu restituto totoque corpore confirmato libere qua libuit, incessit, laudans et benedicens Deum. Adolescens quidam erat annorum fere viginti, Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui, Deo permittente, ab immundo spiritu annos complures vexabatur miserandum in modum, ita ut saepius interdum in die arreptus et terram allisus, horribiles corporis gestus ageret, et veluti mortuus relinqueretur; hic se B. Didaco humiliter commendans, et in ejus sacello aliquandiu invigilans, a miserabili vexatione omnino est liberatus. Cum Catharina Bartholomaei Sanchez uxor, expleto ad pariendum tempore, parere non posset; faetus enim in utero transversus alterum tantummodo pedem eduxerat, materque misera ab aurora ad vesperam in eo cruciatu permanens, in summo vitae discrimine versaretur et plane morti propinqua esset, socrus ejus Maria Grazia uxor Joannis Garziae incolae oppidi de Ambroz beati viri in maximis angustiis recordata, ad ejus opem confugit; itaque frustum amictus B. Didaci, parumque pulveris e sepulchro supra parturientem nurum imposuit, quae subito mortuum foetum edidit, ipsa salva. Mansit autem mortua puellula aliquot horarum spatio, sed ejusdem avia Maria jam semel beati viri opem in matre experta, eum pro neptis vita tanto fidentius orare

non dubitavit; quod cum devote fecisset, alterum etiam beneficium impetravit, et puella sacro baptismi fonte abluta, et geminae vitae munere a Deo donata diu postea supervixit. Illud autem quod in Maria della Pennela Petri Hernandez Complutensis filia, Dei virtute, per merita B. Didaci mirifice effectum est, notum et valde pervulgatum in Hispania, multique qui meminerint, supersunt. Invaserat virginem horribilis et deformissima paralysis, tanta nervorum dissolutione, et membrorum laxatione, brachiis cruribusque distortis, totoque corpore convulso, ut non jam mulier, sed monstrum esset, et medici se nihil unquam tale vidisse profiterentur; accedebant febres vehementes, et capitis dolores peracres et assidui, quibus misera gravissime afflictabatur; ea igitur ad B. Didaci corpus delata, cum in ejus intercessione et Dei misericordia confideret, et suppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum distortione et depravatione, omnique corporis infirmitate est liberata; quae tanti accepti beneficii non ingrata Deo virginitatem suam vovit, et sacrarum virginum collegio adjuncta, in monasterio S. Joannis, quod a poenitentia nominatur, sancte et religiose vitam duxit. Sed quod in principe Carolo charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici primogenito filio divinitus actum est, magnam apud omnes famae celebritatem habet. Aegrotabat Compluti adolescens princeps anno humanae salutis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, qui cum e scalis decidisset, gravissimum ex eo casu et prolapsione in capite vulnus acceperat; omnia remedia, omnes curationes adhibitae, quae humana industria praestari poterant, ut in tanto principe par erat; sed cum nihil humanum proficeret, morbusque magis semper ingravesceret, jamque ejus gravitati natura succumberet, medici Principis salute prorsus desperata, certam imminentis mortis horam praefiniunt, idque Regi patri, ne tam acerbo spectaculo interesset, denunciant. Cum igitur omnia humani adjumenti spes defecisset, ad divinum quod unum reliquum erat, praesidium confugiunt. Itaque devotionis ardore succensi, a fratribus suis B. Didaci corpus decenter et religiose in Principis cubiculum afferri curant, post annos fere centum integrum et incorruptum; quod cum Princeps beati viri patrocinio se commendans devote tetigisset, eo inde amoto vidit in somni quiete B. Didacum ante lectum stantem, et crucem arundineam manu gerentem, seque admonentem bono animo ut esset, et in Deo confideret; fore enim ut ex ea aegrotatione sanus fieret. Quare eo potissimum tempore, quo medici Principem moriturum praedixerant, non solum melius habere coepit, sed paulo post ex omni illo vitae discrimine divinia ac supra naturam adjumentis tam mirabiliter est ereptus, ut digitum Dei per merita B. Didaci ibi adfuisse omnes intelligerent. Sed praeter caeteros principes ipse et Philippus pater, incredibili laetitia tamquam redivivi filii affectus, id agnoscere et Deum glorificando palam profiteri.

§. 17. Itaque pius Rex cum charissimi et primogeniti filii vitam summa Dei clementia, per merita et preces S. Didaci ferret acceptam, cupperetque quacumque ratione posset gratiam aliquam Deo in sancto suo referre, anno insequenti ad fel. rec. Pium IV. praedecessorem nostrum una cum Principe filio et cuncta fere Hispania litteras dedit, quibus ab eo suppliciter petebat, ut pro sua, et Sanctae hujus Apostolicae Sedis summa auctoritate S. Didacum tam excellenti sanctitate virum, et tanta mira-

culorum claritate illustrem, in Sanctorum numerum referre vellet atque ab universa ecclesia pro Sancto venerandum esse statueret.

§. 18. Tam devotis iteratisque catholici Regis aliorumque postulationibus permotus idem Pius praedecessor, de iis io consistorio suo secreto referri jussit, et qoioque Cardinales coosilio et doctrioa praestantes delegit, qui ejusmodi permagni momenti uegotio praeessent; inter quos unus fuit Cardinalis Alexandrinus, cujus memoria io benedictione est, qui postea Pontifex factus, Pius ejus nominis V. est appellatus. Res suo ordine agi coepta est sub Pio IV. litteris iu Hispaniam transmissis ad testes ex formula examinandos, actque rite conficienda.

§. 19. Cumque ipse Pius IV. e vita migrasset, non destitit idem Philippus apud Pium V. et Gregorium XIII. itidem praedecessores nostros sedulo instare; sed Deo ita disponente, qnamvis pleraque superioribus annis sint acta, res tamen ipsa perfici sub illis Pontificibus, atque absolvi non potuit. Cum primum igitur humilitas nostra, noo nostris meritis, sed divinae clementiae abundantia, iu excelsa apostolicae solicitudinis specola his difficillimis temporibus est constituta, statim idem Philippus Rex oulla ex parte restiucto aut refrigerato suae fidei zelo, Nobis per dilectum filium nobilem virom Henricum de Guzman comitem de Olivares, soom apud Nos, et Sedem Apostolicam oratorem magnopere supplicandum curavit, ot posteaquam ea fere omnia, quae ad acta et processum S. Didaci pertinebant, ex hujus Sanctae Sedis praescripto confecta erant, Nos, quibus oniversalis ecclesiae cura esset credita, et ad quos solos ejos rei jodicium pertioeret, tam pio et tam ab ejus majestate, totaque Hispania exoptato operi, quod est de eodem B. Didaco Sanctorum catalogo adscribendo, supremam manum imponere vellemus.

§. 20. Et Nos quidem Regis ipsius religiosum studium et perseverantem hac in re sedulitatem commendantes, cupiebamus ejus piae petitioni quantum cum Domino liceret, satisfacere; tamen pro nostro pastoralis muneris officio statuebamus, in re tam gravi oulla praepropera festinatione utendum, sed omnia ex ecclesiastica disciplina, ex majorum nostrorum saluberrimis institutis, ex Apostolicae Sedis circumspectione diligentissime agenda esse; itaque duobus antiquioribus causarom palatii nostri auditoribus, doctrina et rerum usu praestantibus, ipsi fere primis pontificatus nostri diebus mandavimus, ut acta omnia totumque processum summa cum diligentia perlegerent, et examinarent; qoo illi iu munere menses complures sedulo accurateque versati, copiosam relationem omnium, suamque sententiam Nobis scripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio IV. huic negotio olim praepositi viam essent universae carnis ingressi,

§. 21. Nos primo anni superioris mense in consistorio nostro secreto alios in eorum locum suffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide Nobis probatos, adhoc autem et numero plores prioribus, ut io gravi causa prudenti multorum gravium virorom judicio adhibito, concta exquisitius discuterentur. Hi vero fuere more majorum ex tribus ordinibus delecti venerabiles fratres episcopi Alexander Ostiensis Farnesius, Marcus Antonius Praenestinus Columna, et dilecti filii nostri frater Michael S. Mariae super Minervam Alexandrinus, Julius Antonius S. Bartholomaei in Insula S. Severinae, Antonius SS. Joannis et Pauli Carafa, frater Costan-

tius S. Petri in Monte Aureo titulorum presbyteri Sarnanus, Ferdinandus S. Mariae in Via Lata de Medicis, et Hieronymus S. Mariae in Cosmedin diaconi Matthejus nuncupati, S. R. E. Cardinales, quibus commisimus, ut pro rei gravitate, proque ea qua Deo cordium scrutatori, et Nobis quoque in ejusmodi publico munere obeundo a primariis ecclesiae membris fidelitas et diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus, et miraculis B. Didaci, et Auditorum nostrorum relationem, quanta maxima fieri posset diligentia, inspicerent et expenderent, atque ad Nos opportuno tempore referrent, ut divina Spiritus Sancti gratia illustrante, de ipsorum et certorum fratrum nostrorum consilio, quae Dei gloriae, qui justitia et veritas est, consentanea forent, deliberare possemus.

§. 22. Multis igitur elapsis mensibus cum interea Cardinales ipsi frequenter congregarentur, acta, processus, rerum gestarum seriem, testes, singula denique ad sacrorum canonum praescriptum mature et accurate considerarent, examinarent, atque inter se conferrent, viros etiam sacrae theologiae, et pontificii juris scientia peritissimos in consilium adhiberent, cum jam omnia parata esse intelligeremus, secretum consistorium de more convocari jussimus, in quo venerabilis frater noster Marcus Antonius Episcopus Cardinalis Praenestinus, suo et collegarum qui ibidem assidebant, nomine, gravi et accomodata oratione de omnibus fideliter Nobis retulit, quibus explicatis ad extremum dixit, quandoquidem B. Didaci fidei integritas, egregiae virtutes, praeclara et insignia miracula optime essent comprobata, se et collegas suos unanimes in eam sententiam venisse, si ita Nobis videretur, ulterius nos progredi, et beatum illum virum in Sanctorum numero posse adscribere, quorum cum sententia etiam caeteri fratres nostri cardinales, cum a singulis graves sententiae dictae essent, ad unum omnes consenserunt.

§. 23. Quae cum audiremus, gaudens erat cor nostrum in Domino, quod beati servi sui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque ipso benedicente tam feliciter procederent. Quare in tam sancto pioque opere nihil omnino necessariae diligentiae praetermittentes, ex more institutoque majorum decrevimus, ut ad ulteriora procederetur, ac diebus aliquot interpositis, publicum consistorium indiximus, in quo praeter Cardinales etiam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, et Praelati omnes, et familiares nostri de more interfuerunt. In eo vero dilectus filius Pompejus Arigonius Romanae aulae nostrae consistorialis advocatus disertam orationem habuit de vitae sanctitate, rebus gestis, et miraculis B. Didaci, et denique Catholici Regis totiusque Hispaniae nomine, ut eumdem B. Didacum tantis meritis illustrem Sanctorum numero aggregaremus, Nobis humiliter supplicavit. Gaudeabamus etiam hoc loco in Domino, in cujus manu cor Regis est, et quocumque voluerit inclinat illud. Etenim plane videbamus, non sine divino instinctu fieri, quod catholicus Rex, cui multorum regnorum gravissima administratio a Deo est tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc B. Didaci negotio absolvendo versaretur, ut in magnis temporum difficultatibus, se suaque regna apud Deum novi patroni suffragiis, et pie et prudenter communiret. Quare respondimus Philippo Regi Catholico de B. Didaco, nostra et Apostolicae Sedis auctoritate in Sanctis adscribendo, tam diuturnam,

et perseverantem postulationem dignam esse singulari ejus pietate, dignam perpetuo catholicae religionis propagandae studio, laetari Nos, et Deo gratias agere, quod beatos servos suos, quos in coelis coronat, a nostra quoque tenuitate in terra honorari velit, eosque nobis ad auxilium et exemplum proponat. Et Nos quidem ad pium ejus desiderium explendum propensiores esse, facere tamen rei gravissimae magnitudinem, ut de regia petitione adhuc cum fratribus nostris Cardinalibus, et episcopis, etiam atque etiam deliberandum censeremus; quare eosdem fratres hortati sumus, ut omnia quae ad hanc causam pertinerent, diligentissime considerarent, quodque Nos ipsi jam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, ut corda nostra suo lumine collustraret, totamque hanc actionem ad sui gloriam et ecclesiae utilitatem disponeret et dirigeret.

§. 24. Haec cum essent acta, alterum item consistorium secretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos in Romana curia praesentes, protonotarios quoque nostros, qui ex numero dicuntur, et Rotae Auditores interesse jussimus. Tum Nos ipsi de sacrosanctae hujus Apostolicae Sedis, in qua Dei providentia sedemus, auctoritate et potestate, denique Spiritus Sancti singulari patrocinio atque infallibili assistentia a Deo in omnibus verbis suis fideli promissa, usque ad consummationem saeculi perpetuo affutura, quibus gubernatur, ea diximus, quae causae et temporis ratio potissimum requirere videbantur. Demum a Fratribus Nostris petivimus, ut quod alias statutum esset, ut ad ulteriora in hoc negotio procederetur, nunc praecise et expresse dicerent, an ex iis actis quae ipsi viderant, et audiverant, B. Didacus esset canonizandus. Igitur a S. R. E. Cardinalibus primum, deinde a Patriarchis, Archiepiscopis, pie, graviter, et erudite sententiis dictis, omnes unanimes id ipsum sententies, dixerunt sibi videri ex iis, quae matura ipsi hac de re viderant, et audiverant, B. Didacum a Nobis merito inter Sanctos esse adscribendum.

§. 25. Deo autem, qui in domo sua fratres in unum habitare facit, gratias agentes de tanta fratrum nostrorum consensione, quoque ad servum et amicum suum, quantum Nobis licet, honorandum corda nostra impelleret et illustraret, cum per ejus gratiam hucusque omnia rite atque ordine jam acta essent, quod reliquum erat, diem canonizationis praestituimus ad sextum nonas Julii, quo die memoria Visitationis B. Mariae semper Virginis ad Sanctam Elisabeth pie ab ecclesia recolitur, ut ejusdem humani generis advocatae patrocinio, tandem pium hoc opus prospere et salutariter a Nobis absolveretur.

§. 26. Fratres interea nostros hortati sumus, ut intermedio tempore una nobiscum precibus, eleemosynis, quas Nos et libenter et pie erogavimus, quemadmodum et Regis nomine ab ipsius Oratore factum fuit, jejuniis, sacrificiis Dei auxilium invocare non cessarent.

§. 27. Is igitur festus Visitationis dies, idest hodiernus cum advenisset, Nos et fratres nostri Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi sacris vestibus induti, inchoato per nos ipsos in nostra pontificia cappella hymno Ave Maris Stella, cantorumque choro prosequente, ut ipsa, quae Mater est gratiae, Nobis praeiret et praeluceret, caeteris etiam Romanae curiae praelatis, et officialibus, familiaribusque nostris, ac universo regulari, et saeculari clero, longo, devotoque ordine progredientibus,

omnes simul accensos cereos in manibus gestantes in ejus honorem, qui est lux vera, gloria, et splendor Sanctorum, e palatio nostro apostolico solemniter processimus ad antiquissimam et religiosissimam Basilicam principis Apostolorum, in cujus medio peramplum suggestum regio sumptu extructum erat, paratumque altare ad sacram pontificalem missam celebrandam, totaque templi facies in communi ecclesiae laetitia hilaris, et pontificio apparatu decenter ornata, omniaque spiritualibus canticis personabant, funalia et faces circumquaque ardebant, et vexilla appensa, in quibus beati viri imago expressa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam Beatissimae Dei Genitricis, sinistra crucem invictissimam gerit, et intuetur, cujus nimirum auxilio hostes teterrimos carnem, mundum, et diabolum superavit. Hinc Nos in maxima fidelis populi totiusque adstantis cleri frequentia, coelestis illius et triumphantis Hierusalem effigiem quamdam Nobis ante oculos proponentes, et quantum in hac lacrymarum valle licet intuentes, conscensis gradibus, in suggestu ante altare oravimus, mox in sublimi apostolico throno considentes, fratres nostros S. R. E. Cardinales et Episcopos omnes sacris vestibus ornatos et paratos, Nobis obedientiam de more praestantes excepimus.

§. 28. Tunc dilectus filius noster Petrus tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyter cardinalis Deza Hispanus, Catholici Regis Philippi totiusque Hispaniae nomine semel, iterum, et tertio suppliciter, et instantissime a Nobis petiit, ut B. Didacum in Sanctorum numerum adscriberemus, Nosque ad singulas ejus petitiones, Regis pietate, et beati viri meritis collaudatis, semper tamen per distincta intervalla, nostras totiusque cleri, et populi orationes, litanias, et sacros hymnos interposuimus. Demum cum jam nihil omnino ex his, quae a majoribus pie sancteque sunt hoc de genere instituta, esset praetermissum, immo potius matura deliberatio, summaque diligentia abundantius adhibita, invocato Sancto Creatore Spiritu, cujus consilio et sapientia S. Ecclesia columna et firmamentum veritatis regitur, ejusque numen saepe a nobis ex intimo corde multis etiam lacrymis imploratum, praesens adesse non dubitantes. Ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ad exultationem supernae et triumphantis Hierusalem matris nostrae, ad exaltationem catholicae fidei, et christianae religionis augmentum, auctoritate ejusdem Sanctae Trinitatis, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Romana curia existentium consilio, et unanimi consensu, Beatum fratrem Didacum de Sancto Nicolao provinciae Bethicae hispanum, ordinem minorum S. Francisci expresse professum, sepultumque Compluti in ecclesia fratrum ejusdem ordinis, de cujus fidei puritate, excellentia vitae, et miraculorum in vita, et post mortem claritate Nobis plenissime constat, in Sanctorum Confessorum numerum, et catalogum adscribendum esse decrevimus et adscripsimus, prout per praesentes decernimus et adscribimus, eumque et Sanctum ab omnibus venerandum esse mandamus.

§. 29. Statuentes, ut ab universali ecclesia anno quolibet die xii. Novembris festum ipsius, et officium sicuti pro uno sancto confessore tantum, ad formam in rubricis Romani Breviarii praescriptam, devote ce-

lebretur, quodque in ejus honorem ecclesiae, et altaria, in quibus Deo sacrificia offerantur, erigi, et fundari possint, eademque auctoritate omnibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis eodem die festo supradictam ecclesiam oppidi Complutensis Toletanae dioecesis, ubi corpus requiescit, necnon altaria et ecclesias, quae in ejus honorem constructae erunt, devote visitaverint, easdem indulgentias, privilegia, et gratias concessimus, et elargiti sumus, quemadmodum concedimus et elargimur, quae caeteris dicti ordinis Sanctorum ecclesiis concessae sunt.

§. 30. Quibus omnibus, quae ad S. Didaci canonizationem pertinebant, absolutis. ac laudis et gratiarum actionis hymno Deo decantato, ejusque auxilio per S. Didaci preces peculiari oratione, quam Nos clara voce pronunciavimus, implorato, tandem eodem in loco, et altari missam solemnem de Beatissimae semper Virginis Visitatione cum S. Didaci commemoratione Nos ipsi celebravimus, fidelibusque, qui tam piae, et religiosae actioni, et sacrosancto sacrificio devote interfuerant, ad Dei et Sancti sui gloriam, et laudem plenariam indulgentiam concessimus.

§. 31. Omnes igitur Deum coeli benedicamus, et coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam, agnoscamusque non sine magna Dei providentia factum esse, ut hisce afflictis christianae reipubblicae temporibus, quibus maxime multiplici Sanctorum suffragio indigemus, novus hic suffragator, et patronus fideli populo tribueretur. Et Nos quoque, qui in hac pastorali statione, in qua Nos Deus collocavit, de universi gregis Domini salute anxii dies noctesque pervigilamus, Dei erga nos singularem clementiam agnoscimus, qui post tot annos, post tot beatissimos Pontifices praedecessores nostros nobis humilibus hujus magni operis absolutionem reservaverit, qui cum sancto suo ejusdem saraphicae religionis communione consociati sumus. Quamobrem eumdem Patrem misericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut per merita et intercessionem S. Didaci ecclesiae suae pacem et tranquillitatem, Regibus et Principibus christianis unionem, vitam et felicitatem, miseris et obcaecatis lucem catholicae veritatis largiatur.

§. 32. Ceterum quia nimis difficile foret praesentes nostras originales litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum transumptis etc.

§. 33. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum nonis Julii Pontificatus nostri anno IV.

✠ *EGO SIXTUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS*

Sequuntur Cardinalium subscriptiones.

XCVII.

Privilegiis exornat altare, ubi Pontifex missam celebravit in canonizatione S. Didaci. Ex reg. Secr. Brev. in mense Augusto pag. 112.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter multa divinae clementiae munera, quibus Deus ipse, qui dives est in misericordia, Ecclesiam suam in miserationibus coronat, et hoc quoque merito connumerandum esse existimamus, quod his proximis diebus B. Didacus Hispanus ex ordine fratrum minorum S. Francisci, admirabilis viae sanctitate et miraculorum splendore illustris, per officium servitutis nostrae in Sanctorum Christi confessorum numerum est relatus. Quod pium et religiosum munus in Basilica Principis Apostolorum, ex majorum instituto sacris ritibus et caeremoniis adhibitis, in magna venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, totiusque cleri et populi frequentia tam solemniter et devote actum est, ut omnes Dominum magnificarent, Spiritus vero noster in Deo salutari nostro incredibiliter exultaret, quemadmodum litteris nostris de ejusdem B. Didaci canonizatione confectis sub datum Romae die II. Julii anno IV. nostri pontificatus copiosius explicatur. Et quoniam carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus pro sua perpetua et eximia quadam erga B. Didacum devotione, diuturno et perseveranti studio ab hac Apostolica Sede, superioribusque Pontificibus praedecessoribus nostris, et demum a Nobis ipsis instantissime postulavit, ut B. Didacus in Sanctorum catalogo adscriberetur, Nos ad ejusdem Regis spiritualem consolationem, paternaeque nostrae erga eum benevolentiae testificationem illud ipsum altare, in quo eodem B. Didaci canonizationis die Nos ipsi pontificalem missam de Beatissimae Virginis Dei genitricis Visitatione cum S. Didaci Confessoris propria commemoratione ritu maxime solemni celebravimus, ad eumdem Regem in Hispaniam asportandum transferendumque mandavimus, ut Rex, quem licet corpore absentem, pro ejus tamen, quam hactenus experti sumus, religione, spiritu praesentem fuisse pie credimus, nostri publicique gaudii diei illius ipse quoque partem aliquam oculis haurire possit. Cupientes autem ad omnipotentis Dei gloriam et S. Didaci memoriam, animarumque aedificationem, ut idem altare tanto illustrius et diuturnius rei gestae celebritatem repraesentet, quanto religiosius fuerit asservatum, ipseque de cetero missas in eo celebrandi usus, et sacrarum indulgentiarum salutaris concessio et fidelium devotionem excitet, et sacra praeteriti recordatio facti eorum corda magis commoveat: recogitantes praeterea non solum sacrorum canonum decreta, quae altari, in quo Episcopus missam celebraverit, eam reverentiam haberi volunt, ut non in eo statim alter celebret, nisi prius petita et impetrata licentia; considerantes quoque quod ex vetustissimo S. R. E. omnium ecclesiarum matris et magistrae ritu sacraque majorum traditione, in sacrosancti Lateranensi, ipsiusque Vaticanae Basilicae, aliarumque Patriarchalium Urbis ecclesiarum altaribus nemini praeter Romanum Pontificem divina mysteria celebrare licet; etsi ejusdem S. R. E. Cardinalibus illud interdum permittitur, non tamen nisi ex peculiari nostra et pro tempore Ro-

mani Pontificis dispensatione: ob eas causas, motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, ne quis presbyter, aut sacerdos, etiam episcopali aut majori dignitate praefulgens, auctoritate propria in altari supradicto, quod S. Didaci appellari, et in cappella regia, aut aliqua ecclesia ab ipso catholico Rege deligenda decenter collocari volumus, missas celebret, nisi quibus a Nobis certis tantum statisque diebus permissum est. Concedimus vero, et facultatem tribuimus in primis, ut quivis S. R. E. Cardinalis sive episcopus, sive presbyter, deinde alii Antistites, nempe patriarchali, archiepiscopali, et episcopali dignitate praediti, tum singuli abbates, mitrae tamen et baculi usum habentes, ii quoque qui in cathedralibus, vel metropolitanis ecclesiis majores post pontificalem dignitates obtinuerunt, minister generalis ordinis minorum S. P. Francisci, ac prior monasterii S. Laurentii, quod dicitur l' Escurial Toletan. dioecesis tantum in Domini Nostri Jesu Christi, ac gloriosissimae Virginis ejus genitricis Mariae festivitatibus, quinta etiam feria in Coena Domini, ac celebritatis omnium Sanctorum, ipsiusque S. Didaci natali die in dicto altari missas, ut dictum est, valeant celebrare. Regi vero, et regio sanguine geniti utriusque sexus personis, qui quolibet eorumdem dierum missis in dicto altari celebrandis devote interfuerint, centum annos et totidem quadragenas de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxamus. Si vero corde contriti, et ore confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et pro sanctae matris ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, ac principum christianorum concordi unione Deum oraverint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: aliis autem itidem contritis, confessis, et sacra communione refectis centum annos, et totidem quadragenas; reliquis vero quinquaginta annos de injunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta similiter relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, quas sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum revocationibus, suspensionibus quibuscumque illa concepta fuerint formulis, nisi certa et individua nostrarum litterarum habita mentione, minime comprehendi volumus, sed semper ab illis exceptas esse, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, et plenarie reintegratas esse et censeri decernimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xx. Augusti Pontificatus nostri anno iv.

XCVIII.

Praeficitur episcopus Ecclesiae Bosnensis. Ex actibus consistorialibus pag. 147.

Romae in Palatio Apostolico die 14 Novembris fuit consistorium, in quo

Sanctissimus providit Ecclesiae Bosnensi in regno eodem a Turcis jampridem occupato et vastato, per obitum Antonii episcopi pastoris solatio destitutae, de persona religiosi viri fr. Francisci ejusdem provinciae Bosniae Argentinae ex ordine minorum de observantia, sacrae theologiae pro-

fessoris, a suo superiore probati; ipsumque dictae ecclesiae in episcopum praefecit, cum facultate ecclesiam visitandi et dioecesim Belgradi locaque finitima Turcarum tyrrannide oppressa, in quibus nullus episcopus catholicus extat, et in eis pontificalia munia exercendi, prout dicto Antonio praedecessori concessum fuerat, cum decreto quod antequam possessionem adipiscatur, fidem profiteatur.

XCIX.

Praeficitur Episcopus Urgellen. Ex iisdem actibus pag. 125.

Romae apud S. Petrum die 29 Januarii fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Palottus pro D. Cardinali Farnesio proposuit ecclesiam Urgellen. vacantem per obitum Hugonis Ambrosii pro fratre Andrea praesentato a Rege Catholico, et omnibus annuentibus fuit expedita etc.

C.

Eligitur Episcopus Jucatan. Ex iisdem actibus pag. 227.

Romae apud S. Petrum die 3 Junii feriae 2. fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis Gesualdus proposuit ecclesiam de Jucatan. in Indiis occidentalibus vacantem per translationem D. Gregorii de Montealvo ad ecclesiam de Cuzco pro fratre Joanne ordinis minorum de observantia nominato a Rege Catholico, et omnibus annuentibus fuit expedita cum decreto ut supra etc.

CI.

Fit Episcopus Apten. Ex iisdem actibus pag. 121.

Romae apud S. Petrum die 22 Januarii feria 6 fuit consistorium, in quo

Reverendissimus D. Cardinalis de Giojosa proposuit ecclesiam Apten. in Francia pro magistro Pompejo de Seguisa ordinis fratrum minorum conventualium praedicatore regio nominato, et omnibus annuentibus fuit expedita etc.

CII.

Fit Episcopus S. Agathae Gothorum. Ex iisdem actibus pag. 140.

Romae in Palatio Apostolico die 17 Octobris feria 2 fuit consistorium, in quo

Sanctissimus D. N. proposuit ecclesiam S. Agathae Gothorum, quam providit de persona reverendi fratris magistri Evangelistae Pellei generalis ministri ordinis fratrum minorum conventualium etc. cum pensione an-

tiqua 2000 scutorum pro collegio Maronitarum, et 154 scutata pro Gerardo Glavarino clerico Bononiensi, et retentione generalatus usque ad capitulum generale, et est expedita.

CIII.

Translatio conventus. Apud P. Andream de Guadalupe in regesto Bull. pag. 22.

Dilectis filiis salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecistis, quod cum haec domus vestra a Terra de Cazalla de la Sierra Hispalensis dioecesis per unum milliare vel circa distet, ac propter illius vetustatem fere totalem sui ruinam minetur, ac una dumtaxat parochialis ecclesia in dicta Terra existat, dilecti filii universitas et homines ejusdem Terrae commoditate, ac spirituali consolatione, aliam dicti ordinis domum in quodam loco dictae Terrae ad hoc jam per eos designato, suis expensis construi facere deliberaverint. Nos piam hujus populi devotionem in Domino plurimum collaudantes, vobis postquam universitas et homines praedicti domum hujus ordinis in dicta Terra ad habitandum commodam loco prioris domus suis expensis construi fecerint, illius corporalem possessionem statim propria auctoritate, et nullius ad hoc requisita licentia accipiendi, illamque inhabitandi licentiam et facultatem apost. auct. ten. praes. concedimus, ac eidem domui sic constructae, illiusque guardiano, et fratribus pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis praesertim quarta funerali et aliis privilegiis, praeeminentiis, antelationibus, favoribus et gratiis, quibus prior domus vestra de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet utebatur, et gaudebat, uti, potiri et gaudere libere, et licite valeatis, eadem auctoritate de speciali gratia indulgemus, quatenus illa non sint contraria sacris canonibus, et decretis Concilii Tridentini. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die XXII. Octobris Pontificatus nostri anno IV.

CIV.

Datur facultas acceptandi domum. Ex reg. Secr. Brev. in mense Novembri pag. 216.

Dilecto filio ministro provinciali provinciae Principatus ordinis minorum S. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

Personarum quarumlibet earum praesertim, quae relictis hujus saeculi illecebris sub suavi religionis jugo se Deo devinxerunt commoditati quantum cum Domino possumus libenter consulimus, ut et fructuosius Deo servire, et sanctam religionem longe lateque valeant propagare. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii universitas et homines Castri seu terrae Montorii dioecesis Salernitan. cupientes religiosos tui ordinis pro peculiari, quam in religionem Seraphici Patris Francisci gerunt devotionem in earum terram introducere, unam domum pro conventu cum ecclesia

sub denominatione B. Mariae Angelorum aedificare coeperint, ac in ipsa domo et ecclesia, quae in ista provincia Principatus sita sunt, jam fratres aliquot fortasse possint commorari, Nos volentes tam dictorum fratrum commoditati, ac propagationi prospicere, quam piis eorumdem universitatis et hominum votis paterne annuere eorum supplicationibus inclinati, tibi, ut domum et ecclesiam praedictas cum omnibus annexis, juribus, et pertinentiis suis, quae hic pro sufficienter expressis haberi volumus, ab eisdem universitati et hominibus nomine dicti ordinis, ac pro eo acceptandi ac in eas tot fratres presbyteros et conversos ex eodem ordine, quod sufficere judicaveris introducere, qui sic introducti ecclesiae praefatae in divinis deserviant, ac sub uno guardiano, seu priore regularem disciplinam observantes in ipsa domo conventum ordinis supradicti construant, auct. apost. ten. praes. licentiam et facultatem impartimur, ac guardiano seu priori et conventui praedictis, postquam, ut praefertur, constituti fuerint, et introducti, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, exemptionibus, gratiis, indultis, et indulgentiis, quibus caeterae domus et conventus praedicti ordinis tam de jure, quam consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, aeque frui, potiri, et gaudere in omnibus et per omnia libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die VII. Novembris Pontificatus nostri anno IV.

CV.

Constituit Protectorem ordinis fratrum minorum de observantia. Ex reg. Segr. Brev. in mense Februario pag. 170.

Dilecto filio nostro Hieronymo S. Mariae in Cosmedin Diacono Cardinali Matthaeio nuncupato.

Cum ordo fratrum S. Francisci minoris observantiae, cujus dilectus filius noster Ferdinandus Cardinalis Medices Protector existebat, per liberam resignationem ejusdem Ferdinandi Cardinalis in manibus nostris factam Protectore careat, Nos idoneum et utilem eidem ordini protectorem, gubernatorem, et correctorem dare volentes, te, quem huic muneri pro singulari prudentia, virtute, integritate, et religionis zelo quibus praeditus es, idoneum esse novimus, praedicti ordinis protectorem, gubernatorem, et correctorem quoad vixeris cum auctoritate, facultatibus, honoribus et oneribus aliis protectoribus dari et concedi solitis, et cum potestate etiam vices tuas subdelegandi auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus, districte praecipiendo mandantes dilectis filiis ministro generali, et aliis praelatis, ac ministris, provincialibus, guardianis, prioribus, et fratribus dicti ordinis, et quibusvis aliis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, ut te in eorum et ordinis praedicti Protectorem, gubernatorem, et correctorem juxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique tamquam eorum protectori, gubernatori, et correctori pareant et obediant, ac obsequia aliis protectoribus, gubernatoribus, et

correctoribus dicti ordinis impendi solita reverenter et cum affectu praestent, et exhibeant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xxi. Februarii Pontificatus nostri anno iii.

CVI.

Declarat fratres conventuales manuteneri in possessione ecclesiae in castro Gimani. Ex reg. Secret. Brev. in mense Maio pag. 399.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis, fecerunt dilecti filii universitas et homines castri Gimani dioecesis Ariminen. quod cum dudum quamdam ecclesiam sub invocatione B. Virginis Mariae, vulgariter nuncupat. *il conventuccio di Casolostro* in ejusdem castri districtu ad omnipotentis Dei laudem et populi devotionem construxissent, et illi multos annos per cappellanos amovibiles saeculares et regulares in divinis deservire curassent, ut ea cura se liberarent, eamdem ecclesiam jurepatronatus quo ipsam retinebant, fratribus tertiariis vocatis S. Francisci commiserunt, qui deinceps cappellanos hujusmodi modo saeculares modo regulares, et praesertim ex fratribus ordinis minorum de observantia per plures annos deputarunt; sed cum praedicti fratres de observantia quibusdam de causis inde recesserint, loco ipso destituto, universitas et homines praedicti eamdem ecclesiam jurispatronatus praefati vigore, ne divinis destitueret officiis, titulo donationis fratribus ordinis minorum conventualium perpetuo concesserunt, ut ibi missas et divina officia celebrarent, ac populo verbum Dei explicarent. Cum autem dicti fratres conventuales ipsius ecclesiae possessionem per dilectum filium Gandulphum de Mancinis fratrem ejusdem ordinis et Castri adepti fuisseut, fratres de observantia sic possessione spoliati praetendentes non potuisse inde amoveri, nec possessionem supradictae ecclesiae et ejus conventus amittere, contra eosdem fratres conventuales insurrexerunt, et propterea lite inter supradictos fratres exorta, universitas et homines praedicti considerantes ex hujusmodi contentionibus nonnisi scandala, et perniciosa exempla oriri posse, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui causam et differentiam hujusmodi ven. fratri nostro Alphonso episcopo Tusculan. Cardinali Gesualdo viceprotectori ordinis minorum de observantia, ac dilecto filio nostro Hieronymo tituli S. Petri ad Vincula cardinali de Ruvere conventualium protectori eas cognoscendas et terminandas commisimus, cupientes pacem et concordiam inter quasvis personas praesertim ecclesiasticas et regulares, vigore hujusmodi supplicationibus inclinati auct. apost. ten. praes. juxta unanimem dictorum Cardinalium relationem Nobis factam, declaramus fratres ordinis minorum conventualium, quod ultimae donationis titulo in possessionem praefatae ecclesiae loci Casolostri immissi sunt, in ejus possessione manuteneri debere; fratres vero minores de observantia, qui tanquam cappellani per aliquod tempus ibi inhabitaverunt, et demum veluti pro derelicta habentes, eam vacuam reliquerunt, nullum jus in illa, et ad illam habere, et propterea perpetuum illis super hoc silentium imponentes, praefatam ecclesiam

fratribus ordinis minorum conventualium, quatenus opus sit, auct. apost. ac vigore praesentium de novo concedimus, ac assignamus. Decernentes eosdem fratres inibi cohabitare, missas et alia divina officia exercere, verbum Dei populo praedicare, et alia similia munia exercere, nec per fratres praedictos de observantia aut quoscumque alios inde amoveri, ejici, seu molestari, perturbari, aut inquietari posse, citra tamen approbationem dicti juris patronatus; sicque per quoscumque judices etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. Maii Pontificatus nostri anno IV.

CVII.

Jubet ut quaedam coenobia restituantur fratribus ordinis min. conventualium. Ex reg. Secr. Brev. in mense Octobri pag. 255.

Venerabili fratri Episcopo Argentin.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis et professores ordinis fratrum minorum coventualium S. Francisci Argentin. quod hic ordo tempore fel. rec. Leonis Papae X. praedecessoris nostri habebat et possidebat in dicta provincia, et locis catholicorum quatuor dicti ordinis domos Elsiszabren videlicet, et Ruffen, ac Cbeisersperg, et Molzen, quae tunc a professoribus ordinis fratrum minorum de observantia de facto et nulla subsistente causa legitima usurpatae et occupatae, ac ab ipsis postea desertae fuerunt, et in quibus ad praesens nullus inhabitat. Cum autem plurimum intersit dicti ordinis fratrum conventualium, ac totius reipublicae christianae has quatuor domos cum omnibus et singulis bonis mobilibus, si quae hodie exstant, et immobilibus quae tunc possidebant, eidem ordini fratrum conventualium restitui, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus haec quatuor domus cum omnibus et singulis bonis praedictis dicto ordini, seu pro eo ministro et professoribus ordinis fratrum conventualium et provinciae hujusmodi restitui, auctoritate nostra cures. Non obstantibus quibusvis etc.

Datum Romae apud S. Marcum die XXIX. Octobris Pontificatus nostri anno IV.

CVIII.

Tribuit facultatem excitandi domum pro fratribus capucinis in civitate Brixiae. Ex Bullario capuc. tom. 2. pag. 347.

Dilecto filio vicario ven. fratris nostri Episcopi Brixien. in spiritualibus generali salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoralis officii debitum Nos excitat et inducit, ut votis illis gratum praestemus assensum, per quae personarum ecclesiasticarum quarumlibet, praesertim sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium commoditatibus valeat salubriter provideri. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte

dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii monialium S. Urbani Brixiensis ordinis B. Mariae Virginis secundum regularia instituta S. Augustini viventium, et dilectorum filiorum moderni provincialis domorum ordinis fratrum minorum capucinorum nuncupat. provincia Mediolanensis, ac Durantis de Durantibus praepositi praepositurae S. Mariae Magdalenae, etiam Brixiensis olim ordinis Humiliatorum apostolica auctoritate suppressi, et extincti petitio continebat, quod de anno Domini MDXIII. tunc existens archipresbyter ecclesiae Brixien. quamdam ecclesiam ejusdem S. Urbani, etiam Brixien. cum quibusdam domunculis, ac horto illi adjunctis, quae possidebat, concessit quibusdam mulieribus, Deo invocato, pro inchoando unum monasterium monialium dicti ordinis, et sub regula ejusdem S. Augustini, cum onere solvendi praedicto et pro tempore existenti ipsius ecclesiae Brixien. Archipresbytero, unum ducatum auri de camera quomodolibet anno in perpetuum, itant monasterium ipsum, illiusque abbatissa, et conventus semper deberent esse sub protectione et regimine ac guberuio tam in spiritualibus, quam temporalibus dicti archipresbyteri, et numquam se quavis etiam apostolica auctoritate, a cura, regimine, et visitatione praedictis eximere et retrahere, aut aliorum curae se subjicere valerent. Et si aliquando contigeret abbatissam et conventum hujusmodi dictum locum, seu monasterium deserere, tunc et casu dicta ecclesia S. Urbani cum domunculis et horto praedictis, ac omnibus melioramentis inibi factis, deberent libere reverti ad ipsum archipresbyterum, dictamque concessionem ac omnia et singula in instrumento publico desuper confecto contenta fel. rec. Leo PP. X. praedecessor noster approbavit, et apud dictam ecclesiam S. Urbani monasterium hujusmodi construendi licentiam tribuit; et postquam sic constructum foret, illud ex tunc, prout ex ea die, et e contra in monasterium monialium erexit: necnon anno ejusdem MDLXXIX. Domini quondam Elisabetha de Pinto nobilis mulier Brixien. in suo ultimo quod condidit testamento, instituit moniales dicti monasterii pro medietate haeredes omnium et quorumcumque bonorum suorum, inter alia adjecto quod si moniales prredictae relinquerent, seu desererent monasterium praedictum, et ad aliud se transferrent, tunc et eo casu substituit confraternitatem S. Ursulae similiter Brixien. in locum dictarum monialium; novissime vero bo. me. Caro'us tituli S. Praxedis presbyter Cardinalis Borromaeus nuncupatus ac ecclesiae Mediolanen. ex dispensatione apostolica praesul ac visitator apostolicus ecclesiarum et monasteriorum, et aliorum locorum ecclesiasticorum Brixien. inter alia visitando dictum monasterium, pro eo quod non erat munitum clausura, et prope arcem civitatis Brixien. et in vico remoto et abstruso situm consistebat, aliisque forsan de causis decrevit omnino moniales praedictas transferendas esse ad alium tutiorem et magis congruentem locum, et hoc judicio, et arbitratu tunc existentis episcopi Brixien. unde abbatissa et conventus hujusmodi, uti obedientiae filiae cupientes ordinationi, seu decreto praedicto obedire, convenerunt cum dicto Durante de emendo situ seu loco monasterii dictae praepositurae cum usu illius ecclesiae decenti, et longe apto, et pluribus civium et honestarum personarum aedificiis circumsepto, et per dictum episcopum ad hunc effectum inspecto et approbato cum sedimine, horto, fonte, claustro, domibus, fabricis, membris, ac pertinentiis suis, pro livello annuo sex-

centarum librarum monetae illarum partium, incipiente illius solutione in fine anni incoepturi a die habitae pacificae possessionis monasterii dictae praepositurae cum pacto, quod dicta abbatissa et conventus a dicto livello, ac ejus onere se liberare et affrancare possint, solvendo dicto proposito duodecim mille libraa convertendas in emptionem unius domus pro usu, habitatione, et necessitate dicti Durantis, et successorum suorum in dicta praepositura, aut aliis stabilibus bonis, ac juribus aquarum pro irrigandis bonis stabilibus ejusdem praepositurae, et alias, prout eidem praeposito expedire videretur, seu possent assignare tot dominia directa, aut proprietates idoneas et securas in dicta civitate Brixien. vel illius clausura, aut alibi, ex quibus ipse praepositus dictum livellum annuatim perciperet in evidentem dictae praepositurae utilitatem, ipseque praepositus nihilominus teneretur ad celebrationem unius missae in ecclesia dictae praepositurae. Sed quia ipsa abbatissa et conventus ob earum paupertatem pretium praedictum persolvendi modum non habent, situm, locum, et usum dicti monasterii S. Urbani, ac ecclesiae, sacrarii, et totius sediminis, ac aedificiorum intra dicti monasterii S. Urbani claustra tantum comprehensorum cum aliis fabricis, et aedeficiis intra dicta claustra comprehensis, professoribus ordinis minorum capucinorum nuncupat. hujusmodi vendere; ipsi vero professores capucini, quibus alias quondam Clara Armana mulier Brixien. in suo ultimo, quod condidit testamento, legavit quamdam ejus domum in dicta civitate sitam, una cum certis aliis proprietatibus ad hoc, ut inibi construeretur una domus dictorum fratrum capucinorum cum ecclesia pro eorum usu, commodo, et habitatione maxime infirmorum, ac sub conditione, quod si ecclesia, et domus hujusmodi non construeretur, dicti fratres caderent ab haereditate, et eorum loco eo casu evenuto dilectum filium Paulum Stellam et alios, prout in dicto Clarae testamento dicitur contineri, substituit; sed commissarii, et executores dicti testamenti ipsius Clarae attendentes dictam domum eis, ut praemittitur, relictam, tum ob ejus angustiam, tum ob qualitatem loci in medio dictae civitatis existentis, et a multitudine personarum jugiter frequentati aptam non esse, ipsumque monasterium S. Urbani pro usu et habitatione dictorum fratrum commodum existere, eamdem domum dictis fratribus, ut praefertur, relictam cum certis proprietatibus illius in emptionem dicti monasterii S. Urbani alienare, et in recognitionem dominii, et proprietatis annuum censum seu livellum sexcentarum librarum monetae earumdem partium in fine anni incoepturi, a die habitae pacificae possessionis dicti monasterii S. Urbani computandi, necnon tres mille libras planetorum statim habita dicti monasterii S. Urbani per dictos fratres capucinos possessione, ipsius abbatissae, et conventui solvere intendunt cum pacto, quod se a dicto censu, seu livello sexcentarum librarum, ac ejus onere liberare et affrancare possent, solvendo dictis abbatissae et conventui duodecim mille libras similes in emptionem alicujus aptioris et commodioris loci pro usu et habitatione dictarum monialium, et pro dicta liberatione et affrancatione ejusdem abbatissae et conventui assignare tot directa dominia, seu proprietates idoneas, cautas, et securas in dicta civitate vel clausuria ipsius civitatis, ex quibus ipsae moniales annuatim percipiant dictum censum seu livellum sexcentarum librarum, si ad id eis nostra, et Sedis Apostolicae licentia suffragetur et

facultas. Quare pro parte abbatissae et conventus, ac provincialis, necnon Durantis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur certam de praemissis notitiam non habentes, ac abbatissam et singulares personas, conventus, ac provincialem, et Durantem praefatos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac tenores concessionis ecclesiae S. Urbani, ac litterarum, et instrumentorum, seu scripturarum desuper confectarum, ac ultimarum voluntatum et testamentorum, necnon situationes, confines, vocabula, denominationes, nuncupationes et annuos valores monasterii, domus, et praepositurae hujusmodi praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus te de praemissis diligenter informes, et si per informationem hujusmodi reperreris praemissa veritate niti, tunc abbatissae et conventui, ut situm, locum, et usum dicti monasterii S. Urbani, ac illios ecclesiae, sacrarii, totius sediminis, ac aedificiorum intra ejusdem monasterii S. Urbani claustra tantum comprehensorum, cum aliis fabricis et aedificiis intra claustra praedicta comprehensis, ipsis fratribus capucinis pro annuo censu, seu livello sexcentarum librarum pro pretio duodecim millium librarum, ut praefertur, redimendo, necnon tribus mille libris solvendis statim habita dicti monasterii S. Urbani per ipsos fratres capucinos possessione, necnon fratribus capucinis pro annuo censu, seu livello sexcentarum librarum pro pretio duodecim millium librarum, ut praefertur, redimendo, necnon personis meliorem conditionem offerentibus ad effectum solvendi censum sexcentarum, et pretium duodecim mille librarum hujusmodi, necnon Duranti praedictis situm, et locum dictae praepositorae, ac usum illius ecclesiae cum sedimine, horto, fronte, claustro, domibus, fabricis, membris, et pertinentiis suis, eisdem abbatissae et conventui, pro annuo censu sexcentarum librarum, ut praefertur, convertendo in emptionem unius domus pro usu et habitatione ac necessitate dicti praepositi, aut aliorum bonorum stabilium, aut jurium aquarum pro irrigandis bonis stabilibus dictae praepositurae, prout ipsi praeposito melius videbitur, in perpetuum vendere, et alienare valeant, ita ut fratribus olim ordinis Humiliatorum hujusmodi in dicta praepositura existentibus, quibus idem Durantes tenetur, et non aliis per dictas abbatissam et conventum provideatur, excepto dilecto filio Hieronymo Valle fratre olim dicti ordinis Humiliatorum, cui providendum erit per dictum praepositum, quoad vixerit, et eo defuncto teneatur in perpetuum, alium ejusdem suppressi ordinis Humiliatorum, si extiterit, vel alium sacerdotem in ejus locum surrogare, qui ad altare majus dictae praepositurae missas pro eodem praeposito celebrare debeat, et dicto altari majori remaneant paramenta, calices, cruces et alia utensilia, ac abbatissa et conventus hujusmodi omnia alia onera dictae praepositurae pro cultus divini manutentione incumbentia perferre omnino teneantur, licentiam et facultatem auctoritate nostra concedas, necnon abbatissam et conventum hujusmodi a jurisdictione et superioritate dicti archipresbyteri, dicta auctoritate liberes, ac illas loci ordinario subjicias, remanente tamen firma solutione unius ducati praedicti per fratres capucinos, seu abbatissam et conventum hujusmodi eidem archipresbytero, uti antea facienda, sicque per quoscumque judices etc. irritum quoque et inane decernas, si secus super

his, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc. Quibus omnibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum vii. idus Junii Pontif. nostri anno iii.

CIX.

Licentiam tribuit transferendi moniales. Ex reg. Secr. Brev. in mense Septembri pag. 547.

Venerabili fratri Episcopo Lamacen.

Quod Dei timorem et salutem animarum prae oculis habeas, ex fructibus tuis colligitur evidenter. Nuper etenim accepimus, quod cum in civitate Lamacen. nullum monasterium monialium adesset, ope primariorum, et populi hujus civitatis adjutus, coepisti jacere isthic prima fundamenta monasterii monialium ordinis S. Clarae, quae sub cura, obedientia, et jurisdictione tua, tuorumque successorum ecclesiae Lamacen. praesulum, seu administratorum pro tempore existentium viverent. Cum autem ad monialium hujus novi monasterii salubrem directionem requirantur quatuor maturae aetatis moniales, et in monasterio monialium de Mourique Portugallen. dicti ordinis sex aut septem hujus aetatis moniales reperiantur, Nos tuum pium desiderium promovere cupientes, ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, de consilio dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium super rebus, et negotiis regularium deputatorum, fraternitati tuae cum primum hoc novum monasterium perfectum, et debita clausura munitum fuerit, quatuor ex dictis aut sex aut septem monialibus ex eodem monasterio de Monrique, accedente consensu Ordinarii, et abbatissae, ac monialium dicti monasterii de Monrique educendi, et ad hoc novum monasterium transferendi, licentiam et facultatem per praesentes concedimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die v. Septembris Pontificatus nostri anno iv.

CX.

Ut excitetur monasterium Clarissarum in civitate Anconae. Ex reg. Secret. Brev. in mense Maio pag. 565.

Venerabili fratri Episcopo Anconitano.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Anconitan. quod ipsi dudum ad compescendam usurarum judaicarum voraginem, quae facultates hujus civitatis pauperum exhauriebat, et obviandum aliis incommodis, quae inde nascebantur, Montem Pietatis, qui de anno Domini mdxxxii. in mutatione gubernii dictae civitatis remissus, seu extinctus fuerat, resumpserunt, et renovarunt, dictoque Monti nonnullas dictae civitatis terras in Piano de Fumesino sitas ex decreto publico applicarunt seu assignarunt; cum autem sors princi-

palis dicti Montis Dei benignitate, et communitatis ac hominum praedictorum diligentia et industria ita aucta existat, ut illa ad sublevandas non solum dictae civitatis, sed etiam illius comitatus pauperum necessitates sufficiat, prout ex revisione de ordine tuo facta constare dicitur, et de quo etiam Nos nuper gubernator dictae civitatis certiores fecit. Unde si in dicta civitate, quae satis populosa est, et in qua duo dumtaxat monasteria monialium existant, ac multae virgines puellae virginitatem suam Deo sponso suo dedicare desiderant, unum aliud monasterium monialium pro quadraginta aut quinquaginta monialibus erigeretur, et instituerетur, illique sic erecto, et instituto fructus dictarum terrarum, quae mille et sexcentis scutis monetae annuatim locantur, ab eodem Monte dismembrandi applicarentur, pio et devoto harum virginum desiderio, ac communitatis et hominum praedictorum votis satisfaceret; Nos qui religionis propagationem, ac divini cultus augmentum supremis desideramus affectibus, tenorem dicti decreti, ac earumdem terrarum quantitates, qualitates, denominationes, et veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictorum communitatis et hominum hac in parte inclinati, fraternitati tuae in aliquo honesto et decenti, ac tibi, necnon communitati et hominibus praedictis beneviso dictae civitatis loco monasterium monialium sub invocatione S. Palatiae V. et Martyris ordinis S. Clarae, quod tuae et pro tempore existentis episcopi Anconitan. jurisdictioni subsit, pro abbatissa, ac quadraginta, aut quinquaginta, aut alio monialium numero infra quatuor dumtaxat a data praesentium computandos annos, sine alicujus praejudicio cum ecclesia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, et aliis officinis necessariis ex introitibus et reditibus dicti monasterii construi et aedificari faciendi, et ab ipsis terris fructus, reditus, et proventus, etiam maturos, et ab ipso Monte usque ad praesentem diem nondum exactos, prout fabricae dicti monasterii judicaveris esse necessarios, dismembrandi, et separandi, illosque dismembratos et separatos eidem fabricae applicandi et appropriandi. Quod si illi non suffecerint ad praedicta, tunc pecunias super dictis terris ad census annuos intra quinquennium a die impositionis per eas extinguendos accipiendi, aut alias dictis terris obligandi, ad effectum, ut dictum monasterium infra quadriennium perficiatur, ita tamen, ut nulla dictum monasterium postquam fabricatum, et ad debitam clausuram redactum fuerit, ingrediatur, nisi prius monasterium ipsum in summa annua mille scutorum dotatum fuerit; quod, ut fieri possit, volumus, ut ex reditibus dictarum terrarum in futurum elapso quadriennio hujusmodi fiat capitale, ex quo summa annua mille scutorum redigatur, ipsoque monasterio perfecto et dotato, ut praefertur, fructus, reditus, et proventus dictarum terrarum ipsi Monti libere cedant, et in pristinum statum, gubernium, et usum convertantur, licentiam et facultatem auct. apost. ten. praes. concedimus; et insuper si monasterium praefatum per te construi et aedificari fieri contigerit, dicto monasterio, ac in eo pro tempore commorantibus monialibus, quod omnibus et singulis privilegiis, concessionibus, exemptionibus, liberationibus, immunitatibus, gratiis, et indultis quibus alia dicti ordinis monasteria in genere, vel in specie utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri, et gaudere, ac quaecumque statuta et ordinatio-

nes, justa tamen et rationabilia, sacris canonibus, et sacri concili Tridentini decretis non contraria, pro felici regimine dicti monasterii condere, necnon ipsis communitati et hominibus, quod pro conservatione et augmento bonorum ipsius monasterii syndicos, quorum opera, reditus, et res ipsius monasterii rite administrentur, expensis ejusdem deputare libere et licite valeant, ejsdem auctoritate et tenore indulgemus. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxi. Maii pontificatus nostri anno iv.

CXI.

Mandat ut extrahatur caput S. Agapiti Martyris. Ex reg. Secr. Brev. in mense Julio pag. 253.

Venerabili fratri Episcopo Caprien.

Cum Nos certis et justis de causis animum nostrum moventibus magnopere cupiamus, ut caput S. Agapiti martyris, quod in ecclesia fratrum minorum observantium S. Francisci civitatis nostrae Cornetan. in praesentiarum asservatur, ad Nos ea qua decet reverentia et custodia quamprimum asportetur, fraternitati tuae, de cujus fide, prudentia, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut statim te ad praedictam civitatem conferas, eamdemque ecclesiam S. Francisci adeas, et accersitis a te dilectis filiis guardiano et fratribus praefatis, nomine nostro in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae, et aliis arbitrio nostro infligendis poenis praecipias, ut locum, in quo praedictum S. Agapiti caput custoditur, ostendant, tibique illud ut nunc existit, exhibeant, ac tandem relicta prius guardiano et fratribus praedictis ejusdem capitis in eademet theca in qua reconditur, parte tibi benevisa, quae justa et congrua sit, ipsum reliquum caput inde extrahas, et ad Nos decenter et honeste custoditum quantocitius afferas, facultate insuper vigore praesentium tibi a Nobis expresse compartita, tam gubernatorem, quam communitatem et homines praedictae civitatis Cornetan. ut pro praemissorum executione omnem favorem, et auxilium opportunum et necessarium praestent nostro similiter nomine, et sub eisdem poenis monendi, et requirendi, necnon contradictores quoslibet etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die vii. Julii Pontificatus nostri anno iv.

CXII.

Mittit ad Ecclesiam Praenestinam caput S. Agapiti M. Ex eodem regesto pag. 255.

Venerabili fratri Marco Columna S. R. E. Cardinali Episcopo Praenestino.

Cum nuper mandaverimus venerabili fratri Episcopo Caprien. quatenus se ad civitatem Cornetanam conferret, ac caput et reliquias S. Agapiti

martyris, qui tempore Aureliani Imperatoris martyrii cupidissimus, propter constantiam religionis Imperatoris jussu post multa et gravia tormenta sibi illata ad Praeneste securi percussus est, tempore fel. rec. Eugenii Papae IV. praedecessoris nostri belli, et temporis injuria ex ecclesia Praenestina, quae sub invocatione ejusdem S. Agapiti Martyris dicata, ac una ex celebrioribus ecclesiis Urbi finitimis existit, cuique circumspectio tua ex concessione apostolica praeesse dignoscitur, extracta, et ad civitatem Cornetanam transportata, dimissa in ecclesia domus ordinis fratrum minorum de observantia aliqua illius parte, ad Nos Sedemque Apostolicam deferret, prout in litteris in forma brevis plenius continetur, dictusque episcopus Caprien. litteras praedictas debitae executioni demandaverit. Ut itaque dicta ecclesia Praenestina laetetur, suique martyris et protectoris confisa suffragiis, atque ejus precibus gloriosis et devota permaneat, et secura consistat, supplicationibus circumspectioni tuae Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, caput et reliquias hujus S. Agapiti Martyris per eumdem episcopum Caprien. huc delata, ob tuum erga dictum Sanctum devotionis affectum, eidem ecclesiae Praenestinae apostolica auctoritate tenore praesentium restituimus, seu donamus, et concedimus; ac omnibus et singulis cujuscumque ordinis etc. ne caput et reliquias hujusmodi seu earum vel minimam partem etc. ex dicta ecclesia Praenestina extrahere, seu dimovere audeant, vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae eo ipso per contrafacientes incurrenda poena praecipimus. Ut autem caput et reliquiae hujus etc. in debita veneratione habeantur etc. poenitentibus et confessis qui ecclesiam praedictam Praenestinam etc. die festo ejusdem Sancti etc. visitaverint etc. plenariam indulgentiam etc. ad decennium proximum concedimus.

Datum Romae apud S. Marcum die xviii. Julii Pontif. nostri anno iv.

CXIII.

Respondet propositis dubiis super illegitimos et criminosos ad habitum regularem admittendos. Ex Bull. Laertii Cherubini tom. 2. pag. 458.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Romanum spectat Pontificem sacrorum canonum conditorem, quae per eum sancita sunt, ita suae declarationis arbitrio dilucida reddere, ut inde nemini possit dubitationis scrupulus exoriri, praesertim vero salubriter consulere, ut cum de regularibus agitur, qui se omnino Dei omnipotentis obsequio manciparunt, tollantur ea omnia, quae eorum sanctum Christo pie inserviendi institutum quoquomodo valeant perturbare.

§. 1. Sane post editam nostram constitutionem, quae incipit: Cum de omnibus ecclesiasticis ordinibus etc. super modo et forma recipiendi et admittendi eos, qui sub religionis jugo Altissimo famulari desiderant, cum variae sint exortae dubitationes et quaestiones, eaeque postea ad audientiam nostram perlatae,

§. 2. Nos ad tollendam omnem ambiguitatem, occasionem, habita cum venerab. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus congregationis super regularium negotiis et consultationibus per Nos institutae, matura delibe-

ratione, de illorum consilio et assensu praesentem nostram perpetuo valituram declarationis constitutionem duximus promulgandam.

§. 3. Cum itaque inter alia dubitetur, num primodicta nostra constitutio, ubi de illegitime genitis loquitur, comprehendat etiam eos qui postea per subsequens matrimonium fuerunt legitimati, Nos inhaerentes sacrorum canonum dispositioni, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus illegitime natos ex iis parentibus, inter quos tempore quo ipsi geniti sunt, matrimonium rite consistere poterat, secuto postea matrimonio legitimos effectus sub dicta constitutione minime comprehendi, sed eos tam quoad emittendam professionem, quam quoad consequendos gradus, honores, et dignitates sui ordinis aequo jure cum illis, qui ex matrimonio legitimo et constanti nati sunt, censendos esse.

§. 4. Illegitimos vero etiam ex soluto et soluta, qui antequam nostra constitutio emanaret, professi, vigore seu praetextu privilegiorum aut indultorum apostolicorum cuivis ordini, religioni, monasterio, aut congregationi, eorumve superioribus in genere vel in specie concessorum, eo-ipso per ingressum religionis, vel per eosdem superiores, sive alios quoslibet etiam Sedia Apostolicae de Latere Legatos, aut alios officiales vel ministros quavis praeminentia vel auctoritate etiam apostolica fungentes aut facultate suffultos legitimati, aut ad gradus, honores, et dignitates habilitati seu reintegrati, et illis alias perfuncti sunt, volumus posthac non obstantibus quibuscumque tam antiquis privilegiis, aut litteris apostolicis, quam aliis indultis, seu declarationibus, etiamsi illa per Nos post dictam constitutionem novissime edita fuisse asserantur, honores, gradus, aut dignitates hujusmodi obtinere non posse, ac dispensationes quascumque eis nullatenus suffragari, nisi specialiter, et nominatim cum eorum singulis fuerit super natalium defectu, ad honores, gradus, et dignitates obtinendas, ante vel post ingressum religionis post Romanum Pontificem immediate, vel de ejus speciali mandato dispensatum, deque dispensatione seu in forma brevis, vel saltem per patentes litteras Cardinalis Protectoris de ipsius Romani Pontificis voluntate fidem facientes, legitime constiterit.

§. 5. Eos pariter, qui tempore publicationis nostrae constitutionis in suis religionibus sine hujusmodi speciali Romani Pontificis dispensatione, officia, honores, et dignitates habebant ad vitam, eo ipso ab illis *amotos* et absolutos harum serie declaramus. Ad tempus autem illa *obtinentes*, permittimus in sua administratione usque ad finem sui temporis conservari; ita tamen ut in posterum nec tempus ordinarium eis prorogari aut extendi, neque ipsi ad alias non modo similes, verum etiam neque ad inferiores, aut altiores et majores dignitates, honores, gradus ascendere possint, perinde ac si id ipsum in praefata nostra constitutione ab initio expressum fuisset. Ne tamen hujusmodi religiosi in liberalium artium ac praesertim sacrae theologiae studiis, et religiosis profectibus segniores fiant, atque eorumdem pia studia refrigescant, eos nosse volumus; quod si ipsorum quispiam eximia doctrina, vitaeque et morum sanctitate excellere reperietur, deque eorum probitate, et praeclaris meritis ordinum Protectores eam apud Nos fidem fecerint, ut non immerito sperari queat, eorum doctrinam et operam ipsi ordini et sanctae Dei Ecclesiae usui et commodo futuram, tunc demum indulgentiam et benignitatem nostram facile experientur.

6. Quoniam vero a multis quaesitum est sub nomine honorum, graduum, et dignitatum, a quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potissimum sit intelligendum, declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum debere intelligi praepositatus, abbatiatus, prioratus, guardianatus, custodiatus, provincialium ac generalium superiorum officia, et alia his similia cum honore et superioritate conjuncta. Ab officiis autem oneris, veluti lectoris, confessarii, studiorum et sacrae theologiae magistri, regentis, praedicatoris verbi Dei, et caeteris hujusmodi, imo etiam a voce activa, a sacris ordinibus suscipiendis, ipsorumque ministerio, ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus.

§. 7. Cum vero in quibusdam religionibus capitula provincialia aut numquam, aut non quotannis, sed rarius celebrentur, quaedam etiam monasteria aut domus hujusmodi in remotissimis regionibus haereticorum aut infidelium tyrannidi finitimis sita sint, ne ii quos extra capitula ad habitum vel professionem regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis capitulis praefixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus et indulgemus, ut in qualibet provincia saltem duo, vel si commode fieri poterit, tria aut plura monasteria seu domus regulares deputentur, quarum seu quorum superiores infra annum saltem ad inquisitionem super novitiis faciendam, et ad ipsos religiosos juxta formam praefatae constitutionis recipiendos, et ad alia, quae in ipsa constitutione continentur peragenda, insimul congregentur.

§. 8. Quod si paucitas, aut nimia distantia monasteriorum ne id quidem patiatur, saltem tribus ex antiquioribus patribus unius monasterii aut domus ejus provinciae hujusmodi facultas et auctoritas per capitulum generale scilicet monachorum, vel provinciale mendicantium et reliquorum regularium ejus ordinis demandetur.

§. 9. Verum in iis monasteriis, domibus, et locis regularibus, quae aut nondum in congregationes redacta, aut alias nulli provinciae subjecta sunt, statuimus, ut trina capitula conventualia tribus distinctis cum intervallo saltem decem dierum vicibus celebrata, eamdem de recipiendis novitiis per trinas hujusmodi distinctas vices approbatis, habeant auctoritatem, quae per nostram constitutionem capitulis provincialibus est attributa.

§. 10. Neque vero si in generalibus vel provincialibus capitulis aliqui vocales desint, nec si a definitorum consensu aliquis discrepaverit, idcirco receptio religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit; sed satis esse volumus, si vocalium et suffragiorum numerus legitimus a jure vel per cujuscumque ordinis statuta praefinitus intervenerit.

§. 11. Et quod de capitulo provinciali aut generali dictum est, idem juris statuimus, si quae religiones, non capitulorum, sed congregationum aut dietarum, vel alio quovis nomine uti reperiantur.

§. 12. Quod autem pertinet ad professionem tam illegitimorum, quam eorum qui post sexdecim aetatis annum expletum regularem habitum susceperunt, quia tunc demum vere et proprie religiosi effici dicuntur, cum professionem emittunt, declaramus, eos qui ante praedictam nostram editam constitutionem habitum susceperint, et post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non alias ad professionem admittendos esse, quam facta

inquisitione, et servata forma in ipsa constitutione praescripta; et eorum qui post dictam promulgationem etiam ignoranter non habita dicta inquisitione, et non servata forma ad professionem admissi fuerint, professionem nullius esse roboris et momenti. In oblatis autem et conversis professionem emittentibus satis erit, si quoad mores et statum personarum ipsa inquisitio fiat.

§. 13. Sed cum eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quae militat in expressa, statuimus, quod in quibusvis ordinibus et religionibus, neque etiam tacita professio quorumcumque religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur, nisi in receptione constitutionis forma servata fuerit.

§. 14. Si quis vero ante editam nostram constitutionem jam tacite professus, expresse cupiat profiteri, vel si quis apostata ad suam religionem redire voluerit, inquisitio et forma praescripta non erit necessaria, nisi vel de moribus, statu, et qualitate personae, vel de validitate ipsius tacitae professionis dubitatio aliqua oriatur.

§. 15. In iis autem qui in locis a sua patria longissime remotis degentes, vel quorum patria ab haereticis vel infidelibus misere oppressa detinentur, voluerint se divinis obsequiis sub regulari habitu dicare, ut in hoc quoque Sedis Apostolicae benignitas elucescat, quae cunctos mortales, praesertim vero exteros ex longinquis regionibus ad eam assidue confluentes materno sinu libenter amplectitur, sancimus exteros hujusmodi et advenas, quamvis non liquido constet de iis omnibus, quae in constitutione nostra requiruntur, tamen si diligentia adhibita nihil appareat quod eos impediat, habiles reputandos esse.

§. 16. Quod si quis ante vel post constitutionem ipsam professus ad sacros ordines, vel ad honores, gradus, et dignitates promotus existat, et postmodum in eo natalium defectum aut criminum in dicta constitutione nostra expressorum, notam quae prius ignorabatur, detegi contigerit, decernimus eum statim post hujusmodi defectus notitiam habitam, non alias quam juxta formam ipsius constitutionis, ad honores, gradus, et dignitates, aut ad executionem sacrorum ordinum admitti debere.

§. 17. Contra criminosos vero, quorum professio eadem constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea judicibus et curiis saecularibus procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus et non aliter, cum actis publicis constiterit, ipsos judices et curiam saecularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquititionem instituisse.

§. 18. Ceterum quae a Nobis circa religiosos viros in praefata constitutione sancita sunt, ea nequaquam volumus ad moniales nunc extendi.

§. 19. Postremo dum interdicimus, ne quis regularis alterius provinciae intra aliquod monasterium, domum, vel locum alienae provinciae, etiam tamquam hospes, et ad modicum tempus recipi possit, nisi a superiore loci, ubi residebat, et a quo discessit, licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi satis cognitus sit, id observari volumus non solum in religiosis itinerantibus de una in aliam provinciam, sed de iis quoque, qui proficiscuntur de uno in aliud ejusdem provinciae monasterium tam sui, quam alterius ordinis.

§. 20. Quod si dicerent se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravi-

mina a suis superioribus sibi illata, et ideo ab ipsis superioribus licentiam et litteras obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, et per suos superiores denegata constiterit.

§. 21. In alma vero Urbe nostra religiosi advenae et peregrini de gravaminibus sibi illatis conquerentes, nullibi sine hujusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt, nisi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotiis regularium a Nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, ubi ipsis auditis pro rerum et personarum qualitate quid agendum sit, statuetur.

§. 22. Reliqua autem in priori nostra constitutione contenta, quae in praesentibus litteris non declarantur, volumus perpetuo firma et valida, et in suo robore permanere, ac ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari.

§. 23. Et si quid a Nobis alicui ordini aut religioni praeter, aut contra praefatae constitutionis formam post illius editionem circa recipiendos extra capitula novitios, aut alias indultum aut concessum fuit, id omne ac desuper confectas litteras prorsus revocamus et annullamus, ac ad terminos praesentis constitutionis reducimus, et alias nemini volumus suffragari.

§. 24. Decernentes sic in praemissis universis et singulis per quoscumque judices etc. irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 25. Non obstantibus praefata, et aliis constitutionibus etc.

§. 26. Ut autem praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas etc.

§. 27. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae in Monte Quirinali xii. calendas Novembris Pontificatus nostri anno iv.

CXIV.

Derogat statutum super electionem abbatissae. Ex reg. Secr. Brev. in mense Septembri pag. 488.

Dilectis in Christo filiabus monasterii monialium B. Mariae Virginis de Aracoeli de Alcacer do Sal ordinis S. Clarae Elborenen. dioecesis salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecistis, quod in capitulo provinciali ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. in Regno Portugalliae celebrato cavetur expresse, quod in ordinis S. Clarae monasteriis erectis non possunt inibi ex monialibus dicti monasterii eligi abbatissae, nisi dicta monasteria fuerint erecta post viginti annos transactos. Cum autem monasterium vestrum a quindecim annis, vel circa dumtaxat aedificatum fuerit, ac in illius fundatione dilecta in Christo filia Catharina de Sottomajor relicta quondam Roderici Salema, et ipse Rodericus, dum viveret, summam triginta millium ducatorum et amplius exposuerint, ac statutum dicti capituli multum praejudiciale et damnosum existat, necnon abbatissae externae et triennales hunc non gerant affectum erga monasterium vestrum,

quem gererent, si ex hoc monasterio vestro eligerentur, ac in hoc ad munus abbatissae gerendum idoneae et sufficientes reperiantur. Nos dicti statuti tenorem pro expresso habentes, ac vestris et dictae Catharinae supplicationibus hac in parte inclinati, vobis unam ex vestri monasterii monialibus in abbatissam hujus monasterii, quod ad praesens abbatissae regimine destitutum existit, seu cum primum vacaverit, eligendi facultatem per praesentes concedimus. Decernentes electionem abbatissae hujusmodi ac omnia et singula inde sequenda, valida et efficacia existere, suosque plenarios affectus sortiri, ac irritum et inane si secus super his s quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xvi. Septembris Pontificatus nostri anno iv.

CXV.

Confirmat privilegia personis ac locis Terrae Sanctae concessa. Ex Bullar. Cocqelines tom. 4 part. iv. pag. 417.

Ad perpetuam rei memoriam.

Piis fidelium votis ex quibus praecipue sacratissimorum locorum venerationem, et animarum salutem provenire conspicimus, libenter annuimus, et illa, quantum cum Deo possumus, favoribus apostolicis benigne confovemus ac singulos christifideles ad loca hujusmodi devote visitanda indulgentiis, et peccatorum remissionibus invitamus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius fr. Mathaeus Salernitanus provinciae S. Jacobi in Compostella ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum professore, quod cum ipse commissarius, et procurator generalis in universo orbe christiano ad recipiendas et recuperandas quascumque eleemosynas tam ordinarias, quam exstraordinarias ad sanctissimum Sepulchrum Dominicum, et alia loca Sancta transmarina spectantes, illiusque tam reparationi ipsorum locorum, quam in sustentandis fratribus dicti ordinis pauperibus in illis partibus divino obsequio insistentibus, prout necessitas exigeret, applicandas deputatus fuisset, ac officium hujusmodi spatio triennii, vel circa quo dictas eleemosynas perpetuas, et ordinarias in quingentis ducatis annuis pie sibi a diversis personis in partibus Hispaniarum intuitu dictorum locorum erogatis adauxit, exercuisset, demum ad Urbem personaliter accedens, facto novo sui ordinis capitulo generali, fuit in hujusmodi officio confirmatus; cumque postmodum ipse fr. Mathaeus aliquas eleemosynas a charissimis in Christo filii nostri Rodulpho Romanorum Imperatore, ac Philippo Hispaniarum Rege Catholico jam factas collegerit, et Deo adjuvante, ad praedicta loca transmarina tam pro sua devotione, quam ut eorum statui et augmento provideat, se personaliter conferre, ac paramenta magni valoris ad ipsum Sepulchrum Dominicum transportare intendat, Nobis humiliter supplicari fecit, ut ipsorum sacratissimorum locorum devotionem nedum conservare, verum etiam adaugere, ac christifidelium dicta loca visitantium, necnon pauperum captivorum in infidelium servitute in illis partibus detentorum animarum saluti consulere, de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, caeterasque

gratias spirituales et temporales eisdem locis, ac illa visitantibus, necnon dicti ordinis guardiano et fratribus in illis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Nos et Sedem Apostolicam in genere vel in specie, aut alias quomodolibet concessa, quatenus sint in usu, et decretis Concilii Tridentini non adversentur, apost. auct. ten. praes. perpetuo approbamus et confirmamus, omnesque et singulos defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Et insuper modernis, et pro tempore existentibus guardianis monasteriorum, et regularium domorum dicti ordinis, et aliis sacerdotibus ab eisdem guardianis approbatis, omnium et quorumcumque christianorum ad illas partes declinantium, seu ibidem commorantium, ac etiam captivorum confessiones audire, illosque a quibuscumque peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, ac etiam contentis in litteris die Coenae Domini legi solitis, necnon a quibusvis excommunicationis, et suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, injuncta illis salutari poenitentia in foro conscientiae absolvere, ac super quacumque irregularitate quomodolibet, praeterquam ex homicidio voluntario, et bigamia contracta cum personis etiam in presbyteratus ordine constitutis, in eodem foro tantum dispensare, ita ut missas celebrare et alias in divinis ministrare valeant, necnon pro locorum, et ministrorum ecclesiasticorum dictorum locorum opportunitate paramenta ecclesiastica benedicere possint, et valeant, plenam et liberam, ac omnimodam apost. auct. ten. praes. licentiam, potestatem, et facultatem perpetuo concedimus, et impartimur, eisque desuper indulgemus.

§. 3. Propterea de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, universis, et singulis utriusque sexus christifidelibus, et infidelium servitute detentis vere poenitentibus et confessis, qui Sanctissimum Sepulchrum, Montem Calvarium, ac Praesepe SS. Domini Nostri Jesu Christi devote visitaverint, plenariam, necnon iis, qui monasteria seu regulares domos dicti ordinis, illorumque ecclesias, et oratoria, tam in dictis locis quam in Constantinopolitan., et aliis civitatibus, et locis illarum partium in Domini Nostri Jesu Christi et Beatae Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum, necnon ejusdem Beatae Mariae Aegyptiacae nuncupatae, et S. Joannis Chrysostomi nativitatum festivitatibus devote visitaverint, ac inibi pias ad Deum preces effuderint, quo die singularum festivitatum hujusmodi id fecerint, plenariam omnium, et singulorum peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, et elargimur.

§. 4. Non obstantibus regula nostra, per quam voluimus, quod si ecclesiae, et personis quibus indulgentia conceditur, aliqua alia indulgentia concessa sit, hujusmodi literae sint nullae, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die IX. Octobris Pontificatus nostri anno III.

CXVI.

Ut possit recitari per totam octavam officium immaculatae Conceptionis B. Mariae Virg. Ex Bull. Roderici pag. 497.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ineffabilia beatae et gloriosae semperque Virginis Dei genetricis Mariae meritorum insignia devotae consideratinuis indagine perscrutantes, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quod ipsa ex castissimo utero suo, prout nostrae conditionis statua et necessitas exigebat, humani generis edidit Salvatorem, apud quem, tamquam pia mater sedulas pro nostrae fragilitatis expiatione preces effundere numquam cessat, dignum profecto seu potius debitum reputamus, ut fidelium vota in ipsius B. Virginis laudem et honorem edita, ad exauditionis gratiam libenter admittamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius minister generalis ordinis fratrum Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, tam suo quam fratrum dicti ordinis nominibus, quod cum omnes dicti ordinis utriusque sexus personae ex ipsius ordinis instituto purissimam ipsius Dei genitricis Conceptionem devotissime celebrare, ac illam condignis laudibus et honoribus extollere, ac fidelibus praedicare, et explanare, ipsiusque festum maxima reverentia venerari consueverint, cupiantque pro majori eorum spirituali consolatione ipsius Conceptionis officium in choro per totam octavam, ut in festivitatibus Nativitatis, et Assumptionis ejusdem Beatae Virginis ipsi fratres consueverunt recitare, propterea Nobis humiliter supplicari fecerint, ut eorum pio et devoto desiderio annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos tam pium et laudabile propositum ad ejusdem B. Virginis laudem et honorem fovere volentes, ipsorumque ministri et fratrum, atque etiam monialium erga hanc sacratissimam Virginem devotionis affectum plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, hac nostra praesenti constitutione perpetuo eisdem ministro, ac fratribus et monialibus concedimus, quod omnes, et singuli monasteriorum, et domorum quarumlibet, tam virorum, quam mulierum per universum orbem consistentium dicti ordinis fratres, et moniales officium Conceptionis ejusdem B. Mariae per totam ejus octavam ad instar officij in Nativitatis ejusdem B. Mariae festivitate recitari soliti, tam in choro quam extra chorum recitare possint, et valeant. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarij publici, vel superioris dicti ordinis subscriptis, et sigillo ipsius ordinis, vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Martii Pontif. nostri anno III.

CXVII.

Pro fr. Nicolao Zuccarini de Monte Falco min. Conventual. Ex reg. Secr. Brev. in mense Januario pag. 61.

Dilecto filio Nicolao Zuccarini de Monte Falco ordinis fratrum minorum conventualium professori salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut exponi Nobis nuper fecisti, in domo S. Francisci terrae Montis Falci ordinis fratrum minorum conventualium per multos annos vitam duxeris regularem, ac de illa non mediocriter benemeritus, ac in octogesimo octavo tuae aetatis anno vel circa constitutus existas, ac pro commodo et subventione pauperum nonnulla bona mobilia, et stabilia, quorum usus per superiores tuos ad tui vitam nuper concessus fuit, prout in patentibus litteris desuper confectis plenius continetur, infirmariae dictae domus applicare et appropriare intendas. Nos tuum pium et laudabile studium promovere cupientes, ac quantitates, et qualitates, ac veros annuos valores dictorum bonorum, et tenores earumdem litterarum praesentibus pro expressis habentes, tuis hac in parte supplicationibus inclinati, tecum, ut bona tam mobilia quam stabilia tua praedicta eidem infirmariae perpetuo applicare et appropriare, illorumque fructus in commodum et subventionem illius pauperum, et quidquid supererit in beneficium sacristiae dictae domus convertere libere et licite valeas, apost. auct. ten. praes. de specialis dono gratiae dispensamus. Mandantes omnibus et singulis dictae domus fratribus, et ejusdem ordinis superioribus, ne te desuper quoquomodo molestare seu perturbare audeant seu praesumant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xx. Januarii Pontificatus nostri anno iii.

CXVIII.

Indulgentia in die Assumptionis B. Mariae Virginis in ecclesia minorum conventualium de Prugdemur. Ex reg. Secr. Brev. in mense Januario pag. 10.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus, olim haeretici, Luthero duce, Styriae provinciam saevirent, religiosi, qui tunc in domo B. Virginis Mariae de Prugdemur ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. dioecesis Salisburgen. degebant, illorum metu inde migrarent, dictaque domus ab haereticis praefatis direpta, ac pluribus annis deserta remansit, ac postmodum nonnulli ejusdem ordinis religiosi ad domum praedictam fere collapsam se receperunt, ibique maxima rerum inopia pressi, ut melius possent, virtutum Domino famularentur. Nos ad augendam etc intenti, precibus quoque pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum dictae domus Nobis inclinati, omnibus etc. refectis, qui ecclesiam domus praedictae in festivitate Assumptionis ejusdem B. Mariae Virginis ab illius pri-

mis vesperis et per totam ejus octavam annis singulis devote visitaverint, et ibi etc. effuderint, quoties ex diebus praefatis id fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, plenumque Jubilaeum misericorditer in Domino concedimus et elargimur, Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xiii. Januarii Pontificatus nostri anno iii.

CXIX.

Pro Ludovico de Velasco degenti apud Indos Occidentales. Ex reg. Secr. Brev. in mense Octobri pag. 81.

Dilecto filio Ludovico de Velasco, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecisti, quod dum tu, qui quondam Ludovici de Velasco viceregis nunc Hispaniae apud Indos Occidentales natus existis, in illis partibus commurareris, tres natae tuae monasterium Conceptionis nuncupat. Reginae Coeli ingressae, et in eo ordinem dicti monasterii expresse professae fuerunt. Cum autem nuper ex eisdem partibus ad partes Hispaniarum accerseris, et servitiis charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ad praesens existas, ac pro tua, et natarum tuarum praefatarum spirituali consolatione desideres, illas ad aliquod ejusdem ordinis monasterium monialium in regnis Hispaniarum existens transire, Nos tuis, et earum piis votis in hac parte annuere cupientes, tuisque supplicationibus inclinati, eisdem tribus filiabus tuis, ut de dicto monasterio Conceptionis, relictis tamen inibi earum dotibus, cum quibus admissae in eo fuerant, egredi, et sub tua, vel alicujus earum fratris, seu patrui, necnon aliarum honestarum mulierum comitatu, custodia, et cura, et non aliter, nec alio modo, ad aliud ejusdem ordinis monasterium monialium in dictis regnis Hispaniarum existens, arbitrio tuo eligendum, ubi benevolas invenerint receptrices transire, et inibi quoad vixerint, sub suavi religionis jugo Altissimo famulari libere et licite valeant, apostolica auctoritate ten. praes. licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum die xv. Octobris Pontificatus nostri anno iv.

CXX.

Pro fundatione conventus S. Didaci de Hinojosa. Apud P. Andream de Guadalupe in regesto Bullar. pag. 23.

Dilectis filiis salutem et apostolicam benedictionem.

Siogularis qui erga Nos, Sedemque Apostolicam, et S. Franciscum geritis devotionis affectus, facit, ut quae vobis, vestraeqoe religionis propagationem, divini qnoqoe cultus augmentom respiciunt, libenter annuamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecistis, quod licet in hac terra vestra de Hinojosa ducatus de Bejar Corduben. dioecesis, fere bis mille locularia reperiuntur, nihilominus una parochialis ecclesia, et in illa sex curati dumtaxat existunt, qoibus admodom difficile reddit singolorum dictae terrae christifideliom confessiones audire, praesertim tempore Jubilaei a Sede Sancta pro tempore emanati; ipsi vero christifideles propter penuriam confessorum ad circumvicina loca per tria milliaria ad minus ab eadem terra distantia confitendi causa, non sine magnis frigoribus, et caloribus, ac aliis incommodis saepe numero convenire solent. Unde in dicta terra una domus ordinis fratrum minorum de observantia nuncopatorum, quam pristinis temporibus duces de Bejar, an domini in temporalibus dictae terrae expresse professi fuerunt, communibus sumptis et expensis suis construere, et aedificare velle, in qoa octodecim, ant viginti dicti ordinis professores, piis christifidelium dictae terrae eleemosynis, ac sine ullo dictorum curatorum praejudicio commode ali, et sustentari poterunt; ut his praemissis incommodis obviam iri possit, ad omnipotentis Dei gloriam, et laudem, ac spiritualem totius populi hujus terrae consolationem, et animarum salutem consequendam, et ut ipsi fratres pro tempore degentes dictis curatis in celebrandis missis, et aliis piis legatis, ad quae tenentur obeundis, quibus ipsi curati satisfacere non possunt, opem ferrent, ac vobis vitae exemplo, et praedicatione verbi Dei certe salutis vestrae viam etiam commonstrarent. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pium vestrum institutum plurimum in Domino commendantes, illudqoe providere cupientes, supplicationibus vestris inclinati, vobis in quodam dictae terrae loco, ad id commodo, et congruo, ac decenti unam domum dicti ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. cum ecclesia, campanili, humilique campana, claostro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, et aliis officinis necessariis, pro usu et habitatione perpetuis fratrum dicti ordinis, et provinciae Angelorum, in qua dicta Terra existit, sine alicujus praejudicio, construendi, et aedificandi, ac fratribus dicti ordinis illam sic per vos constructam, et aedificatam inhabitandi, licentiam, et facultatem auct. apost. praes. ten. concedimus; illamque in domum ejusdem ordinis perpetuo erigimus, et instituimus, ac eidem domui, et illius guardiano et fratribus pro tempore existentibus, quod omnibus, et singulis privileg is, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, indulgentiis, et indultis aliis domibus, et fratribus ordinis, et provinciae Angelorum in genere, vel in specie concessis, et concedendis, ac quibus

de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possint, et debeant, eadem auctoritate de speciali gratia indulgemus; jure tamen parochialis ecclesiae, et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Postremo domum praedictam eidem provinciae, in qua eadem Terra a primaeva dictae provinciae institutione semper fuit, in perpetuum subjicimus, et supponimus: inhibentes generali, et aliis quibusvis dicti ordinis superioribus, ne domum praedictam ad aliam dicti ordinis provinciam aliquo modo, seu quavis occasione, vel causa, seu praetextu transferre audeant, vel praesumant, decernentes ex nunc irritum professores loca ad inhabitandum recipere, vel recepta mutare audeant, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII. Decembris Pontificatus nostri anno V.

CXXI.

Ut recipiat coenobium in terrae Pacentri. Ex reg. Secr. Brev. in mense Novembri pag. 111.

Dilecto filio ministro provinciali fratrum ordinis minorum S. Francisci de observantia provinciae S. Bernardini salutem et apostolicam benedictionem.

Religiosos viros etc. Cum itaque sicut accepimus dilecti filii universitas et homines terrae Pacentri Sulmonen. dioecesis pro singulari eorum in B. Virginem Mariam et S. Franciscum venerationis affectu domum seu conventum cum ecclesia sub invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis de consensu ordinarii, ita ut ibi aliquot fratres professores ordinis ejusdem S. Francisci de observantia commode habitare, et in divinis deservire possit, aedificare intendant, Nos volentes tam dicti ordinis propagationi, et hominum praedictorum piis votis in praemissis annuere, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut domum seu conventum hujusmodi cum ecclesia et aliis annexis juribus et pertinentiis suis, quae hic pro sufficienter expressis haberi volumus, ab eisdem universitate et hominibus de licentia et assensu ordinarii, nomine dicti ordinis ac pro eo recipiendi, ac in eas tot fratres presbyteros et conversos ex eodem ordine, quot sufficere judicaveris, introducendi; qui sic introducti ecclesiae praefatae in divinis servire, ac sub uno guardiano seu priore regularem disciplinam observantes, in ipsa domo conventum ordinis supradicti constituere debeant, auct. apost. ten. praes. licentiam et facultatem impartimur, ac guardiano seu priori et constituti fuerint, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, exemptionibus, gratiis, indultis, et indulgentiis, quibus caeterae domus et conventui praedictis, postquam, ut praefertur, introductis, et conventus supradicti ordinis tam de jure, quam consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, aeque uti, frui, potiri, et gaudere in omnibus et per omnia libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII. Novemb. Pontif. nostri an. V.

CXXII.

Indulget, ut construatur pro fratribus de observantia coenobium. Ex reg. Secr. Brev. in mense Februario pag. 163.

Dilecto filio ministro provinciali Siciliae provinciae ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum salutem et apostolicam benedictionem.

Personarum quarumlibet etc. Cum itaque sicut accepimus dilecti filii communitas et homines civitatis Cefaluden. in Sicilia, ab singularem quem erga istam Seraphici Patris Francisci religionem gerunt devotionis affectum, cupiant ordinem ipsum de observantia in eorum civitatem introduci, et adhunc effectum de consensu venerabilis fratris episcopi Cefaluden. ecclesiam confraternitatis S. Nicolai ejusdem civitatis fratribus ordinis praedicti obtulerint, Nobis vero humiliter supplicari fecerint, ut praemissis ex paterna nostra benignitate annuere dignaremur. Nos tam ejusdem religionis propagationi, et fratrum praedictorum commoditati prospicere, quam piis eorumdem communitatis et hominum votis annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi ecclesiam praefatam ad domum pro habitatione convenientem et commodam ac ipsi ecclesiae contiguam a dicta communitate suis expensis emptam, vel quovis modo acquisitam, dandam cum annexis juribus, et pertinentiis necessariis, nomine dicti ordinis et pro eo acceptandi, et in eas tot fratres presbyteros et clericos, ac conversos ex eodem ordine, quot sufficere, et ibi commode sustentari posse judicaveris, introducendi; qui sic introducti ecclesiam praedictam in divinis deserviant, ac sub uno guardiano seu priore regularem disciplinam observantes, in ipsa domo conventum ordinis supradicti constituant, auct. apost. ten. praes. licentiam et facultatem impartimur, ac guardiano seu priori et conventui praefatis postquam, ut praefertur, introducti et constituti fuerint, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, exemptionibus, gratiis, indultis, et indulgentiis, quibus caeterae domus et conventus praedicti ordinis, tam de jure, quam consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere in omnibus et per omnia libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Februarii Pontificatus nostri anno iv.

CXXIII.

Ut immitat fratres in conventum oppidi de Meda. Ex reg. Secr. Brev. in mense Septembri pag. 159.

Dilecto filio ministro provinciali provinciae Januen. ordinis S. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

Religiosos viros, ut fructuosius Deo servire valeant, libenter pro nostro pastoralis officii munere confovemus, ac eorum necessitatibus et commodis consulimus. Itaque cum sicut accepimus olim in terra Medae Pa-

pien. dioecesis quoddam monasterium monialium S. Marthae de ordine suorum superiorum extinctum fuerit, nunc vero universitas et homines dictae terrae pro eorum peculiari, quam erga ordinem vestrum gerunt pietatis affectu, cupiant ordinem ipsum in dictam terram introducere et ad hujusmodi monasterium praedictum, ut ibi aliquot ejusdem ordinis fratres commode inhabitare, et in divinis servire possint, instaurare intendant: Nos volentes tam dicti ordinis propagationi, et fratrum eorumdem commoditatibus prospicere, quam universitatis et hominum praedictorum piis votis in praemissis annuere, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut monasterium, sive domum hujusmodi cum ecclesia et aliis annexis juribus, et pertinentiis suis, quae hic pro sufficienter expressis haberi volumus, ab eisdem universitate et hominibus, de licentia et assensu ordinarii, nomine dicti ordinis, ac pro eo acceptandi, ac in eas tot fratres presbyteros et conversos ex eodem ordine sufficere judicaveris introducere, qui sic introducti, ecclesiae praefatae in divinis deservire, ac sub uno guardiano seu priore regularem disciplinam observantes, in ipsa domo conventum ordinis supradicti constituere debeant, auct. apost. ten. praes. licentiam et facultatem impartimur; ac guardiano seu priori et conventui praedictis, postquam, ut praefertur, introducti et constituti fuerint, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, exemptionibus, gratiis, indultis, et indulgentiis, quibus caeterae domus et conventus supradicti ordinis tam de jure, quam consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, frui, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, aeque uti, frui, potiri, et gaudere in omnibus et per omnia libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae in Monte Quirinali die xxIII. Septembris Pontificatus nostri anno v.

CXXIV.

Supprimit institutum fratrum discalceatorum in Italia. Ex Bulla, Cocquelines tom. 5. part. 1. pag. 88.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicuti ad aures nostras nuper pervenit, dilectus filius Joannes Baptista de Pisauro professor ordinis fratrum S. Francisci discalceatorum nuncupatorum regnorum Hispaniarum, in Italiam nuper veniens, multos diversorum ordinum religiosos tam mendicantes, ac capucinos, quam non mendicantes, et alias saeculares personas in nonnulla loca ipsius Italiae per eum recepta, ad habitum per fratres discalceatos hujusmodi gestari solitum suscipiendum, et professionem per eos emitti consuetam emittendam, Sede Apostolica omnino inconsulta, receperit, plerique eorum sic recepti, habitum susceperint, et professionem hujusmodi emiserint.

§. 1. Nos qui praedictorum discalceatorum institutum hoc tempore in Italiam inducendum non censemus, considerantesque fratres qui reformati conventuales, et de observantia appellantur, in puritate ac simplicitate eorum ordinum viventes in eadem Italia, benedicente, et incrementum dante Domino, florere, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de

apostolicae potestatis plenitudine, institutum fratrum discalceatorum hujusmodi in diversis locis, ecclesiis, et conventibus Italiae receptum, et tam per dictum Joannem Baptistam, quam omnes, et singulos alios socios suos discalceatos introductum, apostolica auctoritate ten. praes. extinguimus, supprimimus penitus et abolemus.

§. 2. Ac loca, ecclesias, et conventus hujusmodi cum omnibus eorum ornamentis, et sacra suppellectili, et juribus universis ordini fratrum minorum S. Francisci reformatorum conventualium nuncupatorum perpetuo concedimus, et assignamus, seu unimus, annectimus, et incorporamus. Ita quod liceat ipsis fratribus conventualibus reformatis, nullius ad hoc requisita licentia, corporalem, realem, et actualem possessionem praefatorum locorum, conventuum, et ecclesiarum libere apprendere, in eisque juxta formam institutorum regularium, ac litterarum confirmationis et approbationis ejusdem ordinis fratrum conventualium reformatorum a Nobis emanatarum, et per officium minoris gratiae expeditarum, vitam ducere regularem.

§. 3. Necnon Joannem Baptistam, omnesque alios ejus socios, ac eorum singulos ab omni apostasiae nota, ac quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et etiam temporalibus poenis, si quas propter praemissa omnia, vel illorum occasione, et etiam qui a superioribus ordinum licentiam inde exeundi non petierint, aut alias quomodolibet respective incurrerint, necnon ab excessibus hujusmodi, in utroque foro auctoritate et tenore praemissis absolvimus, ac totaliter liberamus, dictasque sententias, censuras, et poenas eis, et cuilibet eorum gratiose remittimus, et condonamus, atque relaxamus. Ac cum eisdem super irregularitate per eos, et quemlibet eorum, quia interim ob praemissa censuris innodati, divinis non tamen in contemptum clavium, quomodolibet sese respective immiscuerint, incursa, quodque illa, et aliis praemissis, non obstantibus clericali charactere, ac omnibus etiam sacris, et presbyteratus ordinibus per eos, et quemlibet eorum respective alias rite susceptis, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, dispensamus, omnemque inhabilitatis, et infamiae maculam sive notam contra eos, et quemlibet eorum ex praemissis omnibus, et singulis quomodolibet insurgentem, ab eisdem penitus abolemus, ipsosque in pristinum, et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, in omnibus, et per omnia restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus. Decernentes, quod dictus Joannes Baptista, et alii, qui in aliis religionibus prius professi fuerant, vel ad easdem redire teneantur, vel si ad fratres reformatos conventuales praedictos transire maluerint, ad eos transire, et ibidem recipi, et recepti permanere possint, dummodo praedicti aliarum religionum professi, si ad dictos fratres conventuales transire voluerint, professionem de novo emittant, et quae ab una in aliam religionem transeuntes servare tenentur, servent. Aliis vero saecularibus, qui ab eodem Joanne Baptista, sive aliis sociis discalceatis recepti, et ad professionem admissi fuerunt, in praedictos fratres conventuales reformatos, vel in alias religiones, pares, vel arctiores a Sede praedicta approbatas, dummodo de novo novitiatum faciant, professionemque emittant, ingrediendi licentiam et facultatem concedimus, et impartimur. Decernentes etiam omnes su-

praedictos posse in supradictas religiones recipi, etiam non expectato capituli, vel congregationis capitularis tempore juxta constitutionis a Nobis noviter emanatae formam, cui harum serie, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus.

§. 4. Quodque ipsi omnes in praedictos conventuales reformatos recepti, omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, indultis, indulgentiis, et peccatorum remissionibus, ac aliis gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus ipsi fratres conventuales reformati utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, et aeque principaliter uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis de speciali gratia indulgemus.

§. 5. Non obstantibus etc.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis etc.

Datum Romae apud. S. Petrum die xx. Decembris Pontificatus nostri anno v.

CXXV.

Facultas construendi coenobium. Ex archivo Bullar. privileg. P. Francisci Bordoni pag. 540.

Dilectis filiis salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi siquidem Nobis nuper fecistis, quod vos pia erga ordinem fratrum tertii ordinis S. Francisci devotione inducti, ipsosque fratres infrascripto loco Sajani Brixiensis dioecesis tam a vobis, quam a quodam Scipione Provalio dum vixit laico Brixiensi, cujus haeredes estis, constructam et aedificatam, et propterea ad vos pleno jure spectantem, una cum suf ficienti situ apud ipsam ecclesiam existente, ad effectum construendi apud ipsam ecclesiam unam dicti ordinis domum, necnon annuum reditum viginti scutorum auri in auro pro celebratione quotidianae missae per ipsum Scipionem relictae dilectis filiis guardiano et fratribus dicti ordinis loci *delle fornaci* dictae dioecesis dedistis, atque concessistis. ac alias prout in concessione praedicta seu scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cumque cupiatis donationem, et concessionem praedictas pro illarum subsistentia firmiori per Nos approbari, et confirmari, eisdem guardiano et fratribus, ut dictam domum construere, et in illa fratres dicti ordinis introducere valeant, licentiam concedi Nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus vestro desiderio hujusmodi annuere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui fidelium quorumlibet piis votis, praesertim religionis propagationem concernentibus, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, dationis, et concessionis praedictarum, ac scripturarum desuper confectarum tenores, et veriores praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dationem et concessionem dictae ecclesiae una cum situ, et annuo reditu hujusmodi per vos, ut praefertur, factas, apost. auct. ten. praes. approbamus et confirmamus, illiusque perpetuae firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Necnon eisdem guardi-

ano, et fratribus, ut apud dictam ecclesiam in dicto situ, ut praefertur, eis concesso, unam dicti ordinis domum construere, et in ea postquam constructa fuerit, unum guardianum, et tot dicti ordinis fratres, quot ibi commode sustentari poterunt, introducere valeant, licentiam et facultatem concedimus, et impartimur. Necnon dictam domum postquam, ut praefertur, constructa fuerit, in ipsius ordinis domum regularem cum omnibus privilegiis, facultatibus, immunitatibus, et libertatibus, quibus aliae dicti ordinis domus utuntur, potiuntur, et gaudent, eisdem auctoritate et tenore perpetuo, sine tamen alicujus praejudicio, ac consensu dilecti filii moderni dicti ordinis visitatoris generalis, erigimus et instituimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xx. Maii Pontificatus nostri anno v.

CXXVI.

Pro locis Terrae Sanctae. Ex reg. Secr. Brev. in mense Decembri pagina 231.

Ad futuram rei memoriam.

Nostri pastoralis officii partes a Nobis postulant et exposcunt, ut in iis auctoritatem Nobis ab omnipotenti Deo, cujus vicem hic in inferiore terrarum orbe gerimus concessam, quandocumque ita necessarium est, interponamus, per quae legata in favorem piorum locorum tam in civitate Hierosolymitana, quam extra eam in tota Terra Sancta existentium facta, juxta piam ipsa legata facientium et constituentium intentionem debitos sortiantur effectus, et ab illorum occupatoribus, et detentoribus piis locis hujusmodi, ut decet, relaxentur. Cum itaque nullatenus dubitari possit, quin per totum christianum orbem multa mobilia et immobilia bona religiosorum domibus et aliis locis piis in Terra Sancta existentibus tam per viam legati pii, quam eleemosynae, et alias diversimode relicta fuerunt, ipsa vero bona, vel eorum aliqua a diversis personis, quarum curae et fidei executio legatorum, et eleemosynarum hujusmodi commissa extitit, occupentur, et detineantur in non modicum ipsorum detentorum animarum periculum, ac detrimentum domorum ac bonorum hujusmodi, quae tamquam in partibus infidelium existentia magnis premuntur necessitatibus, Nos qui salutem singulorum sinceris desideramus affectibus, piorumque locorum quorumlibet indemnitati, quoad possumus, consulimus, ut tenemur, in praemissis opportune providere volentes, ac omnium et singulorum bonorum, vel aliarum rerum dictis locis per quoscumque quovis modo relictorum et penes quoscumque existentium situationes, qualitates, et valores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia, meraque deliberatione nostri, omnibus et singulis venerab. fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum ordinariis per universum orbem christianum constitutis, eorumque vicariis, et officialibus nunc et pro tempore existentibus in virtute sanctae obedientiae committimus et mandamus, ac districte praecipimus, quatenus ipsi et eorum quilibet per se, aut alias personas ab eis deputandas, quotiescumque pro parte nunc et pro tempore existentis

procuratoris generalis ordinis fratrum minorum de observantia, domorum et locorum hujusmodi ad eleemosynas, et legata similia recuperanda deputati, requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit, in omnibus et singulis suarum civitatum, dioecesum et provinciarum, cathedralibus, collegiatis, et parochialibus ecclesiis tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus, dum inibi major populi multitudo ad divina convenerit, omnes et singulas personas pecunias, aurum, argentum, gemmas ac alias res et bona quarumcumque mobilia vel immobilia supra summam, seu quantitatem, sive valorem eorum arbitrio et conscientia taxan. dumibus et locis piis praedictis, tam per viam legati, quam eleemosynae et alias quomodolibet relicta, et ad illa alias spectantia et pertinentia occupantes et detinentes, seu ab aliis occupari et detineri scientes et non revelantes requirant et moneant, seu requiri et moneri faciant, quatenus omnia et singula bona mobilia eisdem domibus et locis piis legata, et ad illa quomodolibet spectantia, ac per easdem personas et earum quaslibet occupata et detenta, dicto procuratori nunc et pro tempore existenti, seu ejus locum tenenti, cum effectu restituant, et consignent, ac illorum occupatores et detentores revelent et detegant, alioquin factis tribus canonicis monitionibus hujusmodi, in omnes et singulos bona hujusmodi occupantes et usurpantes, seu ab aliis detineri et usurpari scientes et non revelantes, excommunicationis sententiam, a qua nonnisi praevia satisfactione absolutionis beneficium obtinere possint, eo ipso ferant, et pronuncient, seu ferre et pronunciare faciant, non obstantibus etc. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque mundi loca perferri, volumus quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici, vel ordinarii loci, aut alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae subscriptis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, quae adhiberetur, si ipsae praesentes litterae originaliter exhiberentur.

Datum Romae apud S. Petrum die xiii. Decembris Pontificatus nostri anno v.

CXXVII.

Pro altare S. Didaci aliqua statuit, et indulgentias largitur. Ex reg. Secr. Brev. in Mense Martio pag. 146.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nos nuper B. Didacum Hispanum ex ordine fratrum minorum S. Francisci in SS. Christi confessorum numerum retulerimus, quod pium et religiosum munus charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus pro sua erga B. Didacum devotione diuturno et perseveranti studio ab hac Apostolica Sede superioribusque Pontificibus praedecessoribus nostris, et demum a Nobis ipsis instantissime postulaverat, Nos ad ejusdem Regis spiritualem consolationem paternaeque nostrae erga eum benevolentiae testificationem illud ipsum altare, in quo B. Didaci canonizationis die Nos ipsi pontificalem missam ritu maxime solemni celebravimus, ad eumdem Regem in Hispaniam asportandum transferendumque mandavimus. Utque altare ipsum tanto illustrius rei gestae ce-

lebritatem repraesentaret, solum S. R. E. Cardinalibus ac episcopis et archiepiscopis, necnon abbatibus, mitrae tamen et baculi usum habentibus ac in cathedralibus vel metropolitanis ecclesiis majores post pontificalem dignitates obtinentibus, ministro generali ordinis minorum S. Patris Francisci, ac priori monasterii S. Laurentii del Escurial Toletan. dioecesis, ac eisdem certis tantum statutis diebus, nempe in D. N. Jesu Christi, ac gloriosissimae Virginis ejus genitricis Mariae festivitatibus, quinta etiam feria in Coena Domini, ac celebritatis Omnium Sanctorum, ipsiusque S. Didaci natali die in dicto altari missas celebrandi facultatem concessimus et indulsimus. Regi vero ac regio sanguine genitis utriusque sexus, qui quolibet eorumdem dierum missis in dicto altari celebrandis devote interfuerint, centum annos et totidem quadragenas de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer relaxavimus; corde vero contritis et ore confessis ac sacra communione refectis et pro sanctae matris ecclesiae exaltatione, haeresumque extirpatione, ac principum christianorum concordia et unione Deum orantibus, quoties id facerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concessims. Aliis autem itidem confessis, contritis, et communicatis centum annos et totidem quadragenas; reliquis vero quinquaginta annos de injunctis eis aut aliis quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta similiter relaxavimus, prout in nostris in forma brevis desuper sub datis xx. Augusti Pontificatus nostri anno iv. expeditis litteris plenius continetur. Quare idem Philippus Rex Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus concessiones et indulgentias praefatas ad festivitates SS. Jacobi Apostoli, Laurentii et Hermenegildi martyrum, Hieronymi doctoris et confessoris, ac Annae Matris Beatissimae Virginis extendere et ampliare dignaremur. Nos igitur litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes ac precibus hujusmodi inclinati, concessionem celebrandi in altari hujusmodi et consequendi indulgentias et peccatorum remissiones modo et forma praemissis ad easdem SS. Jacobi, Laurentii, Hermenegildi, Hieronymi, et Annae festivitates perpetuo extendimus et ampliamus. Non obstantibus praemissis ac omnibus illis quae in eisdem litteris predictis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xviii. Martii Pontificatus nostri anno iv.

CXXVIII.

Mandat ne ab ecclesia S. Francisci Corneti removeatur corpus Cardinalis de Angennes. Ex reg. Secr. Brev. in mense Januario pag. 39.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, in quo potestatis plenitudo consistit, nonnumquam ultimas decedentium voluntates rationabilibus causis suadentibus immutare ac alias, ne lites oriantur et exortae terminentur, disponere consuevit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sane cum sicut accepimus postquam bo. me. Carolus de Angennes dum vixit S. R. D. Cardinalis de Rambuglieto nuncupatus in suo ultimo per eum condito testamento inter

alia disposuerat, quod ejus corpus sepeliretur in aliqua ex magis insignibus et satis propinqua ecclesia, loco ubi ipsum ab humanis decedere contingeret, absque eo quod transportaretur ad locum nimis remotum, cui quidem ecclesiae reliquit scuta mille monetae investienda in reditibus non vacabilibus per ipsius testamenti executores, statimque ejus cadaver sepultum foret cum onere celebrandi singulis annis in die sui obitus unum anniversarium solemne cum missis et aliis suffragiis et solemnitatibus ab eisdem executoribus ordinandis, ac alias prout in dicto testamento plenius continetur. Idem Carolus Cardinalis, sicut Domino placuit, in civitate Cornetan. ab humanis decesserit, ejusque cadaver certis de causis non fuerit sepultum, sed depositatum in ecclesia domus S. Francisci ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. dictae civitatis, ubi etiam ad praesens reperitur, cumque lites et discordiae inter dilectos filios capitulum ecclesiae Cornetan. praetendentes ob majorem vicinitatem eorum ecclesiae cathedralis loco, ubi dictus Carolus Cardinalis decessit, quod dictum cadaver juxta ipsius testamenti tenorem in eorum ecclesia sepeliri deberet, ac ipsius Caroli Cardinalis haeredes seu executores testamentarios ortae sint et adhuc vigeant, Nos litibus hujusmodi finem imponere ac ut dictum cadaver ecclesiasticae sepulturae tradatur providere volentes, ipsiusque testamenti tenores etiam veriores praesentibus pro expressis habentes, necnon quascumque lites et causas, ac controversias inter praefatos, et alios quoscumque coram quibuscumque judicibus de et super praemissis quomodolibet pendentes, ad Nos harum serie avocantes illasque penitus et omnino extinguentes, ac perpetuum desuper silentium imponentes, motu proprio non ad alicujus instantiam, quod ipsius Caroli Cardinalis cadaver in eadem ecclesia S. Francisci, in qua, ut praefertur, depositatum reperitur sepeliri, ac sepultura per ipsius testamenti executores juxta illius dispositionem fieri et construi quoquomodo scuta mille praedicta, ut praefertur, investienda in tot annuis censibus seu reditibus non vacabilibus in Urbe seu civitate Cornetan. praefata, arbitrio ipsorum executorum seu eorum cujuslibet investiri, ipsorumque redituum medietas eisdem capitulo Cornetan. pro eorum mensa capitulari, et altera medietas sacristiae dictae ecclesiae S. Francisci singulis annis in perpetuum consignari debeant, cum onere tamen celebrandi singulis annis in perpetuum in die obitus ipsius Caroli Cardinalis in qualibet ipsarum ecclesiarum unum anniversarium solemne per capitulum videlicet in eorum cathedrali, et per guardianum et fratres dictae domus in S. Francisci ecclesiis praefatis cum omnibus solitis, debitis, et requisitis circumstantiis et solemnitatibus in similibus solemniis anniversariis fieri et servari solitis, ac alias, prout a dictis executoribus et seu eorum altero ordinatum et conventum fuerit, apost. auct. ten. praes. perpetuo statuimus et ordinamus, et ita ab haeredibus dicti Caroli Cardinalis illiusque executoribus, necnon capitulo et guardiano ac fratribus praedictis perpetuo observari volumus et mandamus. Non obstantibus voluntate ipsius Caroli Cardinalis praefata, quam quoad hoc sufficienter commutamus, illique specialiter et expresse derogamus, ac constitutionibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xviii. Januarii Pontificatus nostri anno iv.

CXXIX.

Ut abbatissae sint triennales. Ex Bullar. Cocquelines tom. 5. pag. 46.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quamquam Nos nuper id, quod in capitulo generali totius ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum in Urbe novissime celebrato decretum fuerat, observari debere quoad moniales S. Clarae, et illarum electionem in abbatissas jam antea in altero praecedenti capitulo generali in civitate Parisiensi habito sancitum, et alia dicti capituli novissime celebrati decreta, apostolica auctoritate confirmaverimus, et approbaverimus hoc videlicet modo, quod abbatissae, vel aliae praefectae quorumcumque monasteriorum monialium fratrum minorum de observantia curae commissarum, ad summum sint triennales, et suis officiis elapso triennio perfunctae, in quibusvis provinciis tam citra, quam ultramontanis non per biennium tantum juxta decretum in dicto capitulo generali Parisiis celebrato, sed saltem per triennium integrum a die functi officii sui, et administrationis numerandum, nullum abbatissatus, seu praefecturae monasteriorum, aut aliud officium, neque aliquam potestatem, seu auctoritatem in eis obtinere, vel exercere possint, debeant. Nihilominus exposuit Nobis dilectus filius Procurator Generalis dicti ordinis, quod aliquae praecipue S. Clarae Avenionensis, et nonnullorum aliorum monasteriorum monialium S. Clarae abbatissae cum aliquibus suis sequacibus sub variis praetextibus huic decreto acquiescere recusant in animarum suarum periculum, perniciosum quoque exemplum, et scandalum plurimorum, eo quia in dictis monasteriis ortae fuerunt.

§. 2. Nos praesentes hujusmodi uti vanos rejicientes, ac praemissa debitae executioni demandari cupientes, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod decretum praedictum super triennalitate abbatissarum factum, suum, ut, par est, effectum habeat in omnibus monasteriis monialium S. Clarae, et ad ungnem observetur, ita tamen ad pacandum jurgia, quae in dicto monasterio Avenionen. orta sunt, ex speciali gratia concedimus, quod moderna abbatissa dicti monasterii possit permanere in officio suo abbatissatus ad triennium a die ultimae suae electionis capitulariter factae computandum.

§. 3. Ac mandamus omnibus ministris generali, et provincialibus, ac visitatoribus dictorum monasteriorum, quatenus hoc decretum super triennalitate abbatissarum hujusmodi editum, in omnibus et singulis monasteriis S. Clarae quarumvis provinciarum ad ungnem observari faciant et curent, contradictores quoslibet et rebelles etc.

§. 4. Praeterea volumus, quod ipsae abbatissae, finito earum triennali officio, teneantur reddere computum, et rationem eorum omnium tam redituum, quam pensionum, et eleemosynarum, quae interim perceperint in dictis monasteriis, et si quid superesit, illud totum novis intrantibus abbatissis consignare debeant, praecipientes eis in virtute sanctae obedientiae, quatenus in omnibus iis pareant et obediant suis superioribus supradictis, necnon ad ea omnia, quae promiserunt Deo observare, tam in earum votis, quam suis regulis, et constitutionibus; quod

si secus actum fuerit, id omne nullius roboris vel momenti existere ex nunc decernimus.

§. 5. Non obstantibus etc.

§. 6. Volumus autem quod praesentium transumptis etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv. Martii Pontificatus nostri anno iv.

CXXX.

Quaedam statuit pro definitoribus eligendis in ordine fratrum minorum de observantia. Ex reg. Secr. Brev. iu mense Aprili pag. 249.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Thomas a Massa commissarius generalis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. quod licet in capitulo generali dicti ordinis anno mdlxxxvii. in hac alma Urbe celebrato statutum et ordinatum fuerit, quod nullus in definitorem ejusdem ordinis eligi possit, nisi qui spatio quindecim annorum in dicta religione degerit, et sex annis docuerit, seu a secretis superioribus provincialibus vel generalibus per triennium continuum inservierit, prout in statuto latius contineri dicitur; nihilominus quia multi in dicto ordine reperiuntur, qui conditiones requisitas ab eodem statuto non habeant, ob alias tamen causas ad definitoris officium hujusmodi exercendum idonei sunt, ad quod assumi non possunt, quia statutum praedictum a Nobis postea confirmatum et approbatum illis obstat; cum autem sicut eadem expositio subjungebat, plurimum expediat eidem ordini idoneos et probos viros officio praedicto honestare, quo reliqui facilius ad virtutem innitentur. Idcirco Nobis humiliter supplicari fecit dictus Thomas, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur communi utilitati, et progressui fratrum dicti ordinis consulere cupientes, dictique statuti tenores ac si de verbo ad verbum exprimerentur praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, harum serie, quod omnes et singuli fratres dicti ordines, qui aetatis triginta annorum, vel etiam provectioris, ac alias idonei, ut praefertur, fuerint, licet omnes qualitates in statuto supradicto contentae non habeant, ad dictum definitoris officium assumi possint et valeant, expresso ad id accedente consensu definitorum capituli Cismontani, apost. auct. ten. praes. decernimus et declaramus, ac licentiam fratribus ad quos spectat, illos ad officium praedictum eligendi concedimus. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etsi de illis eorumque totis tenoribus specialis mentio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xii Aprilis Pontificatus nostri anno v.

CXXXI.

Adprobat fundationem conventus Passavien. Ex reg. Secret. Brev. in Bullario hujus anni pag. 124.

Ad perpetuam rei memoriam.

Piis fidelium votis, quae religionis propagationem, divinique cultus augmentum respiciunt, ut optatum sortiantur effectum, libenter annuimus, easque favoribus prosequimur opportunis. Nuper siquidem ad aures nostras provenit, quod venerab. frater noster Urbanus Trenbach episcopus Passavien. ad gloriam omnipotentis Dei, necnon in honorem beatissimae Virginis Mariae, ac SS. Omnium et praecipue Seraphici Patris S. Francisci, et S. Annae pro sua devotione unam domum et ecclesiam pro usu et habitatione religiosorum ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. constroi et aedificari curasset, ipse Urbanus episcopus ex una, et dilectus filius Joannes Bernardinus provincialis dicti ordinis, assistentibus sibi dilectis filiis Francisco Cypriano primo definitore provinciae, ac duobus aliis guardianis ex altera partibus ad infrascripta capitula inter se, sub nostro, et Sedis Apostolicae beneplacito devenerunt. Primo quod singulis diebus peracto divino officio, fratres inibi inhabitaturi, orent pro Urbano episcopo et ejus successoribus, et recitent psalmum qui incipit *miserere mei Deus*, et qualibet hebdomada pro eodem episcopo celebrent unum officium mortuorum, in quo nomen proprium, videlicet Urbani in prima collecta pro defunctis ponatur, idque etiam pro omnibus fidelibus defunctis ejus familiae; ac ibi habeant aliquem professorem doctum, qui fratribus et novitiis perlegat, ac etiam volente episcopo poenitentiarium agat; necnon ibi semper de idoneis concionatoribos et confessariis doctis provideatur, et quod illius administratio spectet ad superiores dicti ordinis, et visitatio ad provincialem provinciae Argentinae; quod fratres quantum poterunt, evitent commercia et convivia laicorum, et exercitium negotiorum saecularium, et ibi non recipiant facinorosos. Et insuper, quod si inibi commorantes fratres, ipsam domum deseruerint, aut non adimpleverint contenta in his capitulis, cadant a juribus dictae domus, liberumque sit episcopo, vel ejus successori, illam aliis religiosis concedere. Cum autem Urbanus episcopus ac religiosi praedicti desiderent praemissa omnia per Nos adprobari, et confirmari, Nos eorum supplicationibus hac in parte inclinati, omnia et singula capitula aliaque praemissa apostolica auctoritate tenore praesentium adprobamus et confirmamus, ac omnia et singula tam juris quam facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die 1. Februarii Pontificatus nostri anno IV.

CXXXII.

Pro coenobio fratrum minorum conventualium Patavii. Ex arch. SS. XII. Apostolorum de Urbe.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad fovendos in dies magis fratres domus S. Antonii de Padua ordinis fratrum minorum conventualium, quae inter alias hujus ordinis domus valde celebris existit, et ad eosdem gratiis et favoribus prosequendos tanto libentius inducimur, quanto libentius intenta mente revolvimus fructus uberes, quos ex eorum vita, et doctrina salutari in ecclesia Dei continue cernimus provenire; unde Nos, qui a tenera nostra aetate hunc ordinem amplexi sumus, ad ea diligenter intendimus, per quae hic ordo et ejus professores in pace, et tranquillitate Deo inservire, et incrementis felicibus augeri valeant. Supplicationibus igitur dilectorum filiorum guardiani et fratrum dictae domus hac in parte inclinati, harum serie statuimus et ordinamus, quod perpetuis futuris temporibus omnes et singuli dicti ordinis, et illius provinciae fratres processus, ex quorum inspectione posset quispiam aliquam infamiae maculam, sive notam incurrere, contra fratrem, aut de fratre quomodocumque aliquam mentionem facientes, debeant primo quocumque tempore dilecto filio ministro hujus provinciae praesentare; tempore autem celebrationis capituli, aut congregationis dictae provinciae eligatur guardianus dictae domus a ministro, et definitoribus in capitulo juxta formam a concilio Tridentino praescriptam, et constitutiones ordinis; quodque fratres maoentes de familia in ipso sacro conventu tam studentes, quam alii, si scientia, et auctoritate fuerint habiles ad confessiones audiendas, approbatique fuerint ab ordinario, possint ad laudem Dei, et animarum salutem honeste atque devote confessiones audire; mulierum autem confesiones non audiant, nisi hi, qui congregatis patribus per eorum concilium fuerint admissi; in quo tamen concilio ipsi patres ad hujusmodi officium magis idoneos maturaeque aetatis ad audiendum proponere teneantur. Illi vero, qui in eodem conventu non existunt de familia collocati, nec virorum, nec mulierum confessiones audire praesumant, nisi de totius concilii patrum licentia speciali, et ab ordinario approbati fuerint. Ac numerus studentium non sit major, quam reditus sufficere queant; propterea qui ad magisterium assumpti fuerint, qui prius de familia erant, infra quatuor menses ad suos conventus accedere cogantur, et nullus inibi quovis colore manere possit. Necnon conventus, et loca conveniant proportionabiliter in expensis superiorum commorantium in ipso conventu ad haec, quod nullus guardianus domorum et locorum dependentium ab ipso sacro conventu S. Antonii, qui sunt de comitatu Paduano, videlicet Bovolente, Galzignani, Cortarndi creatus ab ipsis partibus juxta formam concilii, aut alii fratres possint vendere, commutare, vel alienare, aut in affictum seu emphitensim dare bona supradictorum locorum, sive alia facere, nisi de licentia patrum dicti conventus, et servatis etiam caeteris solemnitatibus a jure requisitis; et quae camerae deputatae ad usum generalis, provincialis, et praedicatorum non debeant a quoquam impediri, seu occupari, ipsique generali, provinciali, praedica-

toribus absentibus, cura earumdem camerarum demandetur uni, vel pluribus fratribus presbyteris nativis nuncupatis, ab ipso conventu electis, quodque usus aliarum camerarum paternarum nuncupatarum a patribus dictae domus concedantur patribus nativis nuncupatis, et fratribus filiis nuncupatis, aut incorporatis dictae domus, servata gradus, et meritorum praerogativa. Necnon pro custodia sacristiae dictae domus, in qua multae Sanctorum Reliquiae, ac multa paramenta, et ornamenta ecclesiastica magni valoris, et quantitatis, ac etiam oblationes christifidelium recondita sunt, duo patres probatae vitae in sacristas ab ipso conventu et patribus per secreta suffragia, servata forma concilii Tridentini, deputarentur; ipsaque quatuor principalia paramenta extra conventum non concedantur, nisi ecclesiae cathedrali sub poena excommunicationis. Et cum nullus frater possit incorporari de ipso sacro conventu Paduano quovis colore, nisi consensu superioris, et majoris partis supradicti conventus, prout in constitutionibus multorum generalium dicti ordinis alias factis expresse cavetur, praecedente etiam prius excorporatione a suo nativo conventu, et aliis, sicut in constitutionibus Alexandri VI. expresse determinatur, cujuscumque bona omnia dictae domus S. Antonii, in qua receptus fuerit, in patrem incorporentur. Ideo incorporationes, quae aliter factae fuerunt contra formam privilegiorum dicti conventus, ac dictarum constitutionum, sint nullius roboris, vel momenti. Insuper ut fratres suscipiant occasionem studendi, recteque vivendi statuitur, ut nullus frater professus dicti conventus possit esse de concilio patrum, nisi fuerit custos custodiae Paduanae, aut baccalaureus in theologia pro cursu, aut magister, aut electus ab ipsis patribus, nemine penitus discrepante, aut quod sit vir gravis maturae aetatis, saltem triginta quinque annorum, sicut ordinationes Alexandri VI. juste pieque determinant. Denique quod commissarii ad dictam domum non deputentur, nisi ad causas secundum facti contingentiam; causa vero quamprimum expedita, commissariatus hujusmodi deputatio, seu officium eo ipso expiret, et cesset, ac expirasse et cessasse censeatur. Ipsique commissarii ex ea domo emigrare ad suos conventus statim teneantur; sicque per quoscumque judices etc. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchae Venetiarum, et Episcopo Paduano, ac nostro et Sedis Apostolicae in civitate Venetiarum commoranti Nuntio, per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra praemissa omnia observari: contradictores quoslibet et rebelles etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxviii. Martii Pontificatus nostri anno iv.

CXXXIII.

Ut Evangelista de Furce episcopus S. Agathae Gothorum praesideat capitulo generali minorum conventualium. Ex reg. Secr. Brev. in mense Augusto pag. 35.

Venerabili fratri Episcopo S. Agathae Gothorum ordinis fratrum minorum S. Francisci ministro generali.

Cupientes pro nostra pastorali cura, ut generale capitulum ordinis fratrum minorum S. Francisci, cujus minister generalis ex dispensatione apostolica existis, quod singulis trienniis in festo Pentecostes anni proxime futuri, in quo triennium a capitulo praecedenti elapsum erit, ut moris est, celebretur, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus in virtute sanctae obedientiae ipsum capitulum in dicto festo Pentecostes anni Domini MDXC. proxime futuri in hac alma Urbe nostra celebrandum indicere, illudque intimare, ac convocandos convocare et omnino ipsi capitulo praesidere, ac servata forma in concilio Tridentino edita, omnia quae pro reformatione dicti ordinis, illiusque personarum fieri consulueris et judicaveris, efacere et exequi libere et licite valeas, plenam et liberam auct. apost. ten. praes. concedimus facultatem, tibique pariter indulgemus; confirmationem tamen electionis generalis dicti ordinis Nobis et successoribus nostris, prout hactenus servatum fuit, reservamus. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis, editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros super confirmatione electionis generalis hujusmodi et motu proprio, et alias quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae in Monte Quirinali die XXIII. Augusti Pontificatus nostri anno V.

CXXXIV.

Plura habet de capitulo generali minorum conventualium mox habendo. Ex arch. SS. XII. Apost de Urbe.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspectuis salutem et apostolicam benedictionem.

De salute gregis dominici curae nostrae, meritis licet imparibus, divina dispositione commissi, prout nostro pastorali incumbit officio, solicitis studiis cogitantes, singulos ejusdem gregis fideles (quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia) ad sanctissima Dei templa, quae domus orationis existunt, et religsosa loca summo devotionis fervore frequentius adeunda, inibique ad pia et meritoria opera exercenda, spiritualibus mu-

operibus videlicet, et peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut per eorumdem operum exercitium suorum, abolita macula delictorum, ad coelestis patriae beatitudinem feliciter pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus venerabilis frater Evangelista episcopus S. Agathae Gothorum ordinis fratrum minorum S. Francisci minister generalis, ac dilecti filii ejusdem ordinis fratres pro bona ac felici ordinis sui directione, suaque religionis conservatione et augmento, juxta antiquum, et approbatum eorum institutum, capitulum generale in domo et conventu Basilicae SS. XII. Apostolorum almae urbis Romae in festis Pentecostes anni Domini MDLXXXX. proxime venturi, more solito celebrare proponant, ad cujus celebrationem quamplures praedicti ordinis professores viri, religione, et doctrina morumque probitate praediti, favente Domino, accessuri sunt, Nos ad excitandam, atque ad augendam eorumdem christifidelium religionem, animarumque salutem, et ut christifideles praedicti tam ad praedictae Urbis, quam singularum aliarum domorum dicti ordinis ecclesias, et loca pia ubicumque existentia eo libentius devotionis causa confluant, quo majora exinde coelestis gratiae dona adepturos se esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui singulas ecclesias, et loca pia dicti ordinis, ubicumque existentia devote visitaverint in Dominica Palmarum, et Feria sexta in Parasceve, necnon feria secunda Paschatis Resurrectionis Dominicae: in provinciis vero regnorum Siciliae, et Sardiniae, in quibus indulgentiae pro Cruciata Sancta quotannis publicari solent, ecclesias domorum, et alia pia loca praedicti ordinis in provinciis regnorum hujusmodi existentia in SS. Marci Evangelistae, ac Philippi, et Jacobi Apostolorum, necnon Ascensionis Domini nostri Jesu Christi festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singulorum eorumdem dierum, viginti quinque annos, et totidem quadragenas, de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer relaxamus. Basilicae vero ecclesiam hujusmodi in primis tribus diebus actualis celebrationis dicti capituli devote visitaverint et inibi pias pro Sanctae Sedis Apostolicae conservatione, et haereticorum reductione, necnon infidelium conversione, et pace inter principes christianos conservanda, vel alias, prout unicuique suggeret devotio, preces Deo altissimo effuderint, plenariam omnium, et singulorum peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quoties id respective fecerint, apost. auct. ten. praes. concedimus, et elargimur. Non obstantibus etc. Quibus omnibus illorum tenores hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus post celebrationem dicti capituli minime valituris. etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xx. Decembris Pontificatus nostri anno v.

CXXXV.

Indulgentia plenaria in prima missa dicenda ab episcopo in ecclesia S. Francisci de Talleacotio. Ex archivo SS. XII. Apost. de Urbe.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utrinsque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, et sacra communione refectis, qui primae missae, qua venerabilis frater Propertius episcopus Geruntinen. et Cariaten. in ecclesia domus S. Francisci ordinis fratrum minorum conventualium terrae Talleacotii Marsicanae dioecesis, de licentia Ordinarii loci, in pontificalibus die festivitatis B. Mariae Magdalenae proximae venturae celebrabit in toto vel parte, ac benedictioni per eumdem Propertium episcopum post missae hujusmodi solemnia supra populum elargiendae praesentes fuerint, seu ecclesiam hujusmodi a primis vesperis usque ad occasum solis die festivitatis hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, sanctaeque matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur; praesentibus pro ea vice dumtaxat valituris.

Datum Romae apud S. Petrum die prima Junii Pontificatus nostri anno v.

CXXXVI.

Pro Scholastica Bonamici moniali ordinis S. Clarae. Ex reg. Secr. Brev. in mense Septembri pag. 19.

Venerabil fratri Episcopo Reatin.

Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectae in Christo Scholasticae filiae legitimae quondam Pauli Bonamici de Aspra Sabinen. dioecesis monialis professae monasterii monialium S. Clarae Reatin. ordinis ejusdem S. Clarae, non tamen sub prima regula, quibus ex indulto apostolico bona immobilia in communi possidere licet, quod alias dictus quondam Paulus ipsius Scholasticae pater in suo ultimo, quod de bonis sibi a Deo datis, condidit testamento, duodecim millia ducatos dicto monasterio et praeterea unum petium terrae in districtu seu dioecesi Reatin. juxta suos notissimos confines situm, peculiariter dictae Scholasticae, quo pro suis necessitatibus dicta Scholastica quamdiu superstes foret, frui et potiri deberet; ipsa vero Scholastica defuncta etiam praedicti monasterii esset, et ad ipsum spectaret, jure legati reliquit. Cum autem sicut accepimus dicti monasterii moniales in communi vivant, nihilque peculiare aut proprium obtinere, seu possidere possint, propterea dicta Scholastica Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus sibi suisque necessitatibus opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos dictam Scholasticam spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, tibi per praesentes man-

damus, quatenus petium terrae hujusmodi ex nunc dicto monasterio apostolica auctoritate perpetuo concedas, applices, et appropries, necnon ejusdem monasterii abbatissae nunc et pro tempore existenti, ut ejus fructus ex nunc, etiam durante vita dictae Scholasticae, monasterii praedicti nomine percipere, exigere, ac in monasterii praefati, et quatenus ipsi abbatissae videbitur, etiam ejusdem Scholasticae quoad vixerit, usum convertere, necnon ex illis suis necessitatibus subvenire libere et licite, ac absque ullo conscientiae scrupulo, et quarumvis censurarum, aut poenarum etiam ecclesiasticarum incursu possit et valeat, praedicta auctoritate indulgeas, ac licentiam et facultatem desuper concedas, et impartiaris. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etiamsi de illis specialis et expressa mentio habenda esset; illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae in Monte Quirinali die xviii. Septembris Pontificatus nostri anno v.

CXXXVII.

Deputat Cardinalem de Ruvere Protectorem ordinis min. conventualium praesidem comitii generalis. Ex reg. Secr. Brev. in mense Maio pag. 171.

Dilecto filio Hieronymo tituli S. Petri ad Vincula presbytero Cardinali de Ruvere nuncupato universi ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci Protectori.

Licet Nos nuper venerabili fratri Evangelistae episcopo S. Agathae Gothorum et universi ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci ministro generali, capitulo hic Romae proxime celebrando per alias nostras in forma brevis confectas litteras concesserimus, prout in dictis litteris continetur, nihilominus auctoritatem tuam ad res in dicto capitulo felicius gerendas, cum tu et dicti ordinis protector per Nos et Sedem Apostolicam deputatus sis, plurimum valere duximus; tenores itaque dictarum litterarum praesentibus pro expressis habentes, circumspectioni tuae, ut in dicto capitulo generali hic Romae proxime, ut praefertur, celebrando, in actibus electionis futuri generalis, quibus antecessores tui dicti ordinis protectores seu viceprotectores hujusmodi in capitulo assistere soliti fuerunt, assistere, ipsumque capitulum tua praesentia cohonestare, illaque omnia et singula, quae antecessores protectores, sive viceprotectores tui fecerunt, facere et gerere libere et licite valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, non intendentes in caeteris per praesentes auctoritati et facultatibus in eisdem litteris contentis, aut dicto Evangelistae Episcopo et Generali in aliquo praejudicare. Non obstantibus quibusvis in contrarium facientibus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx. Maii Pontificatus nostri anno vi.

CXXXVIII.

Pro gradu magisterii ordinis min. conventualium. Ex archivo SS. XII. Apostolorum de Urbe.

Dilecto filio Francisco Bonfilio ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci ministro generali salutem et apostolicam benedictionem.

Cum tu propediem, ut incumbenti tibi ministri generalis muneri, ut decet, satisfacere, illudque ad Dei gloriam, et istius ordinis utilitatem, et propagationem dirigere valeas, provincias et domus ejusdem ordinis visitare intendas. Nos tibi, ut erga ipsius ordinis professores, qui theologiae studiis plures annos diligenter navarunt operam, te gratiosum exhibere, ipsique condigna laboribus praemia, debitumque virtutibus honorem per tui operam ministerii citius, et dignius consequnti, alios eorum exemplo ad virtutes, et studia magis excitare valeant, ut in qualibet provincia fratrum dicti ordinis, quatuor ex insignoribus praedicti ordinis professoribus, qui probitate, et catholicae religionis zelo praediti in artibus, et theologia hujusmodi cursum perfecerint, si eos praevio rigo-

roso examine ad id idoneos esse compereris, ad magisterii gradus in artibus et theologia promovere, eisque solita magisterii insignia conferre, patentesque litteras desuper conficere valeas, necnon iisdem sic promotis, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, exemptionibus, facultatibus, praerogativis, et gratiis, quibus alii in universitatibus studiorum generalium promoti quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere libere et licite valeant, apost. auct. ten. praes. concedimus et indulgemus. Ita tamen, ut si in provinciis ad quas visitando te pervenire contigerit, tot ad id habiles non repereris, et ut ita expedire duxeris, ex aliis tibi benevisis provinciis etiam remotioribus, seu ad quas nunc minime accessurus es, alios usque ad numerum praesentium assumere idoneos, et habiles, et in deficientium locum quoad praemissa surrogare, ac etiam, dum tu in provincia Umbriae de mense Augusto proximi futuri commoraberis, si aliquem ex dignioribus, tibique benevisis alterius provinciae, ad quam facile, vel brevi te conferre minime poteris, ad magisterii gradum promoveri, prout illius provinciae bono expediens esse duxeris, et eidem gradus, et insignia, ac alia praedicta, praevio tamen rigoroso examine, ut supra, et non expectato tuo in illam provinciam adventu, ad majorem eorumdem baccalaureorum ibi tunc existentium, seu causa et occasione festivitatis Portiunculae Sanctae Mariae Angelorum ad dictam provinciam Umbriae accedentium commoditatem, et honorem, ut ad litterarum studia prosequenda caeteri eorum exemplo alacriores reddantur; ad computum tamen illorum quatuor, quos in dicta provincia, cum ad eam te contuleris, promoturus eris, et non ultra conferre possis et valeas. Non obstantibus etc.

Datum Romae in Monte Quirinali die XXI. Julii Pontificatus nostri anno VI.

CXXXIX.

Eligit Seraphinum Masnago vicarium generalem fratrum tertii ordinis.
Ex reg. Secr. Brev. in mense Januario pag. 56.

Dilecto filio Seraphino Masnago Mediolanen. tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupat. regularis observantiae congregationis Lombardiae salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus quondam Dionysius Columba tertii ordinis S. Francisci generalis, nuper, sicut Domino placuit, ab humanis decesserit, Nos pro nostri pastoralis officii solicitudine volentes, ne dictus ordo in spiritualibus et temporalibus, donec alius generalis, ut moris est, in capitulo generali ordinis hujusmodi eligatur et deputetur, detrimenta aliqua sustineat, de vicario generali viro idoneo, scientia, moribus, et experientia, ac Nobis probato mature providere, necnon de tua probitate, fide, doctrina, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, te qui ejusdem ordinis professor, ac provincialis provinciae Romanae ad praesens existis, in Vicarium Generalem ejusdem ordinis cum facultate totam religionem hujusmodi regendi, moderandi, et gubernandi, aliisque facultatibus, necnon omnibus et singulis privilegiis, honoribus, oneribus, praeeminentiis, et emolumentis, quibus alii vicarii generales dicti ordinis

quomodolibet uti, et gaudere soliti sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium, donec capitulum generale dicti ordinis celebrabitur, creamus, constituimus, et deputamus, teque sic creatum, constitutum, et deputatum ab omnibus censeri et haberi debere decernimus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae, et sub arbitrii nostri poenis omnibus et singulis dicti ordinis officialibus, et ministris, necnon provincialibus, prioribus, guardianis, et aliis quocumque nomine nuncupatis fratribus, et personis, ut tibi tamquam vicario eorum generali in omnibus, quae eis ordinanda ac mandanda duxeris, humiliter pareant et obediant, tuaque praecepta et mandata reverenter suscipere et adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus eam, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. Quibus omnibus ad officium praemissum illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xx. Januarii Pontificatus nostri anno v.

CXL.

Pro capienda possessione conventus oppidi de Criste. Ex reg. Secr. Brev. in mense Julio pag. 120.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito ministerii pastoralis ad ea nostrae operationis studia diligenter convertimus, per quae pia religiosorum vota suum optatum consequantur effectum, et ut ea quae propterea per christifideles pie facta fuisse dicuntur, firma perpetuo et illibata persistant, cum a Nobis petitur, libenter apostolico munimine roboramus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus S. Francisci oppidi Christe Arnaudi ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci Dien. dioecesis, quod cum alias dictum oppidum ab haereticis occupatum fuisset, et prope moenia dicti oppidi domus ipsa existeret, in qua divina celebrabantur officia, et religionis vota observabantur, dicti haeretici inde illius guardianum et fratres ejecerunt, unde post aliquod tempus facta perquisitione alterius loci, in quem se recipere possent, tandem cum in dicto oppido esset quaedam parva cappella sub invocatione Consolationis B. Mariae Virginis, quam dudum antea quidam eremita fundaverat, et in qua tunc nulla omnino divina officia celebrabantur, sed indecenter in ruinam vergebat, et in eam sordes projiciebantur, dilecti filii universitas et homines dicti oppidi moti pietate erga guardianum et fratres ejectos praedictos, illis dictam cappellam, cum nullus tunc reperiretur illius rector, concesserunt ad hoc, ut apud eam habitare, et novam domum construere possent. Demum concessio praefata per principem Delphinum Delphinatus, tunc pro clarae mem. Carolo IX. Francorum Rege christianissimo in Delphinatum hujusmodi locumtenentem, auctoritate ejusdem Caroli regis confirmata extitit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, guardianus et fratres praedicti christifidelium eleemosynis adjuti, cappellam praedictam ad elegantiorem formam reduxerint, et apud eam

habitationes construxerint, in eadem cappella divina officia celebrando; et propterea nonnulli christifideles magna erga eam devotione ducti sepulturas ibi elegerint, et ei nonnulla legata reliquerint, timeantque guardianus et fratres praedicti, ne successivo tempore super usu et fruitione dictae cappellae eos molestari contingat, pro parte guardiani et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus concessionem dictae cappellae eis, ut praefertur, factam, approbare et confirmare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur guardianum et fratres praedictos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac dictae cappellae situationes, confines, et qualitates, ac verum annuum valorem praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictae cappellae guardiano et fratribus praedictis, et seu eorum antecessoribus, ut praefertur, factam et alia praemissa, necnon inde secuta quaecumque, apost. auct. ten. praes. approbamus et confirmamus, illisque plenariae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, et nihilominus cappellam praedictam cum illis forsan annexis, ac omnibus juribus et pertinentiis suis eisdem guardiano et fratribus de novo perpetuo concedimus et assignamus, eosdemque guardianum et fratres super usu et fruitione dictae cappellae per quoscumque, quavis auctoritate quomodolibet molestari vel impediri non posse nec debere, irritum quoque, et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Quocirca venerab. fratribus Archiepiscopo Viennen. et Episcopo Gratianopolitan. ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios faciant auctoritate nostra guardianum et fratres praedictos concessione aliisque praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae in Monte Quirinali die xxv. Julii Pontificatus nostri anno vi.

CXLI.

Pro coenobio fratrum minorum conventualium SS. XII. Apostolorum de Urbe. Ex archivo ejusdem coenobii.

Ad perpetuam rei memoriam.

Postquam multa, ex quo Nos divina majestas ad hujus praecelsae dignitatis fastigium evexit, in hac alma Urbe ad illius ornatum et splendorem fieri curavimus, decens, et rationi consonum judicantes, Basilicam et domum SS. XII. Apostolorum de dicta Urbe ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci, plurimorum Beatorum Martyrum reliquiis decoratam, et Summorum Pontificum privilegiis insignitam, in qua

Nos nuper collegium professorum doctrinae S. Bonaventurae catholicae ecclesiae doctoris Seraphici instituimus, in ampliorem et commodiorem formam ad omnipotentis Dei gloriam, divinique cultus augmentum redigere, et dilectae franciscanorum familiae, in qua nomen nostrum in minoribus constituti dedimus, in eadem domo degentium, et praesertim ipsius collegii S. Bonaventurae alumnorum, quo propensiores ii ad studia reddantur, commodo et utilitati prospicere, summam quindecim millium scutorum monetae de juliis decem pro quolibet scuto hujusmodi computatis ad effectum infrascriptum palatium eisdem Basilicae et domui contiguum, et antea ipsius conventus, seu domus primum, ut vocant, claustrum, a dilectis filiis Columnensibus redimendi seu emendi, fratribus ordinis minorum conventualium S. Francisci hujusmodi in eleemosynam donavimus. Quare nuper postquam fel. rec. Julio Papa II. praedecessore nostro pro parte quondam Marci Antonii Columnae Domicelli Romani, et tunc existentium guardiani et fratrum dictae domus expositum fuerat, quod si palatium *della Torre*, seu *del vaso* nuncupatum, cum turri, et certis aliis membris per dictum Julium praedecessorem alias in minoribus constitutum, et episcopum Ostiensem Cardinalem de Ruvere nuncupatum eidem Basilicae seu domui donatum, et concessum, ac ad domum praedictam pertinens, ex quibus guardianus, et fratres praedicti modicam percipiebant utilitatem, eidem Marco Antonio in perpetuum ea lege concederetur, quod eisdem fratribus unum dormitorium pro eorum usu et habitatione loco dictorum membrorum suis sumptibus et expensis construeret, ac centum et quinquaginta ducatos de carlenis, decem carlenis veteribus pro quolibet ducato hujusmodi computatis, eisdem guardiano et fratribus annis singulis dare deberet, donec in aliis reditibus, de quibus ipsi guardianus et fratres contentarentur, aliam similem summam, et quantitatem dedisset, et consignasset, et tunc palatium et membra hujusmodi a solutione dictorum centum, et quinquaginta ducatorum franca et immunia esse deberent; quodque dictus Marcus Antonius de praemissis adimplendis cautionem bancariam, seu idoneos fidejussores, eisdem guardiano, et fratribus dare astrictus esset, et si praedicta fierent, ea in evidentem dictae domus cedant utilitatem; idemque praedecessor Marci Antonii, ac guardiani, et fratrum praedictorum supplicationibus inclinatus, tunc episcopo Saonensi in romana curia residenti commiserat, ut de praemissis se informaret, ac guardiano et fratribus praedictis, palatium cum turri, et membris praemissis eidem Marco Antonio perpetuo concedendi licentiam daret, prout in supplicatione desuper signata, cujus solam signaturam quoad hoc sufficere voluerat, ac reformatione desuper obtenta, plenius continetur; dicto praedecessori, pro parte Marci Antonii, ac guardiani et fratrum praedictorum exposito, quod ipsi inter se convenerant, non solum quod dictus Marcus Antonius dormitorium hujusmodi construeret, ac dictos centum, et quinquaginta ducatos persolveret, donec in aliis reditibus eisdem guardiano, et fratribus satisfaceret, sed etiam quod si dicto Marco Antonio procurante, aut alias aliquod beneficium ecclesiasticum, seu monasterium valoris dictorum centum et quinquaginta ducatorum liberaretque, quodque id in evidentem dictae domus utilitatem cedebat; et in eadem expositione subjuncto, quod ab eodem praedecessore (dicto Marco Antonio procurante, aut alias) mo-

nasterium S. Viti de Pagalcino ordinis S. Benedicti Polignanen. dioecesis, tunc certo modo vacans ad effectum, ut dictus Marcus Antonius a solutione dictorum centum et quinquaginta ducatorum liberaretur, praedictae sacristiae uniri concessum, seu unitum fuerat, ipse praedecessor xvii. calendas Augusti Pontificatus sui anno ix. licentiam ab eodem episcopo Saonen. guardiano et fratribus praedictis concessam, ejusque vigore concessionem palatii cum turri, et membris praedictis eidem Marco Antonio, per eosdem guardianum et fratres factam approbavit, et potiori pro cautela supradictis guardiano et fratribus palatium cum turri, et membris praedictis eidem Marco Antonio de novo perpetuo concedendi (ita quod palatium cum turri, et membris praedictis eidem Marco Antonio liberum ab omni solutione et immune remaneret) licentiam dedit, prout in litteris piae mem. Leonis Papae X. etiam praedecessoris nostri (cum dictus Julius praedecessor antequam ejus litterae desuper conficerentur, sicuti Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus) plenius continetur. Dilectus filius noster Ascanius S. Nicolai in Carcere diaconus Cardinalis Columna nuncupatus, ad quem dictum palatium eidem domui contiguum in regione Trivii situm, cui ante est platea dictae Basilicae, et retro ipsa Basilica et conventus dictorum fratrum, et ab uno via publica tendens a dicta platea ad aliam plateam de ulmo nuncupatam, et et ab alio lateribus membrum *il salone* nuncupatum dilecti filii nobilis viri Marci Antonii Columnae, Talleacotii, et Palliani ducis, et principis, ac regni Neapolitani magni contestabilis ex justis titulis et causis jure utilis, et directi dominii spectat ipsum palatium, cum omnibus et singulis ejus membris, pertinentiis, adjacentiis, introitibus, exitibus, usibus, commoditatibus, juribus, et jurisdictionibus, fratribus dictae domus, et pro ipsis, ac tota venerabili religione fratri Evangelistae episcopo S. Agathae Gothorum religionis, et ordinis bujusmodi ministro generali pro pretio et nomine veri, converti, et justi pretii quindecim millium scutorum monetae ad decem julios pro quolibet scuto hujusmodi in perpetuum vendidit, et titulo purae, merae, perfectae, et irretractabilis venditionis dedit, concessit, et tradidit, et ex quindecim millibus scutis hujusmodi undecim millia et ducenta quinquaginta habuit, et recepit manualiter, et in pecunia numerata a dilectis filiis Castellino, et Joanne Augustino Pinello nostris et camerae apostolicae generalibus depositariis solvere declarantibus de mandato nostro ac de pecuniis nostris, quas pie et liberaliter in eleemosynam, ac gratiose et irrevocabiliter inter vivos (ut diximus) donavimus, et donamus donatione pura, mera, simplici, et irretractabili, quae dicitur fieri (ut dictum est) inter vivos, fratribus praedictis mediante cedula propria manu nostra primo die mensis Julii proxime praeteriti signata, ac ipse Ascanius Cardinalis dicta undecim millia et ducenta et quinquaginta scuta suo risico et periculo statim deposuit penes dilectum filium Joannem Baptistam Loragum mercatorem comen. romanam curiam sequentem, non amovenda sine consensu pro tempore existentis ministri generalis dicti ordinis, vel procuratoris ad id ab eo speciale mandatum habentis, et ex pacto ita expresse convento, nisi ad effectum illa investiendi, et erogandi cum interventu, et consensu praedicti ordinis ministri generalis nunc vel pro tempore existentis, seu ejus legitimi procuratoris hujusmodi, in emptionem tot locorum alicujus montis non vacabilis, aut tot censuum bene

assecuratorum, sive tot bonorum stabilium in dicta Urbe, vel ejus districtu, et si ipsi Ascanio Cardinali magis placuerit in territorio Mareni consistentium ad electionem dicti Ascanii Cardinalis, et ad favorem dicti Marci Antonii ducis et contestabilis; quorum locorum, sive censuum, vel bonorum stabilium sic ad emendorum fructus ad ipsum Ascanium Cardinalem pertineant, donec vixerit, et ejus vita durante tantum; ipso vero vita functo fructus hujusmodi spectent ad ipsum Marcum Antonium ducem et contestabilem ejusque haeredes et successores quoscumque; quae loca montium, sive census, aut bona stabilia sic emenda, ad majorem cautelam dictae religionis stent et stare debeant affecta, obnoxia, obligata, et hypothecata pro omni et quacumque dicti palatii evictione; si ullo unquam tempore in proprietate vel possessione sequeretur, etiam ratione, et causa cujusvis fideicommissi purificati, et purificandi, aut cujusvis alterius restitutionis, obligationis, vel alterius meris cujuscumque in eventum evictionis praedictae, liceat eisdem fratribus eorumque superioribus, procuratoribus, et agentibus, etiam auctoritate propria, et sine vitio spolii, et attentatorum, et sine aliqua citatione locorum montium censuumve, aut bonorum, sic, ut praefertur, emendorum, realem, et actualem possessionem capere, et retinere, ac ad illa liberum habere regressum, et super quibus nulli personae jus aliquod acquiratur, nec acquiri possit ex quavis causa etiam dotis, alimentorum, ac quantumvis pia ac privilegiata. In investituris vero ut supra faciendis, fieri debeat expressa mentio, quod fiunt de pecuniis per Nos dictis fratribus ut supra donatis, et solutis in pretium dicti palatii, et proinde dicti fratres in iis semper quibusvis aliis etiam privilegiatis, et anterioribus praeferri debeant, et in eventum extinctionis locorum Montis, sive redemptionis censuum, ut praefertur, emendorum, quoties id evenerit, toties dictum pretium reinvestiri debeat in aliis censibus, vel locis alicujus montis non vacabilis, vel bonis stabilibus ad electionem dicti Ascanii Cardinalis cum speciali hypotheca et mentione, necnon consensu et interventu supradictis; interim vero, et donec hujusmodi investitura fiet, debeat hujusmodi pretium deponi semper vel penes aedem sacram, vel capsorem fide et facultatibus idoneum, risico et periculo ipsius Ascanii Cardinalis, ejusque haeredum, et successorum non amovendum, nisi ad effectum reinvestiendi, ut praefertur, cum consensu semper et interventu ministri generalis ordinis hujusmodi, sive ejus legitimi procuratoris, et non alias aliter, nec alio modo. Reliqua vero tria millia septingenta et quinquaginta scuta hujusmodi pro complemento integri supradicti pretii idem Ascanius Cardinalis consensit, atque mandavit solvi, et erogari modo infrascripto ad favorem dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Euridiae Columnae, relictae quondam Pompei Columnae ducis Zagaroli pro omni et quocumque ab ea praetenso jure super quarta parte dicti palatii, sibimet per se ipsam reservato, in quadam ejus renuntiatione facta ad favorem quondam Marci Antonii Columnae sub die VI. Aprilis anno Domini MDLXXXI. per acta dilecti filii Ovidii Erasmi tunc causarum curiae camerae apostolicae generalis auditoris notarii, quod reservatum jus, praedictus Ascanius Cardinalis nullum esse credit, sed nihilominus volens nobiliter, et extra omne jurgium cum ea, uti erga consanguineam decet agere, contentus fuit illi supradictam quantitatem consignari, si et postquam ipsa legitime, et salutaris

solemnitatibus intervenientibus in praesentem venditionem consenserit, prout successive pro se, ac suis haeredibus, et successoribus quibuscumque cum interventu, et auctoritate venerab. fratris nostris Marci Antonii episcopi Praenestin. Cardinalis Columnae nuncupati, et dilecti filii Ascanii de Maximis patritii romani proximorum suorum, ac cum decreto dilecti filii Laertii Cherubini secundi collateralis curiae Capitolii, et judicis ordinarii consensit, et ad abundantiorem cautelam quartam partem palatii hujusmodi cum omnibus et singulis ejus membris, pertinentiis, adjacentis, juribus, jurisdictionibus, usibus, et commoditatibus, dicto Evangelistae episcopo, et generali ministro praesente, vendidit pretio dictorum trium millium, ac septingentorum et quinquaginta scutorum, ac etiam cum promissionibus, pactis, et obligationibus etiam suorum bonorum feudalium, et jurisdictionem habentium, salva Sedis Apostolicae licentia tunc expressis. Et similiter postea dilectus filius nobilis vir Martius Columna dux Zagaroli, ac natus, et donatarius dictae Euridiae venditioni hujusmodi etiam consensit, ac omni, et cujuscumque ejus juri cessit ad favorem dictorum fratrum, et ad majorem cautelam quartam partem palatii hujusmodi denuo vendidit, facto etiam actuali deposito apud eumdem Joannem Baptista Luragum mercatorem dictorum trium millium septingentorum et quinquaginta scutorum, statim in ipso actu consensus, seu venditionis dictae Euridiae, ad effectum illa investiendi, cum interventu, et consensu praedicti ministri generalis, sive ejus legitimi procuratoris, in emptionem tot locorum alicujus montis non vacabilis, vel censuum bene assicuratorum, aut bonorum stabilium hic in Urbe ad commodum ejusdem Euridiae; quae loca, seu census, vel bona etiam perpetuo remaneant affecta, obnoxia, et specialiter obligata, et hypothecata pro evictione dictae quartae partis, cum qualitatibus, praerogativis, et conditionibus, ac modo et forma praemissis; etsi dictum palatium plus valeret, iisdem Ascanius Cardinalis, et Euridia, et Martius praedicti, id omne etiam ad quantumvis notabilem summam ascendat, et dimidiam, seu aliam partem justi pretii excedat, donarunt, ac beneficio L. 2. L. fin. de revocan. donat. ac L. 2. de rescinden. vendit. renuntiarunt cum juramento; promittentes sub obligatione quorumcumque bonorum suorum etiam feudalium, seu jurisdictionem habentium (salva sedis praedictae licentia) hujusmodi venditiones esse, et perpetuo fore bonas, et ut tales, et pro talibus dictae religioni, ejusque superioribus et fratribus manutenere, eosque auctorizare, defendere, et disbrigare ab omni molestante persona, ac ab omni molestia, et lite etiam in petitorio, vel possessorio, aut in utroque lis moveatur, et in qualilibet instantia, et litem non inferre, nec inferenti quomodolibet consentire, et in eventum alicujus litis illam in se suscipere ad omnem solam et simplicem requisitionem, et non solemniter, et extrajudialiter ac sine insertione libelli factam, et susceptam prosequi, dictumque palatium nulli personae fuisse venditum, alias in omnes, et singulos casus, et eventus contrarietatis, aut contraventionis praemissorum, aut alicujus eorum etiam nullitatis, et invaliditatis contractus desuper initi ex quovis capite, et defectu, etiam in corpore juris clauso efficaciter teneri voluere religioni ejusque superiorioribus, et fratribus praedictis stipulatione interveniente de dicti palatii evictione, ac defensione universali, et particulari in for-

ma juris valida, et in Urbe consueta, pront in instrumentis publicis desuper respective confectis, et per dilectos filios Tydenm de Marchis camerae apostolicae, et Melchiorem Solam curiae Capitolinae, ac Franciscum Pichinoleum in archivium romanae curiae descriptum notarios plenius continetur. Et deinde Marcus Antonius dux et contestabilis praedictus habens plenam notitiam et informationem testamenti dicti quondam Marci Antonii ejus avi die XVI. Martii anni MDLXIX. conditi et rogati in actibus dilecti filii Constantini Mayni dictarum causarum notarii, ac fideicommissi et substitutionis, ac omnium et singulorum aliorum in eodem testamento contentorum, necnon venditionis dicti palatii per dictum Ascanium Cardinalem ejus patruum fratribus praedictis factae, omniumque et singulorum in eodem venditionis instrumento contentorum, cum praesentia et consensu dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Felicis Ursinae Columnae ejus aviae ac tutricis, et pro tempore curatricis, necnon praedicti Marci Antonii episcopi et Cardinalis, ac dilectorum filiorum nobilium virorum Marii, et Lutii Columna ejusdem Marci Antonii ducis et contestabilis proximorum asserentium in his nullum habere interesse, et ea non tendere in praejudicium ipsius Marci Antonii ducis, et contestabilis ex causis et rationibus infrascriptis, ac dictam palatii venditionem, necnon omnia et singula in eodem venditionis instrumento contenta uti bona, et benafacta pro omni jure, actione, successione, et interesse sibi vigore fideicommissi et substitutionis hujusmodi, ac cujusvis alterius, et alias quomodolibet competenti, et competituro pure, libere, et simpliciter consensit et asseruit. Promittens eidem Evangelistae episcopo et generali, ac religioni, et fratribus praedictis, necnon omnibus, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, venditionem praedictam, et inde sequuta quaecumque perpetuo habere ratam, et gratam, ac in nullo contrafacere, tum quia optime novit dicti palatii venditionem pro fabrica ejusdem Basilicae denegari non posse ex dispositione juris, et constitutionis piae mem. Gregorii Papae XIII. etiam praedecessoris nostri super jure congrui editae, tum etiam quia, prout ex dictae venditionis instrumento clare apparet, sibi utiliter provisum, et consultum esse, eveniente casu purificationis fideicommissi, et substitutionis in dicto avito testamento appositae; nam undecim millia, et ducenta, ac quinquaginta scuta hujusmodi a dicto Ascanio Cardinali de mandato nostro ab eisdem Castellino, et Joanne Augustino Pinello pro pretio dicti palatii recepta, et per eumdem Ascanium Cardinalem eo ipso, ac incontinenti penes praedictum Joannem Baptistam Luragum depositata, non possint amoveri, nisi ad affectum illa investiendi, et erogandi in emptionem tot locorum alicujus montis non vacabilis, aut censuum bene assicuratorum, aut bonorum stabilium in Urbe, et ejus districtu, et si dicto Ascanio Cardinali magis placeret, in territorio Mareni consistentium ad ipsius electionem, in commodum, et favorem praedicti Marci Antonii ducis et contestabilis, quorum fructus ad Ascanium Cardinalem donec viveret tantum, et ipso vita functo, ad Marcum Antonium ducem et contestabilem, ejusque haeredes, et successores praedictos pleno jure spectarent, ac loca montis, seu census, vel bona stabilia hujusmodi ad majorem religionis, ac ministri generalis, et fratrum praedictorum cautelam perpetuo starent, et stare deberent affecti, obnoxii, obligati, et hypothecati pro omni et quacum-

que dicti palatii evictione, voluitque, ac consensit, et declaravit pro majori securitate, et cautela religionis, ac ministri generalis, et fratrum praedictorum, quod census, sive loca montis, aut bona hujusmodi essent surrogata in locum dicti palatii, ac subjecta eisdem oneribus et restitutionibus, quibus dictum palatium subjectum, et suppositum erat, ex serie dispositionis dicti testamenti aviti, et cujusvis alterius sui antecessoris, seu auctoris ultimae voluntatis, constituens suum procuratorem irrevocabilem dilectum filium fratrem Julianum Causium de Moglisno praedicti ordinis procuratorem, ad petendum, et obtinendum a Sede Apostolica horum confirmationem cum suppletione minoris aetatis, ac commutatione voluntatis praedicti avi sui; necnon pro majori cautela religionis et ministri generalis, et fratrum praedictorum dilectus filius Philippus Columna frater germanus dicti Marci Antonii ducis et contestabilis de praemissis similiter informatus cum auctoritatibus, et consensibus, ac iisdem stipulationibus intervenientibus in venditionem, ac omnis et singula praemissa consensit; ipsique Marcus Antonius, et Philippus fratres expresse renuntiarunt beneficio minoris aetatis, et restitutionis in integrum ex quovis capite, etiam enormis et enormissimae laesionis tam principaliter, quam incidentaliter ex statutis dictae Urbis resultantes, ac idem Laertius collateralis, et judex ordinarius, visis et intellectis praedictis, et mature discussis in, et super eisdem praemissis tamquam rite et legitime gestis suam, et sui officii, quo fungitur, auctoritatem, et decretum, seu decreta interponendum, et interponenda duxit, et solemniter interposuit. Cum autem Basilicae, seu domus fratrumque, qui juxta regularia instituta, tum vita eorum exemplari, tum doctrina, et verbi Dei praedicatione alias, quam summis eorum laboribus et studiis animarum salutem et sanctae Sedi Apostolicae dignitatem et auctoritatem illiusque incrementum procurant, et in dies circa hoc tam laudabile ministerium suae probitatis, et diligentiae diffundunt odorem, statui, quieti, et securitati favere plurimum in Domino cupiamus, et tenores concessionis seu donationis palatii hujusmodi, aliorumque tunc expressorum per dictum Julium praedecessorem Basilicae, seu domui et fratribus hujusmodi factae, ac supplicationis Julii et litterarum Leonis praedecessorum praedictorum, necnon testamenti seu ultimae voluntatis, aut dispositionis ultimae dicti Marci Antonii, ac chirographi seu cedulae donationisque dictorum quindecim scutorum per Nos, ut praefertur, factae, ac instrumentorum et judicis decreti, seu decretorum, ac palatii, et illius membrorum omnium praedictorum situationes, confines, vocabula, denominationes verosque annuos valores praesentibus pro expressis habentes, necnon fratres dictae domus, ac Columnenses omnes, et singulos praedictos a quibusvis excommunicationis etc. harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac moderno, et pro tempore existentibus ministro, et procuratori, ac commissario generalibus ordinis, et guardiano, et fratribus domus hujusmodi, omnes et singulos fructus, reditus, et proventus, si quos ex dicto monasterio quomodolibet indebite perceperunt, ad quamcumque summam excedentes gratiose remittentes, et condonantes, illisque ut in posterum praedictum monasterium, uti prius retinere, illiusque fructus, reditus et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque in suos communes, et domus, et sacristiae hujusmodi usus et utilitatem, absque ullo prorsus conscientiae scrupulo convertere libere, et licite valeant, nullius

ad hoc requisita licentia, indulgentes, nec ullo unquam tempore ad dictorum fructuum restitutionem teneri, aut dictum monasterium propterea vacasse, seu vacare, sive dictos fratres illo privari potuisse, seu posse, aut privatos fuisse, et esse declarantes, motu proprio, non ad generalis, aut fratrum praedictorum seu aliorum pro eis Nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine concessionem palatii, illiusque membrorum omnium per Julium praedecessorem Basilicae, seu domui, ac fratribus hujusmodi factam, illiusque alienationem, unionem, annexionem, et incorporationem dictique monasterii permutationem, ac suppletionem, et litteras desuper confectas, necnon donationem quindecim millium scutorum Basilicae, seu domui, ac fratribus hujusmodi vigore cedulae, seu chirographi manu nostra signati factam, ac palatii, illiusque membrorum omnium redemptionem, seu emptionem, et venditionem tam per Ascanium Cardinalem, quam Euridiam, et Martium praedictos factas, singula in eis contenta pacta, et conventiones, ac obligationes, et hypothecas, necnon eorumdem Ascanii Cardinalis, et Marci Antonii ducis et contestabilis, ac Philippi, Euridiae, et Martii consensus, renuntiationis, cessionis, decretis seu decretorum interpositionem, et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate ten. praes. approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum etiam substantialium forsan omissarum tam in instrumentis, quam judicis decreto, seu decretis hujusmodi, etiam quod veri proximiores non intervenerint, ac aetatis Marci Antonii ducis et contestabilis, et Philippi, ac feminei sexus Euridiae praedictorum, ac quoscumque alios etiam minimos defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, et quascumque obligationes bonorum feudalium, et jurisdictionalium Columnensium hujusmodi pro evictione, et observatione praemissorum etiam approbamus, et confirmamus, ac ex nunc licentiam, et facultatem concedimus dicta bona feudalia, jurisdictionalia vendendi in casu evictionis, vel inobservantiae praemissorum, ac consensum nostrum pariter et assensum praestamus. Et nihilominus potiori pro cautela, ac omnium et singulorum praemissorum corroboratione, praedicta quindecim millia scuta in eleemosynam, ac gratiose, et irrevocabiliter Basilicae, seu domui, ac fratribus hujusmodi auctoritate et tenore praemissis denuo donamus, et titulo purae, merae, et irrevocabilis (quae dicitur fieri inter vivos) donationis liberaliter elargimur, necnon loca montium, seu census, aut bona stabilia hujusmodi, ut supra, emenda, religioni seu Basilicae vel domui, ac fratribus praedictis, pro omni et quacumque dicti palatii evictione, et causa cujusvis fideicommissi, aut alterius restitutionis, obligationis, vel oneris perpetuo affecta, et hypothecata esse volumus et censemus cum privilegiis, et praelationibus supradictis, et in eventum redemptionis seu extinctionis dictorum locorum, vel censuum semper denuo reinvestiri volumus cum interventu, et consensu dicti generalis, seu ejus legitimi procuratoris, ac modo et forma praemissis, donec reinvestiantur, deponi, ut supra non amovenda, nisi ad hunc effectum, ac cum eisdem interventu et consensu, et aliter factae solutiones, vel restitutiones non valeant, sed ipsi aliter solventes, et restituentes, nihilominus dictae religioni teneri, et obligatos esse decernimus, et declaramus, necnon loco dicti palatii quoad effectum dicti, vel alterius fideicommissi

ter gererent, et exercerent, donec aliter per eumdem praedecessorem, seu successores suos Romanos Pontifices desuper foret ordinatum, in virtute sanctae obedientiae jusserit, prout in litteris dicti praedecessoris in forma brevis die III. Junii pontificatus sui anno tertio confectis plenius continetur. Et cum prout Nobis dilectus filius noster Constantius tituli S. Petri in Monteaureo presbyter Cardinalis Saronnus nuncupatus exposuit, venerabilis frater Episcopus Assisien. monasterium vestrum hujusmodi a loci ordinarii cura et guberuio in futurum eximi, et liberari, ac regimini et administrationi eorumdem fratrum minorum conventualium denuo subjici desideret, et dilecti filii communitas et homines ejusdem civitatis propediem id optaturi sint, Nos attendentes, quod Romani Pontifices providentia circumspecta nonnumquam ea, quae per ejus praedecessores gesta, et suo, ac suorum successorum arbitrio reservata sunt, ex rationabilibus causis immutat, et ad pristinum statum reducit, ac dictarum litterarum tenores perinde, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, motu simili, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine venerabilem fratrem Episcopum Assisiensem, seu dilectum filium ejus in spiritualibus vicarium generalem nunc et pro tempore existentem, ab omni cura, guberoio, regimine, et administratione vestri monasterii praedicti in perpetuum apost. auct. ten. praes. penitus absolvimus, nec deinceps in illo quovis praetextu, aut quaesito colore se ullatenus intromittere posse, aut debere decernimus, ac illius curam, et gubernium eidem episcopo, seu vicario de caetero omnino interdicimus, dictumque monasterium vestrum, quod caput aliorum dicti ordinis S. Clarae monasteriorum existit, et cujus exemplo caetera ejusdem ordinis monasteria, de consensu episcopi et communitatis ad eorumdem fratrum regimen reduci debere confidimus a fratribus praedictis, uti prius et ante datam dictarum litterarum feliciter regi, et prospere dirigi, dummodo ejusdem episcopi et communitatis, ac hominum praedictae nostrae civitatis Assisien. expressus ad id accedat assensus, auctoritate et tenore praemissis, donec similiter per Nos, seu successores nostros Romanos Pontifices aliter fuerit ordinatum, praecipimus et mandamus, ac illud in pristinum, et eum, in quo ante datam dictarum litterarum quomodolibet erat, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus; inhibentes in virtute s. obedientiae episcopo, seu vicario hujusmodi ne de caetero in cura, regimine, et gubernio dicti vestri monasterii praemissorum seu alia quavis de causa, seu praetextu ingerere, vel intromittere audeant, seu praesumant, et quidquid secus ab eo, seu quocumque alio factum fuerit, id totum irritum et inane decernimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae in Monte Quirinali die xv. Julii Pontificatus nostri anno VI.

CXLIII.

Jubet ne admittantur saeculares ad assidue inhabitandum conventum S. Antonii civitatis Patavinae. Ex reg. Secr. Brev. in mense Julio pag. 205.

Dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in civitate Venetiarum Nuntio.

Cum fel. record. Gregorius Papa XIII. praedecessor noster tunc existenti suo et Sedis Apostolicae istic commoranti Nuntio, per suas in forma brevis confectas litteras dederit in mandatis, quatenus ipse Nuntius, visis dictis litteris nulloque alio ab eodem praedecessore expectato mandato, dilectis filiis ministro illius provinciae, et guardiano domus S. Antonii de Padua ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci, auctoritate apostolica in virtute s. obedientiae, ac sub poenis tunc expressis praeciperet, ut quamprimum quascumque personas saeculares tunc in domo S. Antonii hujusmodi inhabitantes ab illa omnino excluderent, eisdemque ne inposterum perpetuis futuris temporibus quemcumque ibidem ad inhabitandum, nisi pro ipsorum fratrum ordinariis servitiis et necessitatibus juxta ipsius ordinis constitutiones admitterent, vel exciperent, prohiberat, prout in dictis litteris plenius continetur. Nos litteras praedictas, quarum tenores perinde ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus haberi volumus pro expressis, suum debitum effectum sortiri cupientes, illisque perpetuae et inviolabilis firmatis robur adjicientes, discretioni tuae per praesentes mandamus, quatenus litteras praefatas ac omnia et singula in eis contenta et inde secuta quaecumque, auctoritate nostra sub poenis in litteris Gregorii praedecessoris hujusmodi expressis, et arbitrio tuo imponendis prohibeas, ne perpetuis futuris temporibus quemcumque saecularem ibidem ad assidue inhabitandum, nisi pro servitiis et necessitatibus praedictis admittant, vel recipiant. Non obstantibus etc.

Datum Romae in Monte Quirinali die xxviii. Julii Pontificatus nostri anno vi.

CXLIV.

Providet quieti fratrum minorum de observantia. Ex reg. Secr. Brev. in mense Junio pag. 219.

Venerabili fratri Archiepiscopo seu dilecto filio officiali Caesaraugustan.

Causam quae, uti accepimus, inter venerab. fratrem Episcopum Barbastren. et dilectos filios ministrum et professores ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. provinciae Aragoniae ratione nonnullorum gravaminum, quae ipsi ministri et professores sibi injuste et indebite ab ipso episcopo fieri praetendunt, istic terminare cupientes, de venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super causis et statu regularium deputatorum consilio, quibus hoc negotium mature videndum et Nobis refe-

cujuscumque, quatenus appareret, restitutionis, seu oneris supponimus et surrogamus, itaut vocati ex dicto, vel quovis alio fideicommisso aut restitutionem, seu onus aliquod super dicto palatio praetendentes, non amplius ad illud, sed ad dicta loca montium census, vel bona stabilia se convertere debeat, prout converti, et dirigi debere etiam declaramus, dictumque palatium a praedicto, et quibuscumque aliis fideicommissis, oneribus, et restitutionibus penitus eximimus, et liberamus, monasteriumque ipsum quovis modo vacans, etiamsi fructus illius in libris camerae ad quamcumque summam taxati reperiantur, et de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat sacristiae dictae domus perpetuo una cum annexis, ac omnibus juribus, pertinentiis, bonis mobilibus et immobilibus, sacraque supellectili, et aliis universis emolumentis, necnon facultatibus, jurisdictionibus, exemptionibus, praerogativis, libertatibus, indulgentiis, et aliis gratiis, quibus illius abbas, et conventus a primaeva dicti monasterii erectione gavisi fuerunt, denuo unimus, annectimus et incorporamus, ac in dicto monasterio ordinem S. Benedicti hujusmodi, omnemque statum, et essentiam regulares post obitum, seu quamvis dimissionem, privationem, desertionem monachorum in eo ad praesens commorantium etiam perpetuo, motu, scientia, et potestate similibus extinguimus penitus, et abolemus, ipsisque seu aliis, ad quos spectat, praecipimus, et interdicimus nominatim, ne posthac quemquam ad habitum vel professionem admittant; quod si secus fiat, professio hujusmodi sit inanis, et neminem obliget, neque in genere, neque in specie professum; ita quod liceat fratribus praedictis corporalem, realem, et actualem possessionem monasterii, illiusque bonorum hujusmodi perpetuo continuare, ac fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque in suos communes, et dictae sacristiae usus, et utilitatem, ut prius, convertere, inhibentes in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae poena nunc et pro tempore existenti Episcopo Polignanen. ut nullam de caetero jurisdictionem ordinariam in monachos dicti monasterii exercere andeat, seu praesumat, sed ipsos monachos sub omnimoda jurisdictione ministri generalis, ac guardiani et fratrum praedictorum, et ab eis deputatorum nunc et pro tempore existentium subjacere permittat. Praecipientesque eisdem monachis, ne sub poenis praedictis, ac excommunicationis majoris latae sententiae, aliquas donationes quorumcumque bonorum suorum per eos, et quemlibet eorum, etiam eorum industria, vel alias quomodolibet, legitime tamen acquisitorum, et acquirendorum, sibique obvenientium facere audeant, seu praesumant; et quatenus aliquae factae reperiantur, nullas et irritas fore, et esse decernimus, illasque omnino revocamus, cassamus, et annullamus; omniaque et singula bona praedicti monasterii monachorum, qui ab humanis decesserunt, et pro tempore decedere contigerit, ad praedictam sacristiam spectare, et pertinere, ipsaque ab officialibus in dicto monasterio deputatis, et pro tempore deputandis a quibusvis personis, et locis etiam piis exigi, et recuperari posse, et debere omnino volumus, et ita mandamus. Decernentes etiam has praesentes nostras litteras, ac donationem quindecim millium scutorum hujusmodi, pro quo, quod illa in libris camerae apostolicae registrata non fuit infra tres menses juxta constitutionem recol. mem. Pii Papae IV. similiter praedecessoris nostri, adversus quam fratres praedictos restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus, ita ta-

men, ut ultra alios tres menses a data praesentium computandos, registrari in libris praedictis faciant; quod si id facere omiserint, nullo unquam tempore de nullitatis, aut subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, sive alio quocumque defectu, etiam ex eo quod interesse habentes omnes vocati non fuerint, aut praetextu enormis ac enormissimae laesionis, aut minoritatis sexus muliebris, vel alias quomodocumque notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci, seu in jus, vel controversiam revocari, aut ministrum generalem, et fratres praedictos ex quavis causa directe vel indirecte, quovis quaesito colore seu ingenio, etiam ratione majoris pretii et deceptionis ultra dimidiam aut aliam quamcumque partem justi pretii vel favoris apostolici, aut paupertatis molestari, perturbari, aut inquietari posse, sed illas semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri debere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse ac vim initi et stipulati contractus inter Nos et cameram apostolicam habere, et ad probationem solutarum pecuniarum hujusmodi ubique sufficere, nec ad id alterius adminiculum requiri; sicque per quoscumque judices, et commissarios etc. contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis ordinis et collegii praedictorum, Cardinalibus, protectoribus, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existentibus per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, seu alios ministro generali, et fratribus domus hujusmodi etiam nunc, et pro tempore existentibus, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari, nec permittant generalem et fratres praedictos desuper a quoquam quomodolibet molestari, perturbari, vel impediri. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx. Januarii Pontificatus nostri anno v.

CXLII.

Subjcit minorum conventualium regimini monasterium S. Clarae Assisiensis. Ex eodem archivo.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae, seu priorissae et conventui monasterii monialium S. Clarae Assisien. ordinis ejusdem Sanctae Clarae salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dudum fel. rec. Pius Papa V. praedecessor noster certis suadentibus causis adductus, professores ordinis fratrum minorum conventualium nuncupatorum ab omni cura, gubernio, regimine, et administratione vestri, et quorumcumque aliorum monasteriorum monialium per eos regi, et gubernari solitorum, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine absolverit, omniaque et singula monialium monasteria hujusmodi locorum ordinariis, in quorum civitatibus et dioecesibus consisterent, per eos feliciter regenda subjecerit, eisdem locorum ordinariis, ut curam monasteriorum hujusmodi bene ac diligen-

rendum commisimus, fraternitati tuae frater Archiepiscope, et in absentia tua discretioni tuae fili officialis per praesentes committimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, causam dictorum gravaminum in statu et terminis, in quibus reperitur, una cum omnibus suis incidentiis, dependentiis, annexis, et connexis auctoritate nostra audias, cognoscas, decidas, et fine debito termines, partibus aliis justitiam ministrando; et interea dum haec causa terminatur, eosdem fratres in antiqua et solita ac longo rerum usu comprobata possessione incedendi in processionibus, juxta tamen formam concilii Tridentini, et non alias manuteneudo. Necnon constito tibi, quod tempore, quo dictus episcopus Barbastren. publicare fecit edictum, per quod quilibet confessor deberet sibi praesentare licentiam approbationis ad confessiones audiendas, iidem fratres suas licentias originales audiendi confessiones in manibus venerab. fratris episcopi Oscen. praesentaverint, eadem auctoritate nostra praecipias dicto episcopo Barbastren. ne dictos fratres pro eo quod ad se pro nova licentia audiendi confessiones recursum non habuerint, ullo modo molestare audeat seu praesumat, ipsosque fratres in possessione audiendi confessiones donec et quousque haec causa etiam terminata fuerit, manuteneas. Nos enim tibi praedictum episcopum Barbastren. citandi etiam per edictum publicum, constito tibi summarie et extrajudicialiter, ac quantum tibi sufficere videbitur de non tuto accessu, illique etiam sub censuris ecclesiasticis, arbitrio tuo infligendis, inhibendi facultatem concedimus per praesentes, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae in Monte Quirinali die xii. Junii Pontificatus nostri anno vi.

CXLV.

Providet quieti eorumdem fratrum in provincia Delphinatus. Ex reg. Secr. Brev. in mense Julio pag. 64.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper ad aures nostras pervenit pro his calamitosissimis temporibus, quibus bellorum saevitia omnes fere regiones Regni Galliae afflictae fuerunt, provinciae Delphinatus inter alias mirum in modum diversimode vexata et oppressa fuit et est, et inhumaniter per haereticos cum presbyteris et viris religiosis actum est et agitur, et propterea multa monasteria devastata, multae etiam domus religiosorum spoliatae et derelictae cernuntur, nec adhuc his malis finis instat, cum undique militum audacia et sceleratorum pervicacia crescat, unde plurimi hodie eis in partibus conspiciuntur religiosi, qui aedibus suis aut exulant expulsi, aut mendicare aut in alienas domos diversi instituti, et eas etiam in quibus benevolos inveniunt receptores divertere coguntur; hinc fit ut multi professores ordinis fratrum minorum de observantia nuncupati sic ejecti, se ad aliquas domus fratrum minorum conventualium S. Francisci, quae tutiori in loco sitae sunt receperint, qui in communi charitative aluntur; et quia crescente malo deperit etiam paulatim charitas christiana, eleemosynae adeo raro elargiuntur, ut singulae domus quae ejectos recipiant,

vix habeant, unde proprios filios sustentent, nedum alienos manutenere possint. Et cum multi variis rerum necessitatibus afficiantur, ac in dicta provincia plurimae cernantur ecclesiae parochiales desolatae, ac suis rectoribus destitutae, ex quo ipsi parochiani nova in dies in eorum animarum cura patiuntur detrimenta, ac propter presbyterorum saecularium inopiam religiosi nonnunquam a locorum ordinariis compellantur hujusmodi animarum curam suscipere et ecclesiis inservire, Nos statui dictorum fratrum minorum de observantia in praemissis opportune providere cupientes, ac supplicationibus guardianorum et fratrum domorum ejusdem ordinis fratrum minorum conventualium S. Francisci provinciae S. Bonaventurae, alias Burgundiae, hac in parte inclinati, omnibus et singulis fratrum minorum de observantia hujusmodi superioribus, ac etiam locorum ordinariis quibuscumque, ne fratres de observantia qui ad conventuales confugerint, donec et quousque bellici tumultus in dicto regno Galliae cessaverint, quoquomodo molestare, inquietare, vexare, et perturbare audeant vel praesumant, in virtute s. obedientiae, et sub excommunicationis sententia eo ipso per contra facientes incurrenda praecipimus et mandamus, necnon cum iisdem fratribus conventualibus dictae provinciae, quibus aliquod beneficium ecclesiasticum simplex vel curatum quomodolibet nuncupatum conferatur, ut dicta beneficia recipere et retinere ac eis deservire, habitu tamen regulari detento, necnon fructus inde provenientes percipere, exigere, et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, christiquefidelium confessiones audire, et quaecumque sacramenta ecclesiastica eisdem, de tamen locorum ordinariorum licentia, administrare libere et licite valeant, apost. auct. ten. praes. de specialis dono gratiae dispensamus, seu eis desuper indulgemus. Non obstantibus etc. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii et in archivo romanae curiae descripti subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae in Monte Quirinali die xiv. Julii Pontif. nostri anno vi.

CXLVI.

Pro celebratione Officii et Missae S. Torquati Martyris. Ex reg. Secr. Brev. in mense Maio pag. 143.

Ad futuram rei memoriam.

Martyrum gloriae ad hoc divino consilio a christianis populis frequentantur, ut et illis debitus honor exhibeatur, et Nobis virtutis exempla monstrentur, ut dum haec ita celebrari perspicimus, cognoscamus quanta eos gloria maneat in coelis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris. Sane cum sicut dilectus filius frater Didacus de Guadicen. ordinis fratrum minorum de observantia provinciae Granatae, nomine venerabilis fratris Joannis Alphonsi Episcopi Guadicensis Nobis exposuit, in civitate et dioecesi Guadicensi in particulari veneratione habeatur B. Torquatus martyr et pontifex, qui una cum nonnullis aliis B. Jacobi Apostoli disci-

pulis, a gloriosis Apostolis Petro et Paulo Romae ordinatus, et in Hispaniam ad praedicandum Dei evangelium missus, permultis pro Christo perfunctus laboribus, in urbe praefata, olim Acci vulgo appellata, demum martyr occubuit. Ac propterea ejus festivitatem, quae die quinta decima mensis Maii incidit, sub proprio officio et missa, et per ejus octavam celebrari posse desideret. Nos pium dicti Joannis Alphonsi episcopi desiderium promovere cupientes, de dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium congregationis rituum ecclesiasticorum praepositorum consilio et assensu, quibus praefatum officium et missam examinandam et revidendam commisimus, quique re inter eos, adhibitis etiam nonnullis piis et eruditis viris, mature discussa, approbavit, ut officium et missa praefata ad normam Breviarii Romani aptata, et in libello per venerabilem fratrem nostrum Alphonsum Episcopum Portuensem Cardinalem Gesualdum dictae Congregationis nomine subscripto, quem seorsim a Breviario pro majori commoditate imprimi posse decernimus, descripta in ecclesia Accitanensi seu Guadicensi ejusque dioecesi tam publice, quam private in choro et extra ab omnibus et singulis ecclesiasticis personis in illius festo, et tota ejus octava hujusmodi recitari et psalli possint, apost. auct. ten. praes. concedimus, permittimus, ac indulgemus. Decernentes dictum Joannem Alphonsum et pro tempore existentem Episcopum Guadicensem, ac omnes et singulas personas ecclesiasticas dictarum civitatis, et dioecesis in die festivitatis et per octavam dicti B. Torquati officium, seu missam praefatam recitantes ad aliam recitationem Breviarii Romani non teneri, sed debito ac obligationi praedictis perinde satisfacere, ac si divinum officium juxta ipsius Breviarii praescriptum recitarent, neque ullas propterea censuras et poenas incurrisse dici vel censeri, aut a quoquam quovis praetextu molestari aut perturbari posse, aut debere. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx. Maii Pontificatus nostri anno vi.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

NOTAE ARABICAE PAGINAM
ROMANAE PARAGRAPHUM DENOTANT.

A

D

F

J

L

N

O

P

R

S

INDEX REGESTI

FINIS TOMI VIGESIMISECUNDI

Benevolum exoramus lectorem, ut ea menda, quae, licet multo adhibito studio, in hoc edendo volumine irrepserunt, humanissime corrigat.